47570/B

H. XIV

7/s

LOUIS DEBACQ
Pharmacien de 1re Classe

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30526838_0002

42550

# JOANNIS SCULTETI

*Phyſici Ulmenſis olim feliciſſimi*

# ARMAMENTARII CHIRURGICI APPENDIX

S. PARS II.

*Continens*

INSTRUMENTA CHIRURGICA

*una cum quinque & centum*

OBSERVATIONIBUS CHIRURGICIS

*collectis*

A JOH. BAPTISTA A LAMZWEERDE,

*Ph. & Med. Doct.*

Nec non

OBSERVATIONES

*PETRI HADRIANI F. VERDUIN,*

olim ſtudio JOHANNIS TILINGII M. D. editas.

*Nunc vero reviſas ſtudio*

JOHAN. CHRISTOPHORI DE SPRÖGEL,

*Med. Doct. & Membri Acad. Nat. Curioſ. Nymphodorus dicti.*

*AMSTELÆDAMI,*

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.

MDCCXLI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

# INSTRUCTIO

## PRO

# BIBLIOPEGIS.

OBſervent Bibliopegi, quod Tabulas Inſtrumentorum Armamentarii Chirurgici primas LIV. immediate poſt dictum Armamentarium Sculteti ſ. primam Partem Libri ita compingant, ut ſecundum ordinem numerorum ſequantur, & extra librum evolvi poſſint. Ceteræ Tabulæ XXIX. Inſtrumentorum Chirurgicorum vero, cum Tabulis III. Verduinii immediate poſt Partem ſecundam Libri in fine compingantur, ut eodem modo evolvi queant. Interim ſi aliis placeret, ut unamquamque Tabulam intra Textum ad ſuum locum, quo Tabulæ explicantur, jungant, ſpecialiter id Bibliopegis injungere licet.

# BERICHT

## AAN DE

# BOEKBINDERS.

DE LIV. eerſte Plaaten van d'Inſtrumenten moeten agter aan 't einde van het Armamentarium by malkander gebonden worden/ dat uitſlaan kunnen; d'overige XXIX. en de III. van Verduin, moeten agter aan 't einde van het tweede Deel geplaatſt worden; doch zo iemand dezelve op haar plaats/ daar ze verklaart worden/ gelieft gebonden te hebben/ kan 't zelve volgens de Nummers van de Plaaten/ en de Tabulas in de Text geſchieden.

# APPENDIX

Variorum tam veterum quam recenter inventorum

# INSTRUMENTORUM CHIRURGICORUM.

*Una cum quinque & centum*

OBSERVATIONIBUS CHIRURGICIS,

Ab expertis hujus ſeculi Practicis annotatis, & collectis

à

*Joh. Baptiſt. à Lamzweerde*

Ph. & M. D.

## Tabula Prima.

### *De variis Cauteriis*

MAgnum præceptorem noſtrum *Hippocratem* in *Aphoriſmis: Quoſcunque morbos medicamenta non ſanant, ferrum ſanat, quos ferrum non ſanat, ignis ſanat, lib. 8. aph. 6.* ſecuti præſtantiſſimi Chirurgiæ Proceres, ut *Fabritius, Paræus* & alii, varia cauteriorum genera excogitavere, eorundemque delineanes tradidere, ut figuræ uniuſcujuſque membri accommo-

modata forent, neceſſaria imprimis Chirurgis, queîs in majoribus urbibus noſocomiorum incumbit cura, cum variæ in iiſdem ægritudinum ſpecies occurrant: vel Chirurgis, qui bellum terrâ marique ſequuntur. Cum enim vario machinarum genere hoſtes aggrediatur Mavors, diverſoque ſitu repercutiat tela, innumeris corpora lædantur modis neceſſe eſt. Quamvis *Celſus* Chirurgum leonizantem requirat, attamen conſcientia defectu idoneorum inſtrumentorum altius profundiuſque ſecare, quam affectus poſtulaverit, prohibet; ſed ut inſtrumenta ſecundum membrorum figuras ulcerumque formas, ſi poſſibile ſit, procuret. Ut Chirurgiam exercentes in omni caſu de artificioſis inſtrumentis ſibi providerent, has delineationes huic operi addere animum induximus.

FIGURA. I. exhibet Cauterium inciſorium, quod maxime in bello uſu venit, ſi manus, cubitus, brachium, pes, femur in junctura vel alio loco globo tangerentur, ut eâdem operâ, quâ membrum abſcinditur, hæmorrhagia ſiſtatur; item ſi utero aut inteſtino recto, extra corpus pendulo, ſphacelus ſuperveniat, ad horum eradicationem apprime utile eſt, illo namque in portione ſanâ celerrimum gangrænæ incrementum præcavetur.

FIG. II. & III. ſunt Cauteria, quibus internodia eximuntur, aut putredine accedente commodè inuruntur, vel ſi ob gangrænam emortua eradicari, & comburi debeant, adhibeantur.

FIG. IV. oblongum exhibet Cauterium, cum ad claviculas, tum putredinem oſſium inurendam, accommodatum, quæ acuminata deſcribunt triangula.

FIG. V. VI. & VII. ob oculos ponunt ejuſdem figuræ Cauteria, ſed diverſæ magnitudinis, quæ variis membris & affectibus applicari poſſunt.

FIG. VIII. repræſentat excavatum Cauterium, utile in articulationibus, quando recipiens cavitas ſphacelata, aut corrupta acceptam apophyſin eadem labe infecit, ut eo commodius caput à cavitate cauterii excipi poſſit.

FIG. IX. Cauterium eſt gibboſum, quo utimur in articulationibus, ubi apophyſis corrupta recipientem cavitatem ſimul inficit.

FIG. X. tenue & oblongum depingit Cauterium, uſus illius

illius eſt putredinem, quæ crus aut cubitum depopulatur, una vice comburere, ubi combuſtio iterata aliàs moleſtiam non levem patienti affert.

FIG. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. & XVIII. demonſtrant Cauteria acuminata, utilia pro ratione magnitudinis, ſi putris humor profunda & rotunda foramina roderit, fundum tangendo. Globoſo cauterio in *Figura* XVI. depicto, ubi ſupremitates foraminum eroſæ ſunt, & ſi quid putredinis lateribus communicatæ appareat, abſumitur. *Figura* XIV. adhiberi etiam poteſt in ſummis & diuturnis dentium molarium doloribus, ſi fuerint excavati, nervos (dentium ſenſui inſervientes) comburenbo.

FIG. XIX. XX. & XXI. ferè quintæ, ſextæ & ſeptimæ figuræ ſimiles, ſunt plana, & quadrata Cauteria, putredinem ſanandi idonea, quæ ſe in articulationibus oſtendit, ubi ſinus admodum profundus non eſt, caputque inſerendum planum eſt.

FIG. XXII. exprimit Cauterium, quo utimur, quando putredo in pedibus oblonga, anguſta, tortuoſa arroderit foramina.

FIG. XXIII. & XXIV. delineant rotunda, ſed tamen plana Cauteria, quæ in variâ oſſium putredinis ſpecie uſu veniunt.

Bona etiam ſunt ad ſanguinis fluxum in iis locis, ex quibus excreſcentiæ, aut fiſtulæ exſciſſæ ſunt, ſiſtendum.

FIG. XXV. & XXVI. ſunt Cauteria, quorum unum rotundum, alterum teres, utilia ad hæmorrhagiam, quæ cancroſarum mammillarum comitatur eradicationem, ſiſtendam; quoniam juxta mammarum peripheriam commodè applicari poſſunt.

FIG. XXVII. & XXVIII. referunt Cauteria, cujus excavatum planum utile eſt ad os frontis, humeri, ulnæ, & radii inurendum, ſi putredo circa os ſe diffundat.

FIG. XXIX. eſt Cauterium triplicis aciei, ad nodos & gummata, quæ ſæpius in cranio lue venerea affectorum ſeſe manifeſtant, abſumenda, quando luxuriantem carnem, quæ cranium tegit, nitimur auferre; qua de cauſa excavatum & ſcindens ſit oportet, ad modum trianguli aut quadranguli, & in tres ramos diviſum, ut eo, prout ratio poſtulat, utamur.

FIG.

FIG. XXX. dat Cauterium, radices capillorum luxuriantium, quas forceps extraxit ſuperciliis, comburendi, abſque læſione oculorum: hæc inuſtio parvas cicatrices poſt ſe relinquit, quæ repullulationem crinium impediunt.

FIG. XXXI. demonſtrat Cauterium, quo fiſtulas lachrimales oculorum inurimus, & exſiccamus. Ferrum (*b*) pro tutela oculi eſt, & foramen (*d*) pro dicti cauterii tranſitu.

FIG. XXXII. eſt Cauterium, tumores raninos ſub lingua aperiendi: (*e*) eſt ferrum defenſorium, quo reliquæ partes à combuſtione præſervantur; (*f*) eſt foramen, per quod cauterium tumorem attingit.

FIG. XXXIII. demonſtrat Cauterium pro paracentheſi facienda: (*b*) eſt defenſorium una cum foramine, ut tranſitus cauterio præbeatur.

*Nota*, quod licet *hæ Figuræ* ſint propoſitæ, non omnes tamen formas exhibent, ſed Chirurgi ex his, tanquam ex protypis, reliqua ad uſum & ſcopum ſuum ſibi comparare poſſunt.

## TABULA II.

### *De Scalpris raſoriis & machinamentis ad ſuturam plumbeam neceſſariis.*

SCalpella hæc neceſſaria ſunt in inquirendis fiſſuris cranii, quo uſque penetraverint, nam ſi cranium unam fiſſuram ſolummodo paſſum fuerit, Chirurgus admonitionem *Celſi* obſervabit, à cranio quàm parum abradendo.

FIGURA I. & II. demonſtrant Scalpella inciſoria altius incidendi cranium, quando fiſſura ambas laminas penetravit, & cranii os urgente neceſſitate dilatandum ſit.

FIG. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. ſunt Scalpella diverſæ figuræ & aciei, quæ in omnibus locis cranii, in quibus fiſſura invenitur, uſurpari poſſunt; ex quibus Chirurgus affectui commodiſſima eliget & manubrio communi *Fig.* XII. imponet, & ſic opus cum utilitate patientis perficiet.

Operatio Chirurgica, quâ deſperatæ Herniæ curari ſolent,

ſolent, apud plurimos *aurea punctura* nominatur, quia filum, quod intruditur vulneri, aureum eſt; ſed quoniam *Paræus* & alii plumbeum filum præferunt, quia nil alieni relinquit vulneri, hinc nos hanc operationem *puncturam* vocabimus *plumbeam*, & his depictis inſtrumentis opus perficitur; de quo poſt fuſius ſermonem faciemus.

FIG. XIII. indigitat Forficem, quâ filum plumbeum apprehenditur & circumgiratur.

FIG. XIV. eſt Forfex, quâ prædictum filum abſcinditur: (*c*) oſtendit ipſam forficem; (*d*) eſt arcus forficis, quo clauditur.

FIG. XV. tradit lunatam Acum unà cum filo plumbeo, quæ perforata in acumine eſt, filum prænominatum apprehendendi gratia: (*a*) demonſtat aciculam; (*b. b*) filum plumbeum.

# TABULA III.

## *De dentatis Roſtris corvinis, anſerinis, Terebellis veſicæ, & Fiſtulis pro veſicæ pure extrahendis.*

FIGURA. I. Forceps prædita roſtro corvino: quare hoc inſtrumentum *Corvinum roſtrum* nominatur ad excipiendos & trahendos calculos ex veſica paratum; principium hujus notatum (*a*) eſt forceps, in qua duæ ſunt cavitates (*e. e*), ut apprehendant commodè calculos; (*b*) eſt pars cochleâ armata (*c*), ne calculus apprehenſus è forfice extrahente exſiliret.

FIG. II. eſt Inſtrumentum eandem figuram nomenque habens, cujus forceps (*d*) dentibus (*a. a. a. a. a.*) munita eſt, ut calculum, ſi ea magnitudine foret, ut nec forceps eum apprehendere, nec vulnus ei tranſitum dare poſſet, in minimas partes frangeret. Ala (*e*) ob dictas cauſas eſt cochleâ (*f*) munita.

FIG. III. repræſentat Speculum veſicæ apertum, quod in *Figura*. IV. clauſum exhibetur, utile ad collum veſicæ (per quod inſtrumentum tranſit ad fundum veſicæ, capiendo calculum) dilatandum.

FIG. V. & VI. ſunt Forfices, quarum una clauſa, altera aperta exhibetur, roſtri anſeris ſimilitudinem referens,

rens, hinc ipſi nomen, *Roſtrum anſerinum*, impoſitum eſt, in dilatandis vulneribus mediocribus aptæ, ut alii neceſſario inſtrumento, ſi quod in cavitatem veſicæ per vulnus intruditur, tranſitus præbeatur.

FIG. VII. VIII. & IX. Fiſtulæ ſunt vulneribus veſicæ imponendæ, ut commodius deſtillans ſanguis, pus, aut aqua, abſque læſione aliarum partium in collectione humorum in abdomine, ex corpore flueret: Diverſæ magnitudinis depinguntur in uſum Chirurgi, ut diſcat non ſemper unam eandemque cannulam eſſe uſurpandam, aut vulneri imponendam, ſed eligendam aut faciendam eam eſſe, quæ correſpondet vulneri, ne violenta cannulæ impoſitio patienti dolorem ſummum aut humoris affluxum creet.

Littera (*a*) Partem corpori inſerendam indigitat.

(*e. e. e.*) Foramina, per quæ inſtillans pus è corpore effluit.

Littera (*b*) Foramen, quod extra corpus eminet, inſtar manubrii incurvatum eſt, ne cannula veſicæ attractione tota immergatur corpori, ea de cauſa hæ cannulæ ligulas

(*g. g. g. g.*) habent, ut melius extrahi, & ad cicatricem tendente vulnere ſingulis vicibus minor imponi poſſit, ne vulnus nimis maturè conglutinetur.

## TABULA IV.

### *De Diploide terebra una cum ſuo defenſorio, dentium limis, & uncis uterinis.*

FIGURA. I. demonſtrat Trepanum minoris apparatus, quod Chirurgi, qui terrâ marique Martem ſequuntur, facilius poſſunt ſibi comparare: Figuram circini repræſentat, quod ad figuram vulneris cranii, & copiam puris collecti in dura matre, in minorem aut majorem circulum poteſt contrahi.

A. *a.* Pedes terebelli exhibet.

*b.* parvam cochleam.

*c. c.* duas diverſas acies, quæ pedi A imponuntur, ſi occaſio exigat.

*d.* major cochlea, quam incurvatus clavus

*e.* ſu-

*e.* ſuſtinet, quo terebellum extenditur & retrahitur, prout occaſio, inſtrumentum dirigendum eſſe, monſtraverit.

FIG. II. eſt Defenſorium, quod in modum cranii incurvatur, multis & variis foraminibus 1. 2. 3. 4. 5. 6. non tamen penetrantibus pertuſum eſt; pes trepani paſſim in iiſdem collocatur.

*Uſum terebelli* ſequentia demonſtrant: Defenſorium in præcedentibus depictum cranio imponitur patientis; immittendo apto foramini pedem terebræ (*a*), ut immota ſtet, alioquin terebratio non perficeretur, & poſtquam locum in nudato cranio perforandum atramento delineavimus, terebellum per cochleam (*d*) laxatur vel contrahitur, ut circulus, quem in perforando deſcribet, primo deſcripto accuratè reſpondeat: his peractis acumen (*c*) cranio infigitur, & cochleâ (*d*) in gyrum agitur.

FIG. III. IV. & V. ſunt Limæ diverſæ aciei & formæ, quibus dentes nimis acuminati & prominentes abraduntur, vel ſi putredinem, cui aditus denegatur, acquiſiverint inter dentes raditur, ut eo facilius, ad præcavendam ulterius repentem putredinem, cauterium admittat excavatum.

FIG. VI. ponit Scalpellum inciſorium, quo abdomen fœtus mortui in utero, at ſpeculo matricis prius dilatato, aperitur, inteſtinis, reliquiſque extractis, in partes ſcinditur, corporeque extrahitur; quæ operatio præſertim uſu venit, cùm abdomen fœtus hydrope vel flatibus intumuerit: Hic præternaturalis partus puerperæ majorem commoditatem, utero quoque minus læſionis periculum adfert, quam iſte partus, quo fœtum integrum ex utero evellere conabantur.

FIG. VII. Uncum inciſorium exhibet, quo cranium exſtincti fœtus, hydrocephalo naturalem impediente partum, inciditur, ut aqua ingenti impetu proſiliendo partum ſublevet.

FIG. VIII. & IX. depingunt incurvatos Uncos, qui integrum fœtum mortuum à matrice avellunt.

FIG. X. eſt Forceps, *Roſtrum corvinum* dicta, quâ dentium radices extrahuntur.

# TABULA V.

## *De Antlia, balneo, & inſtrumentis ad ſectionem calculi neceſſariis.*

FIGURA. I. repræſéntat Antliam, Græc. πυὀλκος, hoc eſt, *puris tractor*, quo inſtrumento pus, quod in auris anfractibus profundè ex ulcere, caſu aut ictu, confluxit, & internis aut topicis medicamentis exſiccari non poteſt, extrahitur.

FIG. II. delineat balneum, in quo patiens, in cujus ureteribus calculus hæret, cum omnia interna fruſtra adhibita ſunt, fovetur, ut calculus ex ureteribus in veſicam melius relabatur, promovente hac *decoctione.*

℞. *Rad. Raphan.*
*Althææ. ana* ℔. ij.
*Ruſci.*
*Petroſelin.*
*Aſparagi ana* ℔. j.
*Sem. Cumin.*
*Fœnicul. dulcis.*
*Amæos. ana* ℥iiij.
*Lini.*
*Fœnugræci. ana* ℥vj.
*Flor. Chamomill.*
*Melilot.*
*Marrub.*
*Herb. Parietar. ana* M. ij. Coquantur in duabus partibus aquæ puræ, & una generoſi vini, ad tertiæ partis remanentiam.

Patiente ſedi impoſito, infunde vaſi (*c*) hanc decoctionem: Fit etiam *Clyſter*, addendo ℥iij. *ol. lilior. albor.* ℥j. *ol. ſcorpion.* ʒj. *ol. juniperi*, quæ olea flatus, qui huic dolori ſociantur, diſſipant, ſed clyſter debet in minori quantitate fieri, ne intumeſcentiâ inteſtinorum renes premantur.

*a.* Sedem demonſtrat.
*b.* Foramen ſedis, in quo patiens ſedet.
*c.* Vas, quod fomentum continet.
*d.* Cannulam aquam frigefactam depromendi.

*e.* Epi-

e. Epiſtomium, quo aperitur & clauditur canaliculus.
f. Infundibulum, per quod calida aqua infunditur vaſi (*c*).

Fig. III. eſt Inſtrumentum ſaxifragum extra vaginam poſitum, utile ad calculum, ſi in pene hæreat, conterendum, ut, dum integer foras prodire non poſſit, in fruſta emingatur, nam ſi eam magnitudinem habeat vel tam profundè lateat, ut uncis capi non poſſit, hoc utimur inſtrumento, hinc gaudet manubrio (*a*) & terebrâ (*b*). Membro virili itaque ligato, poſt calculum inſtrumentum unà cum vagina intruditur & cum eundem tangit, in gyrum agitur, hoc modo calculus in fruſta minuitur.

Fig. IV. idem in ſua vagina inſtrumentum concluſum demonſtrat.

Fig. V. eſt Vagina.

Fig. VI. & VII. idem, ſed minori forma, ob oculos ponit Inſtrumentum.

Fig. VIII. IX. & X. ſunt Cochlearia ad capiendos calculos, quando calculus ob duritiem terebrari, vel terebratus emingi non poteſt, & neceſſitas poſtulat, ut cultro inciſorio penis ſupra calculum aperiatur; hæc inciſio commodiſſimè fit in latere membri virilis, injectâ ligaturâ, ne calculus relabatur; tumque ratione magnitudinis atque figuræ ex tribus hiſce cochlearibus unum eligendum erit.

Fig. XI. & XII. depingit Inſtrumentum figuram referens pedis gruis, hincque nominatum *pes gruis*; inſervit extractioni capitis infantis, quod in matrice puerperæ remanſit. Principium ipſius acutis dentibus (*a. a.*) eſt præditum, ut eo firmius teneat cranium. Omnibus peractis (quæ ars exigit) in fœmina, terebellum (*b*) aperitur ad apprehendendum caput, eo apprehenſo eodem terebello comprimitur, ſicque educitur hoc inſtrumento: quandoque duplicatur, ſi principium quatuor dentibus munitum caput amplectatur, ut *Figura* XII. ſpectandum offert: hoc duplicatum inſtrumentum patienti operis majorem ſecuritatem pollicetur, cum in extractione dimoveri non poſſit.

Iiſdem quoque inſtrumentis Mola, quam medicamentis ſtimulantibus expellere non valemus, commodè extrahitur.

# TABULA VI.

## *De Faſciis & Machinis ad luxationes reſtituendas, haſtaſque extrahendas idoneis.*

FIGURA I. indigitat Faſciarum ſitum, quæ gyris ſuis utilis eſt ad luxata membra continenda.

FIG. II. Faſciarum ſitum nodo diſtinctum, qui conducit ad luxata membra contrahenda.

FIG. III. eſt Faſcia duobus nodis firmata, ut eo melius luxata pars firmetur.

FIG. IV. exhibet Inſtrumentum, ſi manuum virtus imbecillior ſit, ut luxata membra majori vi reponantur, aptiſſimum omni Chirurgo, quia paucis ſumptibus comparatur. Hoc inſtrumentum notatum (*d. d.*) ſimile eſt trochleæ, in quo tria foraminula (*a. a. a.*) ſunt, per quæ funes ductorii trahuntur. Unaquæque extremitas armata eſt unco (*b*), quorum unus inſervit terebrationi parietis aut columnæ, ut firmiter illi inhæreat, alter alligatur faſciæ, quæ luxata membra continet, ut membrum in locum à natura præſcriptum reducatur. Literæ (*b. b.*) ſunt pyxides, in quibus inſtrumenta continentur; (*c. c*) ſunt ambo opercula; (*a.*) eſt terebellum, ad terebrandum foramen poſtis, aut columnæ, cui imponitur terebella (*d*), quod altius tunc ingeritur, ut annulus ipſius (*e*) unum ex uncis dicti inſtrumenti apprehendat, & ſic opus abſolvatur.

FIG. V. docet Faſciarum fracti pedis ſitum & vinciendi modum tibiæ (*a. a.*) fractæ in medio. Literæ (*b. b. b. b.*) demonſtrant plagulas vel ferulas, quæ ſuis faſciis (*c. c. c. c.*) ligantur; (*d. d*) ſunt lectuli ſtraminei, linteis inſuti, in quibus baculi firmantur, ad rectitudinem & firmitatem ſtraminis: lectulos hos ſtramineos iſtius longitudinis oportet eſſe, ut ab oſſe pubis principium ſumant, terminenturque in calcem, quatuorque in locis firmentur, ut fractum os nullibi cedat. Notandum tamen in hac ligatura, ut omnes cavitates, quæ ſupra talum & calces ſunt, impleantur, ut pondus totius pedis quieſcendo æqualiter ſuſtineatur: hoc neglecto ſæpe oriuntur ingentes dolores, ut *Paræus* de ſe ipſo teſtatur.

FIG. VI. delineat Dilatatorium vulneris, intrinſecè certa

certa cavitate præditum, ut reliquiæ ferri, haſtæ, teli, in vulnere relictæ & apprehenſæ extraherentur: (*a*) indigitat machinam dilatantem, cujus cavitas (*o. o*) fractam haſtam (*c*) amplectitur; (*b*) eſt roſtrum gruinum, hamatum ſuſtinens ferrum, quod magis conducit, ut ſimile ferrum protrudatur, quam retrahatur; (*e. e. e. e.*) ſunt diverſa genera haſtarum, telorumque in bello neceſſaria.

## TABULA VII.

### *De Brachiis, Manibus & Pedibus arte factis.*

ARiſtoteles rectè nobis in ſcriptis reliquit, artem imitari naturam; nam neceſſitas hominem urget quærendi media, quo in locum perditorum membrorum eadem juxta regulas Mathematicas, tam quoad motum, quàm quoad formam artificioſè componantur. *Hæ Figuræ* brachiorum, pedum, manuumque voluntarium pro viribus humanis motum mentiuntur, quia extenſione & attractione ita exactè naturam imitantur, ut non ſolùm artificialia hæc membra ornamentum, ſed & uſum, ſi non in totum, ſaltem pro parte præſtent: Hæc automata curioſè juxta proportionis regulas à peritis componenda ſunt, ut autem quilibet, qui Mathematicis operam navat, horum ſtructuram intelligat, partium nomina & explicationem adjungemus.

FIG. I. eſt ferreum Brachium: (*a. a*) eſt ferrea corolla, quæ brachii formam exhibet; (*b*) eſt clavus, qui in majore cavitate continetur, quo brachium extenditur; (*c*) eſt major cubiti cochlea, quæ ex chalybe temperato & trium pedum longitudine vel circum circa eſſe debet; (*d*) ſunt dentes; (*e*) eſt clavus; (*f*) eſt cochlea, quæ clavum premit; (*g*) eſt peſſulus, qui cochleam claudit; (*h*) eſt interior lamina brachii ſuper cubitum; (*i*) eſt apex ferreæ manicæ cum fiſtula carpi, cujus ſubſidio manus ſurſum deorſumque movetur; (*k. k. k. k*) ſunt ſubligacula, quibus ferreum brachium connectitur.

FIG. II. artefactum Manum exhibet, quæ impoſita trunco deperditæ manus ita movetur, ut calamo ſcribat. Hæc conficitur ex cocto corio, quæ, ſi patiens, cujus

manus detruncata eſt, literis ſcribendis operam det; per foramina (*o. o. o.*) trunco ſive brachio alligatur: (*a*) Manum denotat; (*b*) Metacarpum, in quam patiens truncum ſuum, quouſque poterit, intrudet, ut motus eo melius perficiatur; (*c*) eſt penna ænea, quæ digitis erecta tenetur; (*d*) pluma calami eſt, quæ æneæ imponitur; ut, ſi quis æneâ ſcribere non poſſet, ob gravitatem ejus, calamum cygni ad hoc paratum æneæ imponat.

Fig. III. artificioſum Pedem exhibet: (*a. a*) eſt ligaculum, quo annulus fibulæ ſurſum trahitur ad flexuram pedis; (*b*) eſt coxæ ligaculum, cum cochleatis clavis clavorumque foraminibus, quo coxæ incurvantur vel eriguntur; (*c*) eſt nodus, quem manu comprimendo contorquemus; (*d*) eſt minor annulus ante coxam, ad motum pedis juxta arbitrium compeſcendum; (*e. e*) ſunt fibulæ anteriores, & poſteriores ad pedem thoraci annectendum; (*f*) eſt minor inferior baſis, in qua coxa quieſcit; (*g*) eſt cochlea, ad movendum clavum, qui pedem ſuſtinet; (*h*) eſt clavus, qui baculum pedis rectum tenet; (*i*) eſt annulus, cui funis annectitur, ad clavum retrahendum, ut baculus eo melius in ſeſſione flexuram ſuſcipiat; (*k*) eſt pars, quæ conducit motui patellæ; (*l*) eſt minor fibula, quæ impedit, ne clavus coxam prætergrediatur; (*m*) eſt ferrea fiſtula, qua baculus includitur; (*n*) eſt vertex, in extremitate baculi, qui membrum ſuſtinet, quo pes movetur; (*o*) eſt clavus, quo pes reducitur; (*p*) eſt metapedium clavi, ad pedem ad inferiora pellendum.

Fig. IV. eſt Veſtis præſcripti pedis: (*a*) Laminas, quæ ornamentum, & motum genuum præſtant, demonſtrat; (*b*) Laminam tibiæ, ut pes debitum retineat ſitum; (*c*) Laminam ſuræ; (*d*) Laminas articulationis pedis, ut ſitus motuſque conſervetur.

Fig. V. eſt *Erector manus*, qui tendinibus & nervis metacarpi præciſis, ægro uſu venit: hæc machina ex bractea confecta, & ſerico, lanâ, aliaque re molli referta, manui ſubponitur, prope primam digitorum conjunctionem, poſteaque aptis ligulis ligetur. Hujus inſtrumenti præſidio manus erecta tenetur, ut ægro uſui veniat: unde huic inſtrumento *Erectoris manus* nomen convenit. Rotunda inſtrumenti extremitas (*a*) applicanda eſt

arti-

articulationi primæ digitorum, extremitas altera (*b*) ſpectet carpum, hocque inſtrumentnm ligulis (*c*) per foramina (*o. o*) tendentibus, magis aut minus conſtringatur.

## Tabula VIII.

### *De externis & internis Machinis automaticæ manus; de ocreis, erectore pollicis, & membro virili artificioſis.*

Figura I. interiorem oſtendit machinam, qua manuum digiti moventur, & numerus 1) exhibet rotulas ſingulorum digitorum, motui utiles; 2) demonſtrat ferreum axem, qui dictas tranſit rotulas, circa quem moventur; 3) ſunt cochleæ, quibus ſinguli digiti ſuſtinentur; 4) ſunt clavi, quibus ſingulæ cochleæ ſuſtinentur; 5) eſt major cochlea, qua quatuor minores cochleæ aperiuntur, digitorum clauſionem procurando; 6) eſt globulus in extremitate magnæ cochleæ, cujus preſſura aperitur manus; 7) eſt clavus ſub magna cochlea ſitus, qua manus clauditur; 8) ſunt digitorum axes; 9) ſunt digitorum conchæ.

Fig. II. exteriorem manus apparatum exhibet, & modum, quo brachio & thoraci annectuntur. Numerus 1) demonſtrat conchas digitorum articulos referentes; 2) ſunt laminæ manus formam exhibentes, in quinque diſtinctæ, ut motui commodiores ſint; 3) ſunt faſciæ; 4) ſunt ferrei ſtili, quibus faſciæ annectuntur.

Fig. III. & IV. Ocreas delineant, quibus curvati pedes puerorum, ſi ab origine vel incuria nutricis acceperint, paulatim ad naturalem ſitum reſtituuntur. Hujus prima pars aperta, ultima clauſa apparet: (*a. a. a*) ſunt unci, qui foramina (*b. b. b*) apprehendendo ocreas claudunt. His ſimilibuſque machinamentis noſtris temporibus à prudentibus magiſtris, quæ juxta artem unicuique pedi applicantur, miræ & ſtupendæ curationes perficiuntur.

Fig. V. Erectorem pollicis indicat, quo pollex, ſi ten-

do aut nervus abſciſſus ſit, in ſuo ſitu retinetur, utque manus apta foret digladiationi aliorumque inſtrumentorum apprehenſioni. Hic erector pollicis ex bractea conficitur; ſuperius articulationi manus coreis ligulis (*a. a*) firmatur, annulis (*c. c*) duobus prædita: arte ita fabricari poteſt, ut vix defectus in uſu animadvertatur.

Fig. VI, & VII. exhibent penes arte compoſitos, ſtantibus urinam excernendi gratia uſu veniunt, qui ob tenebroſa furta improbæ Deæ in pœnam membrum virile dederunt, ne more ſexus fœminei incurvati mingere cogerentur. Hæc cannula urinaria principio notato (*b*) ductui urinario apponi debet, ex auro, ligno, charta, plumbo, corio, vel alia materia conficitur: (*d*) *in ſexta Figura* externam demonſtrat figuram; (*a*) cannulam urinariam; (*c*) exterius foramen.

## Tabula IX.

### *De artificioſis Oculis, Naſis & Linguis.*

Quibus percuſſione, inflammatione & exulceratione, oculi vel rumpuntur, capiteque excidunt, vel omnino exſiccantur; illorum orbitæ imponendus eſt oculus arte factus, qui patienti nullum quidem uſum, ſed ornamentum plurimum adfert.

In Figura I. II. III. & IV. artificioſi Oculi ex auro, vitro, criſtalloque confecti, naturalem colorem mentientes, proponuntur. *Fig.* I. & IV. oſtendunt ſuperiorem, II. & III. inferiorem partem.

Si facti oculi orbitæ imponi non poſſunt, cura pictum oculum fieri, quem *Fig.* V. delineat.

Fig. V. eſt pictus Oculus in curvato ferreo filo, quod holoſerico vel alia re tegitur. Finis (*b*) ad figuram planam eſt redactus, ne læderet. In plano (*a*) holoſerico commodè tecto, pictor delineabit naturalem oculum, eumque ſuppone orbitæ. Filum (*b. b. b.*) flexile ſit in omnem partem, quale eſt quod ornamentis & vittis mulierum annectitur; ſed ut firmetur, circum aures variis ducatur gyris.

Fig. VI. monſtrat Perſpicillum, ne, quando infantes

&

& pueri fiunt ſtrabones, retorqueant oculos. Perſpicillum hoc accuratiſſimè ſupponi debet oculis, ut foramina (*a. a*) directe reſpondeant pupillæ.

FIG. VII. & VIII. ſunt artificioſi Naſi, ex auro, argento, ligno, glutinato linteo compoſiti, naſum naturalem deperditum colore cutaneo mentientes: (*i. i. i. i.*) ſunt Crines fingentes barbam, apti illis, qui magnam aluerunt.

FIG. IX. & X. depingunt inſtrumenta, quibus loquela perficitur. Si pars linguæ deperdita ſit, ſuperiore parte (*a*) utimur, quæ craſſitiem dimidii imperialis æquat, hanc partem inciſores tenent: Inferior pars (*b*) tenuior eſt, craſſitiem nummi decem ſtyferorum repræſentans, quæ directè & proximè truncatæ linguæ apponitur; (*c*) eſt filum, quo inſtrumentum appendet collo, ut is, de quo *Paræus* ſcribit, mutus, cui infortunio lingua abſciſſa erat, beneficio hujus inſtrumenti, quæ volebat, pronuntiaret.

FIG. XI. XII. & XIII. ſunt obturamenta ad foramen in oris exulceratione venerea corroſum, obſtruendum, ut ſonus articulatior procedat. Ex argento conficiuntur, craſſitie coronati Gallici, alligatur huic inſtrumento ſpongia, per quam in foramine oſſis exeſi machina ſuſtinetur.

FIG. XIV. aliud inſtrumentum ſine ſpongia demonſtrat: quod in fine protuberantia gaudet, quæ corvino roſtro gyratur, quando in foramen intromittitur.

## TABULA X.

### *De Siphone quo unuſquiſque ſibi ipſemet Clyſterem poteſt injicere, ſiphonumque uſu in Anatomia.*

FIGURA. I. A. ob oculos ponit cannulam ex ligno confectam, quæ in anum intromittitur, non vulgarium clyſterum more; quia illi ordinariò nimis magnâ longitudine gaudent, quod non ſolùm inutile, verùm etiam periculoſum eſt: nam ſufficit, ut ſolummodo pa-

rum ſupra muſculum ſphincterem ſuperior pars (*e*) variis foraminulis perforata aſcendat, quod longitudo cannulæ hîc depictæ ſufficienter præſtat, cujus inferior pars (*f*) ita fabricata eſt, ut in anum immiſſa eum exactè claudat atque impediat, quo minus aliquid ad latus cannulæ erumpat.

(*b. b. b. b*) Funiculus eſt, ad unius vel duarum ulnarum longitudinem extenſus, conſtans ex materia admodum flexili, & in medio foramine quodam pervia, per quod injectio è ſyringa propulſa tam facilè atque celeriter perambulat, quam per cannulam abſque intermedia fiſtula ſyringæ affixam. Eandem ferè figuram obtinet hic noſter funiculus, quam ille, quem Angli, ad fumum tabaci in anum inflandum, ante aliquod tempus in uſum vocarunt.

(*c*) Inſtrumentum eſt ex ligno confectum, cujus parti inferiori (*d*) funiculus noſter firmiſſimè annectitur: pars verò ſuperior (*g*), quæ vulgari ſyringæ affigitur, inſtar infundibuli excavata eſt, ut clyſter facilius in funiculum propellatur.

FIG. II. uſum, Patientem ſcilicet (*p*) in lecto (*o. o. o*) decumbentem, abſque denudatione cannulæ partem (*a*) ano intrudentem, ne pudenda conſpiciantur, docet. X. Manus eſt, quæ ſiphonem clyſtere plenum, cochleæ (*c*) intromiſſum apprehendit, & contentum liquorum per ſyringam B. in funiculum (*b. d*), indeque per cannulam (*a*) inteſtino recto immittit.

Quod attinet modum decubitus recipiendi clyſterem, alii dextrum, alii ſiniſtrum latus eligunt, nos tamen parvam in eo diſtinctionem facimus, ſi tamen modum eligeremus, in tergo præ reliquis meliorem judicaremus; quod hoc inſtrumento commodè perficitur, quia inteſtinum craſſum in ſiniſtro latere non ita premitur, utque clyſter ad omnes deveniret inteſtini coli cellulas, ſuaderimus, ut patiens primo aliquo tempore ſiniſtro lateri incumbat, deinde dextro, denique in eo latere, in quo major percipitur effectus, quieſcendum eſt

FIG. III eſt æneus vel argenteus Sipho (*a a*); (*b*) ſuperior eſt pars ſiphonis, quæ aperitur, ut immiſſo liquore auferri queat; (*c*) ſuperior pixidis pars ſiphonis, quæ liquorem protrudit; (*d*) inferior pars, cujus extre-

extremum cochleis munitum incurvatur; (*e*) inferior pars ſyringæ propulſoriæ, quæ lino obducta, & ut à ſuperiore parte ſit diſtincta, neceſſe eſt; (*f*) clavis eſt, cujus inferior pars (*k*) portionem ſiphonum (*n n. n*) complectitur, ut hoc modo fiſtulæ ſyringæ adhæreant; (*l*) ſuperiorem clavis partem indigat, quæ aperiri poteſt, ut in cavitate tubuli ænei, ad aperiendas ſyringas fortè obſtructas, conſerventur; (*g. g. g*) ſunt fiſtulæ diverſæ magnitudinis & ſuperiores partes; (*m. m. m*) quæ partem ſiphonis complectuntur; (*n. n. n*) ſunt extremitates fiſtularum, quæ imponuntur cochleæ; (*o. o. o*) inferiores fiſtularum partes quadam protuberantia aut globulo armatæ, ut eo commodius hærerent; (*b*) annulum ex corio repræſentat, qui inferiori parti annectendus eſt, ne aqua ſiphonem inter & cannulam erumpat.

Uſus Siphonis in Anatomia eſt, propagines venarum, arteriarum, per totum corpus inveſtigandi tincturâ quadam: ſic enim arteriarum carotidum divaricationes cognoſcuntur: immittunt tubulum in illarum arteriarum principium, & beneficio ſiphonis liquorem viridem verſùs cerebrum propellunt. Hinc omnes partes, tam internæ quam externæ, quæ ab arteriis carotidibus ſanguinem accipiunt, colore viridi tinguntur, quod jucundiſſimum ſpectaculum in cerebro exhibet; cujus ſuperficies tam dextra, quàm ſiniſtra, propter anaſtomoſin, quam inter ſe habent utriuſque lateris arteriæ, ab injecto colore viridi plurimas quaſi arborum figuras repræſentare videntur: idem videre licet in arteria gaſtrica majore, & gaſtrica epiploica, dum enim uni viridis, alteri flavus immittitur humor, colorque, à qua recipiant ſanguinem, manifeſtè apparet.

## TABULA XI.

### *De Transfuſione Sanguinis.*

FIGURA. I. monſtrat Patientem nimiâ hæmorrhagiâ viribus ſpoliatum, cui tepidus ſanguis ex Agno FIG. II. transfunditur: FIG. III. Medicum opus hoc inſtituen-

tuentem, et FIG. IV. Chirurgum opus idem tractantem.

A. A. eſt cannula ex exſiccatis anatum inteſtinis excavata, quorum orificiis argenteæ fiſtulæ annexæ ſunt, quæ commodè venis & arteriis imponi, iiſque firmari poſſunt.

Altera verò cannula A. A. vietorum coriaceis cannulis, quibus vinum de uno in alterum dolium transfundunt, perſimilis eſt. Fiunt ex anatum aliorumque volucrum inteſtinis, quæ melius ſeſe ſanguinis transfluentis motui accommodant. Ut hæc doctrina clarior fiat, *Epiſtolas ex Ephemeridibus Eruditorum* adjungere placuit.

PHyſicæ Profeſſor inter alia de Sanguinis quoque Transfuſione, ante aliquod temporis ſpatium in *Anglia* tentata, quâ ex uno corpore vivo in aliud transfunditur ſanguis, Experimenta inſtituit, (*qua vero id ratione fiat, ex Ephemeridibus* III. & IV. *Anni* 1667. *patebit*). Quod cum in beſtiis ſaltem factum eſſet in *Anglia*, vidi hîc ipſe, ab aliquo *Dionyſio* nomine, (*cujus Ephemeride* VI. *Anni* 1667. *experimentum aliquod etiam in duobus canibus factum recenſebitur*), ante menſem circiter, plurimis præſentibus, copiam ſanguinis haud contemnendam ex ſervi alicujus corpore extrahi, ipſique bis tantum ſanguinis ex vervece per canalem infundi, unde & confeſtim optimè ſe habuit, & vegetus omnino & vividus factus eſt. Quod idem etiam cum aliquo ſellarum portatore ab eodem Profeſſore exerceri conſpexi. Neque ſaltem *Pariſiis*, verum etiam *Bononiæ* in Italia à *Caſſino* (qui hujus rei experimentum in homine fecit, & bene ſucceſſit) id fieri dicitur. Ex quo ſperare licet, multos morbos, febres præcipue ex corrupto ſanguine malignas, ſanari poſſe hoc remedio.

*Huc uſque Philippi.*

MAximè vero omnium arriſit ipſi, quod ex literis tuis intellexit, infuſionem jam factam eſſe in *Germania* Anno 1642. ut certum ſit exinde, Anglos, qui primi hujus ſe rei inventores deprædicant, falli. Ne quicquam verò adhuc percepiſſe refert, quod, Vir generoſe, dicis, Paroxyſmum Febrilem in corpus caninum

num fuiſſe transfuſum. Inde igitur de Morborum tranſplantatione dicere cœpit, de qua integrum aliquem Tractatum impreſſum habet, cujus etiam *Bartholinus* in *Obſervationibus Anatomicis* mentionem injicit. Non diu eſt, quod novum aliquod Transfuſionis Experimentum in Nobili quodam Sueco â Medicis jam deſerto inſtitutum eſt. Ille enim, cùm jam eſſet ſemimortuus, propter febris cum diarrhœa bilioſa & fluxu hepatico miſtæ violentiam, mediante transfuſione ſanguinis ex vitulo ita reſtitutus eſt, ut loqui iterum potuerit & dicta intelligere. Quanquam duobus poſt diebus, quoniam inteſtina jam putrida, & inteſtinum Ileon in ſeipſum convolutum erat, ita ut vivere haud potuerit, animam efflavit. Apud Ducem *Guiſium* duorum arietum ſanguis equo vetulo infuſus eſt, unde validus factus & vegetus.

*Idem.*

D. *Lowerus* hanc rationem primus ad praxin duxit O-*xinii*, & certiorem de ea fecit *Boylæum*, qui Societati Regiæ eandem communicavit, eo modo uti ſequitur:

Primo ſumenda eſt arteria carotidis canis vel cujuſcunque etiam animalis, quodquod illud ſit, cujus ſanguis in alterius corpus transfundendus eſt, hæc à nervo octavæ juncturæ ſeparanda, & unum circiter digitum quaſi nuda tenenda. Deinde in ſuperiori ipſius parte, valida quædam ligatura facienda eſt, quæ minimè laxari poteſt, & digitum unum magis infra, verſus cor videlicet, alia adhuc ligatura requiritur cum nodo ductili, qui & conſtringi & laxari poſſit, prout opus ſit. Quibus duobus nodis confectis, ſub arteria intra utramque ligaturam duo fila trajicienda, & arteria aperienda, eique exigua penna immittenda, & arteria ſupra caulem, obturamento quodam exiguo claudendum, duobus illis filis fortiſſimè liganda. Poſtea unius cum dimidio digiti longitudine alterius animalis vena jugularis detegenda, & nodi ductiles in utraque extremitate faciendi, inter quos duos nodos infra venam duo fila, perinde ac in arteria factum, trajiciantur: Quo facto inciſio in

in venam facienda, eoque duo caules inſerendi, alter quidem in partem inferiorem, ad recipiendum ſanguinem alterius animalis, eumque cordi apportandum, alter verò in partem ſuperiorem, à capite procedentem, per quem ſanguis ſecundi canis emanare poſſit & profluere in patinas. Hi duo caules hac ratione conſtituti firmiterque ligati, obturati ſint obturamento quodam, uſque dum eoſdem aperiendi tempus ſit.

Quibus omnibus ita præparatis, canes, alter quidem ad alterius latus, ſunt alligandi, ita ut immitti poſſint duo illi pennarum caules in priores duos. Quoniam enim colla canum tam prope invicem appropinquari nequeunt, duo treſve alii caules prioribus duobus inſerendi ſunt, qua ſanguis unius ad alium deferri queat. Poſtea caulis ille, qui in venam jugularem primi canis deſcendit, aperiendus eſt, & alter etiam, qui ex ſecundi canis arteria procedit: atque ita ſecundus tertio cauli, prout quidem opus erit, jungendus mutuò. Quo facto, nodi ductiles laxentur, & illicò ſanguis cum impetu transfundetur, per caules perinde ac per arteriam aliquam; & eodem tempore, quo ſanguis in canem defluit, reſerandus quoque eſt alter caulis, qui à parte ſuperiori venæ ſuæ jugularis deſcendit (factâ prius ligaturâ circa collum, aut ſaltem digitis alterâ venâ jugulari compreſſâ) eodemque tempore ſanguis in patinas emittendus (non quidem continuò, ſed prout vires id permittere poſſe judicabuntur) donec alter canis clamitare, infirmari, convulſiones pati incipiat, denique lateri incumbens moriatur.

Tum verò duo caules venæ jugularis ex cane eximendi, & nodo ductili arctè conſtricto, abſcindatur vena ſuperiùs, (id quod fieri bene poterit abſque ullo malo cani propterea metuendo, quoniam ex venis jugularibus una ſufficit ad deferendum ſanguinem capitis partiumque ſuperiorum, propter latam aliquam anaſtomoſin, in qua duæ illæ venæ verſus laryngem ſe uniunt). Quo facto, pellis rurſus conſuenda, & canis dimittendus, qui de menſa proſiliet, ſe ſuccutiet, &, quaſi nihil mali ipſi illatum eſſet, aufugiet.

In Academiis coram variis ſæpe ſpectatoribus hujus rei experimenta initui; non tamen unquam niſi unicum

cum ſolum canem una vice, vel propter otii vel etiam plurium canum defectum, adhibui. Verùm quando ad operas rediero, prolixiorem ſine dubio relationem facturus ſum, non ſaltem quomodo plurium canum ſanguis in unum, ſed etiam variorum animalium ſanguis ex altero corpore in alterum, uti quidem ante abitum tuum Oxonio mihi propoſuiſti, transfundi poſſit. Id quod factu erit facillimum, poteritque ſuppeditare plurima experimenta egregia, non adeò forſan inutilia futura. At vero, quoniam plurimas circumſtantias obſervare neceſſe eſt, ſiquidem experimentum benè ſuccedere debeat, utque eò melius inſtituere id poſſis ſine mortis (illius canis, qui ſanguinem recipit) periculo, de duobus vel tribus te præmonebo.

1.) Canes annectendos eſſe ſecundum eam diſtantiam, ut neque vena neque arteria ſint tenſæ. Quod ſi cum exceſſu eſſe ſolet, neque recipere, neque etiam deferre tantum ſanguinis poterunt.

2.) Continuò extra pennæ caulem, qui eſt in vena canis jugulari pulſus obſervandus eſt, quem ſanguinis arterialis impetus efficit. Quod ſi enim pulſus non amplius apparet, indicium eſt, obturatum eſſe caulem grumis quibuſdam ſanguinis, ita ut extrahendus ſit interim caulis ex arteria alterius canis, ut utrique ſpecillo quodam Chirurgico via aperienda, quo ſanguis liberum rurſus habeat tranſitum. Idem contingere ſolet, quando canis, ex quo extrahitur ſanguis, penè exhauſtus eſt omnino; tunc enim cor ipſius, quod nonniſi debilem efficit pulſum, debiliter ſaltem ſanguinem propulſat, qui etiam tam facilè & promptè coagulatur, ut ſub finem ſæpe ſit extrahendus caulis & tranſitus liber faciendus, præſertim ſi canis langueſcit, uti plurimi languere ſolent, licet maximè ſint vegeti, ut conſtantem etiam & continuam ſanguinis ſui exhauſtionem tamdiu perferre poſſint, donec convulſiones patiantur & moriantur. Cui accidenti ut præveniri, & experimentum felicius ad finem perduci queat, ſanguis canis alicujus majoris in canem minorem transfundendus eſt, uti aliquando ipſe feci, ubi minor canis tantum effudit ſanguinis, quantum quidem ipſi opus fuit, (dum major canis in menſa exſpiravit) qui poſtea ſolutus aufugit & ſeſe ſuccuſſit, perinde ac ſi aquæ ſaltem immerſus fuiſſet. Vel etiam tres qua-

quatuorve canes eadem ratione præparati haberi poſſunt, ubi quando unus languere incipiet, neque ſanguinem amplius effundet, alius accerſi poterit; quo in caſu aſſerere poſſum, unicum ſaltem canem recepturum eſſe ſanguinem omnium reliquorum (& forſitan etiam plurium) quamdiu ſanguis bene profluet, & uſque dum canes penè ſunt mortui; propterea quod ſanguis canis illius, qui conſervari debet, ea proportione, qua immittitur, etiam emittitur.

3.) Dico canem, cujus ſanguis in patinas emittitur, melius ſe habiturum, ſiquidem illi, quorum ſanguis ipſi ingeri debet, ejuſdem penè ſint ætatis, & ſi præterito die eodem modo ſint enutriti, quoniam utriuſque ſanguis unius ferè ejuſdemque eſt temperamenti.

Plura ſunt, quæ obſervavi, cum ſanguinem ex canibus extraxi, donec exſpirarunt, quæque ſum expertus ab eo tempore, quo *Oxonio* diſceſſiſti, de quibus alia te vice ſeorſim certiorem ſum facturus. Interim rem mihi gratiſſimam præſtabis, ſiquidem hoc experimentnm Societati Regiæ communicaveris, &c.

Atque hæ ſunt illæ literæ, quarum inſtructiones, ſi quando ex amuſſim ſunt obſervatæ ab iis, qui experimentum hoc experiri voluere, feliciſſimè id huc uſque ſucceſſit; neque id in animantibus ſolum ejuſdem ſpeciei, verbi gratia in duobus canibus aut duobus vervecibus, ſed etiam in aliis diverſæ ſpeciei, utpote in vervece & cane, quorum ſanguis ex altero in alterum corpus transfuſus eſt.

Obſervari hîc poteſt præterea, in locum caulis pennæ commodius adhiberi poſſe tubulum aut canaliculum argenteum ſive cupreum, qui nonnihil ſit incurvatus, & tam ſubtilis, ut altera extremitas inſeri poſſit in pennæ caulem, quique ad alteram extremitatem, quæ inſeri debet venæ aut arteriæ, exiguâ fimbriâ ſit præditus, quo eo melius alligari poſſit. Multo enim erit commodior, quam tubulus rectus & lævis, dum multo facilius adaptari poteſt huic negotio.

Hoc experimentum variis uſibus inſervire poterit, verbi gratia, ſanguinem juvenis animalis transfundendi in vetus, ſani in ægrum, frigidi in calidum, audacis in timidum, cicurati animalis in ferum, & hoc non in unius ſaltem, ſed etiam diverſæ ſpeciei animalia. Atque hinc

hinc eſt, cur nonnulli ſagaci ingenio præditi, quo experimentum hoc reddant perfectius, experimenta quædam & quæſtiones curioſas nonnullas propoſuerint, de quibus forſitan alia vice dicendi locus erit: In præſentia ſaltem animadverſiones quaſdam circa hoc experimentum adjiciemus.

1.) Obſervare licet, ſanguinem ex animali extractum, unius ferè momenti ſpatio, propter ſanguinis circulationem, ſe miſcere & fluere unà cum animalis illius ſanguine, quod ipſum recipit. Atque hinc eſt, cur in his experimentis, quo certum ſit, quod animal, in quod reliquorum transfunditur ſanguis, ſuum omnino perdiderit, neque amplius aliquid habeat, præter illum, quem ab aliis accepit, duo vel tria, ut ſuperius annotatum fuit, animantia ſint præparanda, quorum ſanguis omnis uni illi animali immittendus.

2.) Si quis conjecturarum hic locus ſit, apparet, transfuſionem illam ſanguinis in natura vel diſpoſitione animalium, in quibus inſtituitur experimentum, nihil planè immutare. Hæc immutandi ſanguinis ratio diverſa eſſe videtur ab implantatione. Surculi enim inſititii ſuccum trunci, cui ſunt implantati, in ſuam convertunt naturam, quoniam ipſorum fibræ ſuccum, quem truncus ſuppeditat ipſis, ita percolant, ut convertant ipſum in naturam ſurculorum. Verum in hac ſanguinis transfuſione non videtur ulla hîc fieri ſanguinis animalium percolatio, unde ſanguis unius converti poſſit in naturam alterius.

3.) Maxima etiam utilitas, quæ ex hoc experimento redundat, hæc eſſe videtur, quod aliquod animal vivere poſſit cum ſanguine alterius, atque adeò animalibus iis, quæ omni penè ſanguine ſunt deſtituta, aut quibus ſanguis corruptus eſt, alius aliorum animantium ſanguis ſubſtitui poſſit, idque in tanta copia, quanta judicabitur accommoda, quoniam renovari iterum queat transfuſio iſta, propter diſſipationem promptam ſanguinis.

*Huc uſque D. Lowerus.*

IN recenti adhuc memoria erit, in aliqua Collationum mearum me dixiſſe, Transfuſionem, quâ ſanguis unius aut plurium animantium in venas alterius transfunditur, experimentum eſſe novum, & ſententiæ eorum,

qui circulationem defendunt, confirmandæ maximè idoneum: Plures verò tum temporis riſum non tenuiſſe, ſed Transfuſionem iſtam abſurdam planè & ridiculam habuiſſe. Tu verò quoniam iis mihi annumerandus fuiſti, qui magis ſeriò ea de re ſunt locuti, ejuſque fuiſti opinionis, quaſi forſan ſit hypotheſis quædam animi gratia facta, quo exercendi ejuſdem nonnullis anſa daretur: Ab eo tempore certum in ea re & confirmatum te reddere volui Quo vero pacto res adjuvante *Emmereſio* Chirurgo noſtro, cujus ſæpe patientiam atque in ſecando peritiam admiratus es, quando hoc ipſo hyberno tempore tam accuratè particulariſſimarum etiam rerum, quas in humano cadavere explicui, demonſtrationes exhibuit, ſucceſſerit, ſecundum omnes omnino circumſtantias tibi communicabo.

Die Jovis 3 Martii allati ad nos ſunt duo canes, nunquam ſimul enutriti, quique pro figura ſua tam videbantur diverſi, quam animantia ſpeciei verè diverſæ. Altera Hiſpanica canis erat, alter vero canis maſculus cum pilis parvis, vulpi ferè ſimilis. Canis fœmella gravida erat, paululumque obeſior maſculo & procerior. Duodecim enim digitos altitudinis habebat, mas vero non niſi decem.

Propoſitum erat nobis, de eo non ſaltem eſſe ſollicitos, quod in Excerptis ex Ephemeridibus Anglicis annotatum eſt, transfundere nempe ſanguinem ex uno animali in aliud, ita ut moriendum ſit illi, quod ſanguinem communicat, conſervando alteri, quod eum recipit; ſed conſervare potius voluimus utrumque. Quamobrem arteriam canis fœminæ cruralem, pro transfundendo in venam canis maſculi jugularem ſanguine, aperire nos inter convenit, perſuaſos, extractione ſanguinis ex arteria ex coxendice, eum ad extremitates deferente, non tam facilè convulſiones eſſe metuendas in cane fœmina, quàm ſi ex carotide, per collum in cerebrum eum deferente, extraheretur. Præterea, cum cruralis arteria tam ſubtilis non ſit, neque etiam tam immerſa, quàm quidem eſt carotis, neque canaliculis adeò ſubtilibus, qui, quando tranſit ſanguis, ingurgitari debent, utendum eſſe, canem etiam, cum tantum incommodi haud ſufferat, facilius morti elapſuram.

Enimvero in hominum fide digniſſimorum præſentia eve-

evenit omninò, prout præviderаmus, & id quidem ratione ſimpliciſſima & facillima. Duobus enim animalibus noſtris præparatis, hoc eſt, ſectâ arteriâ in catulæ coxendice & venâ in collo canis maris, circiter unum digitum alteram ab altera ſuas fecimus ligaturas, quarum infima erat cum nodo firmo, ſuperior autem ſive quæ cordi propior cum nodo ductili: Inter utramque ligaturam canaliculum orichalceum tenuiſſimum, digitum unum cum dimidio longum & in extremitate incurvatum ita, ut curvatura cor reſpiceret, pro ſanguine, nodo ductili ſoluto, eo melius recipiendo immiſimus.

Pari modo duas in æquali diſtantia ligaturas fecimus in vena alterius canis, quæ verò utraque nodum habebat ductilem, quas inter duos immiſimus canaliculos priori ſimiles, ita quidem, ut curvatura alterius cor reſpiceret, quo ſanguinem, nodo ductili ſupra eadem ſoluto, eo deferret; curvatura vero alterius ad caput animalis tenderet, quo reciperet eo melius ſanguinem à ſuperioribus partibus advenientem, inque patinas evacuaret, ſoluto itidem nodo ductili ſupra conſtituto.

Quo facto validiſſimè alligavimus canis fœmellæ arteriam extremitati ſui tubuli, venam verò canis maſculi extremitatibus amborum illorum, quos immiſeramus, & canibus juxta ſe poſitis hac ratione, ut coxendix fœmellæ collo maris reſponderet, primum tubulum ſecundo, hoc eſt; tubulum arteriæ fœmellæ tubulo venæ canis maſculi, & quidem ei, qui cor ſpectabat, inſeruimus; ubi, ſolutis omnibus tribus nodis ductilibus, ſanguinem ex arteria canis fœminæ crurali in venam canis maſculi jugularem defluere conſpeximus, dum interea tertius canaliculus tantum ferè ſanguinis ex cane maſculo ejiciebat, quantum ejuſdem receperat.

Quo verò ſanguinem verè ex arteria canis fœminæ in venam canis maſculi ſine coagulatione, per intervallum illud exiguum, quod nonniſi trium circiter digitorum fuit, profluere, redderemur certi, primum ſæpe canaliculum ex ſecundo extraximus, neque tamen unquam ſanguinem in curſu ſuo ſubſiſtere volentem advertimus, atque id propterea, quod plurimum habebat motus pariter atque caloris. Præterea & facilè ſentiri poterat flu-

xus ejus, quando digitus venæ canis maſculi infra ligaturam imponebatur: Sentiebatur enim ibi quidam calor & inflammatio valdè notabilis, quæ non obſervabatur tum temporis, cum aliquis digito ſaltem comprimeret canis fœmellæ arteriam, impediretque ita, quo minus ſanguis in communicationis tubulum intraret.

Tandem durante hac operatione tertium canaliculum per jugularem canis maſculi multo majorem ſanguinis copiam, quàm antea fieri ſolebat, ejicere obſervavimus: id quod ſecundum meam ſententiam propterea fiebat, quod canis maſculus per canaliculum ſecundum ſanguinem aliquem arterialem reciperet, cui magna cum abundantia intranti propter circulationem æqualis quantitatis alius projiciendus fuit.

Poſtquam per tubulum tertium novem ſanguinis de cane maſculo uncias (quod ejuſmodi magnitudinis animalis reſpectu ſatis multum eſt) in patina exceperamus, canis fœmina, quæ tantundem ipſi præbuerat, cuique propterea non adeò multum ſupererat, languere cœpit. Quamobrem conſtringendo nodum ductilem arteriam occluſimus; factiſque in vena canis maſculi jugulari ligaturis validiſſimis in locum nodorum duorum ductilium, quos antea ibidem feceramus, canes ſolvimus: Ubi quæ obſervaverimus ſingularia & notatu digna, hic accipe:

Canis, quæ ſanguinem alteri communicaverat, nimis erat languida, neque plus habebat virium, quàm ut angulum cameræ quæreret, ibique illi lateri incubaret, quod ſectum haud eſſet. Canis vero ille, qui novum ſanguinem receperat, vegetiſſimus videbatur, ita ut ſolutus omnes intenderet nervos, quo à poſtomide quadam ipſi applicata propterea, ne vociferare poſſit, ſe liberaret. Quam vero ſimul ac decuſſerat, pro more ſuo ſemper feroci fugit eos, qui appropinquarunt ad ipſum.

Neque tamen putandum eſt propterea, quaſi canis ille tam fuiſſet hilaris atque alacer, quam quidem antea fuit. Nam fuit certè abjectioris paululum animi. Quæ vero mutatio procul dubio non ex novi ſanguinis receptione, ſed ex dolore potius, quem ex ſecta pelle & jugulari vena, pro facienda transfuſione aperta, ſentire potuit, contigit: Id quod vel ex eo probari poteſt, quod præ-

præparavimus tertium aliquem æqualis magnitudinis canem, quem in ejus ſubſtitueremus locum, cujus deficiebant vires. Verum cum opus eo haud eſſet poſtea, quoniam res ad votum noſtrum jam ſucceſſerat, reſuimus ipſi pellem, & quamvis nullum ex vaſis ipſi ſecuiſſemus, timidior tamen multo erat illo, qui novum receperat ſanguinem: Duo enim illi canes, qui ad transfuſionem fuere adhibiti, duabus præterlapſis horis avidè capiebant cibum, non verò tertius.

Ab eo tempore tres hos canes ſervari juſſi, quorum etiam vigor atque vires pro ratione appetitus ipſorum indies ſunt auctæ, neque quidquam obſervavimus, quod ſiniſtrum aliquem transfuſionis hujus ſanguinis ſucceſſum metuendi anſam præberet.

Canis fœmina avidiſſimè cibum capit, & jam jam catulum peperit, qui mortuus in lucem editus eſt, & in quo nonniſi tres aut quatuor ſanguinis guttæ fuêre repertæ.

Die Martis ſubſequente, 8. nempe Martii, cum canem noſtrum, qui ſanguinem receperat, vegetiſſimum, cumque appetitu optimo offenderemus, alii adhuc ſecundo experimento adhibere eum convenimus, non ita quidem, ut novum reciperet ſanguinem, uti ſex ante dies ipſi contigerat; ſed ut ipſi potius auferretur, inque venas alterius cujuſdam huic negotio deſtinati transfunderetur, eum videlicet in finem, ut hoc facto experimento conſtaret, quid ſanguinis illius, qui ante aliquot dies vaſa ſua immutaverat, transfuſio præſtare poſſet. Ad hanc verò rem elegimus tertium illum canem, ad experimentum præcedens nobis inutilem, cujus venam jugularem cum adaptaſſemus arteriæ crurali alterius, cum majori paulo diligentia & ardore, quam prima quidem vice, ſanguinem primi in venas ultimi transfudimus; quem primum cum ad agonem uſque perduxiſſemus, atque adeò reddidiſſemus languidum, ut quaſi mortuus videretur, nec ſanguinem amplius ſuggereret ipſius arteria, ultimum, qui ſanguinem receperat, de ſuo interim in patinam ejeciſſe undecim cum dimidia uncias obſervavimus; quam ob cauſam illum, qui tantum ipſi ſanguinis communicaverat, ſalvum haud evadere poſſe perſvaſi ſumus. Interea verò ecce quæ & in hoc novo experimento ſingularia advertimus:

1) In opinione noſtra priori confirmati ſumus, quod carotidis loco arteriam ſecundo cruralem, animalis illius, quod ſanguinem communicat, convulſiones evitentur, neque tam facile periculo perdendæ vitæ ſubjiciatur. Nam licet canem noſtrum tanquam apparenter mortuum in angulo quodam reliquiſſemus; nihilominus tamen aliquis ex adſtantibus cum vinum in rictum ipſi infunderet, motum quendam ipſi reddidit, imo in pedes ſe elevavit, licet maxime titubans. Cum verò bono nutrimento ipſi ſuccurreretur, factum eſt, ut etiamnum ſit in vivis.

2) Optimè obſervare licuit, quod ſi ille, qui animalia præparet, multum adhibeat diligentiæ & dexteritatis, ne diu languere cogantur eadem, transfuſio contingat felicius cumque ſucceſſu meliori.

3) Multum juvat ignis in camera, in qua fit transfuſio.

4) Communicationis tubulos, quo longiores & ſpiſſiores, eo quoque operationi huic magis proter difficultatem, quâ calefiunt, eſſe inidoneos obſervavimus.

Tandem ſi bene & legitimè circa Transfuſionem ſit operatum, illam non tam eſſe periculoſam illi, quod ſanguinem novum recipit, prout quidem pluribus perſuaſum eſt, advertendum fuit. Vidimus enim in præſenti experimento, ſanguinem intra ſex dierum ſpatium in diverſis tribus corporibus conſtitutum nequicquam illi, quod ultima vice ipſum receperat, attuliſſe incommodi; ſed contra potius, ſimul ac animal ſolutum fuit, deſiliiſſe, auribus ſæpius concuſſis, blandiri cœpiſſe illis, qui ipſum allicerent. Cibum etiam cepit dimidiam poſt horam avidiſſimo appetitu, totque vigoris ſui monſtravit ſigna, quot antea in priori experimento languoris oſtenderat, licet ipſi vena nondum eſſet ſecta, ſed nudata ſaltem eum in finem, ut ſecari poſſet, ſiquidem opus fuiſſet, uti jam ſupra animadverti.

Atque hæc cum maxima admiratione eorum, qui ſua nos præſentia dignati ſunt (interque eos Doctoris præcipuè Medici experientiſſimi, ingenuè confitentis, ſe nunquam paſſurum fuiſſe perſuaderi, niſi quidem vidiſſet rem ipſe ſuiſmet oculis & examinaſſet omnes circumſtantias) fuêre inſtituta.

Stat ſententia quam primum hujus rei publica monſtrare tentamina: Quam etiam ob cauſam primum collationum noſtrarum diem ordinarium elegimus, qui proximus erit dies Sabbathi, 19. videlicet Martii, horâ ſecundâ pomeridianâ, in littoris crepidine Auguſtinorum. Atque ut pateat, quam mutationem Transfuſio iſta ſit productura, ſanguinem canis ſani atque juvenis in venas vetuli atque ſcabioſi transfundemus.

*Huc uſque Dionyſius.*

POſt Experimenta illa, de quibus die menſis præcedentis nono ſcripſi, ſanguinem ex tribus vitulis in tres canes transfudimus, ut certiores eſſemus de effectibus, quos producere poſſet duplicis ſanguinis adeò diverſi miſtiò. Prolixè aliquando, cùm melius vacat, particularia omnia recenſebo, jam verò dixiſſe ſuffecerit, animalia illa, in quæ facta eſt transfuſio æque avidè cibum capere atque antea, unumque ex iſtis tribus canibus, ex quo præcedente die tantum erat ſanguinis extractum, ut penè ſe movere amplius haud poſſet, recepto poſtridie à vitulo ſanguine, in momento vires iterum recuperaſſe, vigoremque oſtendiſſe incredibilem.

Nova quoque media Transfuſionem tanta cum facilitate exercendi invenimus, ut *Emmereſius* ſine ulla ligatura, ſaltem cum punctione aliqua, illi, quæ in venæ ſectione adhiberi ſolet, ſimili, facere eam confidat.

*Idem.*

POſtquam experientia monſtravit, Transfuſionem ſanguinis non ſaltem eſſe poſſibilem, verùm & facilem; reſtat adhuc inquirendum, annon & ad homines applicari ea poſſit, & annon remedium aliquod inſigne pro conſervanda ſanitate aut ſanandis morbis exinde deduci queat.

Tractatus hujus Auctor prætendit, melius adhuc operationem iſtam in hominibus quam beſtiis ſucceſſuram. Quo verò evitari poſſent incommoda, quæ comitari ſæpe ſolent arteriarum ſectionem, in locum Transfuſionis ſanguinis ex arteria in venam, uti in beſtiis obſervatum

vatum fuit hactenus, ex vena potius in venam transfuſionem ſubſtitui, adeòque ſanguinem ex aliqua vena brachii unius in venam brachii alterius transfundi debere putat. Quo pacto operationis proceſſus inſtituendus ſit docet, agitque de cautelis, quæ obſervandæ ſunt, ſiquidem ea feliciter ſuccedere deberet. Interim tamen hominem ſanguinem ſolummodo ſuperfluum ſuppeditare debere ſupponit; aliàs enim operatio illa barbara eſſet futura.

Senes, ut & illi, quorum vaſa malorum humorum & corrupti ſanguinis plena ſunt, mediante transfuſione à malis, quæ ipſis intentantur, ſe præſervare, naturalemque conſtitutionem ſartam tectamque retinere poterunt. Operationem illam utiliſſimam etiam eſſe dicit ad ſanandos morbos ex ſanguinis acrimonia, quales ſunt ulcera, Eryſipelata &c. ortum trahentes. Medicamenta aliàs talibus morbis præſcripta difficulter eos ſanant, quoniam vires ſuas perdunt, antequam pervenire poſſunt ad locum affectum. Novus verò ſanguis bene temperatus mediante Transfuſione rectà partes affectas petens, promptius atque præſentius remedium dare poterit. Tandem hic Auctor aſſerit, ſanguinem humanum non eſſe abſolutè operationi huic neceſſarium, ſanguinemque vitulinum aut alterius cujuſdam animalis eoſdem edere poſſe effectus.

*Huc uſque Tardy.*

TAndem aliquando Sanguinis Transfuſio, quam nonnulli ſtatuerunt impoſſibilem, plurimi periculoſam, maxima pars inutilem judicavit, feliciter in duobus hominibus ſucceſſit, & experimentum primum inſtitutum ſanavit hominem morbo valde gravi laborantem. Hisce in literis Experimentorum illorum duorum continetur narratio, & quidem multis cum rationibus pro & contra operationem iſtam adductis.

Non equidem ad objectionum minutiſſima contra Transfuſionem propoſita, neque etiam ad reſponſa à *Dionyſio* data recenſenda me adduci patiar. Ea enim referre nimis longum foret. Hoc ſaltem dicam, præcipuas, quibus Auctor iſte ad monſtrandam operationis iſtius utilitatem utitur, rationes eas eſſe, quòd exercendo

cendo Transfuſionem, non niſi Naturæ exemplum, quando fœtum in utero materno nutrit, ſanguinis Tranfuſionem ex materno ſanguine in Infantis corpus per venam umbilicalem inſtituentis, imitatus ſit. Quòd admittere Transfuſionem, nil certè ſit aliud, quàm via breviori, quàm quæ eſt ordinaria, ſe nutrire, hoc eſt, in venas ſuas immittere ſanguinem jam elaboratum, quàm accipere alimenta, nonniſi multis præviis mutationibus in ſanguinem convertenda. Quòd ratio hæc nutriendi compendioſa aliis ſit præferenda propterea, quòd alimentum per buccam ſumptum, dum per plures partes ſæpe malè affectas, tranſeundum ipſi eſt, plures attrahere poteſt qualitates malas, antequam ad venas pertingit, multiſque præterea mutationibus atque alterationibus eſt obnoxia, quas evitare poteſt tum temporis, quando immediatè in venas ſanguis jam elaboratus immittitur. Quòd in hanc operationem conſentiant Medici venæ ſectionem approbantes, pariter atque improbantes; illi, quod ſanguinem evacuat atque ejicit corruptum, hi, quod ægroti vires, dum novus in ejus, qui extrahitur, locum ſanguis immittitur, non labefactentur. Quòd tandem ipſa ratio docere videatur, morbos ab intemperie atque ſanguinis corruptione affectos transfuſione quadam ſanguinis puri atque benè temperati ſanari debere.

Poſtquam reſpondit illis, qui transfuſionem tanquam inutilem rejiciunt, iis quoque ſatisfacit, qui tanquam barbaram damnant ipſam. Quod ipſis peſſimam hanc opinionem ſuppeditat, animal, quod ſanguinem ſuggerit, ejuſdem cum eo, quod recipit, ſpeciei eſſe debere putant, ſiquidem feliciter ſuccedere debeat, adeòque non poſſe hac ratione vitam prorogari alterius ſine anticipatione mortis alterius. Verum *Dionyſius* monſtrat, non id eſſe neceſſarium, & animalium ſanguinem magis conducere hominibus, quam ſanguinem humanum. Rationem hanc reddit, quod homines variis agitati affectibus, inque diæta ſua parum ad normam viventes, ſanguine magis impuro ſint præditi quàm beſtiæ, minus ejuſmodi immoderatis affectibus obnoxiæ: Hinc etiam non adeò facilè in beſtiarum venis ſanguinem inveniri corruptum, cùm tamen in hominum, utut optimè valentium, etiam in parvulorum infantium ſanguine, quoniam lacte atque

ſanguine materno enutriti cum ipſo nutrimento corruptionem ſuxerunt, ſemper obſervetur corruptio nonnulla. Et cur etiam beſtiarum ſanguis hominibus non eſſet accommodus, quoniam ejuſdem eſt ſpeciei, quâ lac atque caro, quibus communiter nutriuntur homines? Addi præterea & hoc poſſet, quod, ſi verum eſt, quod Auctores nonnulli adverterunt, barbari iſti, qui carne humana veſcuntur, pluribus gravibus morbis ſint obnoxii, à quibus illi, qui carne beſtiarum nutriuntur, ſunt liberi, concludi poteſt exinde ſanguinem hominum, quia caro ipſorum magis ſanitati officit quàm brutorum, minus ad Transfuſionem eſſe idoneum. Accedit, quod ad ſanationem variorum morborum ſollicitum eſſe oporteat à ſanguine jam paulò calidiori, jam paulò frigidiori, jam paulò ſpiſſiori, jam paulò ſubtiliori. Quo poſito cum variæ iſtæ qualitates inſigniter dominentur variis in animantibus, ſanguis ipſorum commodior erit ad transfuſionem, quam humanus, ubi differentia illa non eſt adeò notabilis. Præterea & hoc dicit *Dionyſius*, quod & hoc commodum habeatur, ſi adhibeantur beſtiæ, ut operatio inſtituatur audacius & præparari etiam eædem poſſint eò melius, ſi nempe alimentis convenientibus antea nutriantur.

Omnes hæ rationes, quæ cum voluptate legi poſſunt, quoniam ratione jucundiſſima ſunt conſcriptæ, exordii loco duobus circa transfuſionem Experimentis, præcipuum Epiſtolæ hujus ſcopum facientibus, præmittuntur. Experimentum primum in juvene quodam 15. ad 16. annos nato, morbo, cui conducere videbatur transfuſio, laborante inſtitutum eſt. Puer, qui natura optimè erat diſpoſitus atque agilis, febri poſtea quadam contumaci correptus, eaque jam ultra duos menſes afflictus, repetita venæ ſectione à Medicis vel viceſima, tam tardus evaſerat atque ſocors, ut planè videretur ſtupidus. Perdiderat penè omnem memoriam, ingenium ipſius erat obtuſum, & licet decem vel duodecim horas ſingulis dormiret noctibus, interdiu tamen menſæ accumbens, comedens aliaque agens, quæ ſomnum abigere aliàs ſolent, ſemper obruebatur. Sopor ille ex paucitate, quæ ipſi reſtabat, ſanguinis, quæque febrili ardore, quo erat correptus, ſpiſſa nimium evaſerat, oriri, adeòque benè ſanari ipſum poſſe transfuſione novi ſanguinis creditum

ditum eſt. Quo etiam remedio probato omnibus, *Emmereſius*, qui ad operationem iſtam præprimis habilis eſt, horâ quintâ matutinâ ad juncturam cubiti venam ipſi aperuit, & extractis circiter tribus ſanguinis valdè nigri atque ſpiſſi unciis illicò per eandem aperturam, ſanguine arteriali agni, cujus carotidem ſecuerat, ipſi transfudit. Durante operatione, ægrotus, quomodo ſe haberet ſæpe interrogatus, de nulla re conqueſtus eſt, niſi quod à venæ apertura ad axillam uſque magnum ſentiret calorem (oriebatur autem hic à ſanguinis arterialis fluxu) interim tamen operationem ad finem perduci paſſus eſt, ſine alicujus inſignis incommoditatis indicio. Poſtquam igitur octo circiter ſanguinis unciæ ipſi immiſſæ erant, apertura venæ occluſa iterum eſt eodem modo, uti in vulgaribus ſectionibus fieri ſolet, ubi diligenter obſervatum eſt, quæ ſint ægroto eventura. Prima utilitas, quam ex transfuſione habebat, hæc erat, quòd illicò lenitum ſentiret malum aliquod, quod propter caſum è ſummitate ſcalæ decem pedum altæ, die præcedente factum, latus affecerat. Exiguo etiam temporis ſpatio à veterno illo perfectè ſanatus eſt, eodemque die, cùm ſurrexiſſet circa horam decimam matutinam, multò viſus eſt hilarior, quàm ante conſueverat, & ſine omni dormiendi deſiderio bene pranſus eſt. Circa horam quartam veſpertinam per naſum excrevit tres aut quatuor ſanguinis guttas, cumque benè cœnaſſet, ab hora ſaltem decima veſpertina ad horam uſque ſecundam à media nocte ſomnum cepit, ubi evigilavit, neque diutius dormire potuit. Poſtridie vero diutius dormivit, & adhuc diutius ſequentibus diebus, donec paulatim ad perfectam ſanitatem reſtitutus, à veterno amplius nil quicquam ſenſit incommodi.

Primo hoc experimento tam feliciter ſuccedente, ſecundum præterea, ſed ex curioſitate magis, quàm neceſſitate inſtitutum eſt. Ille enim, in quo exercebatur, non ſentiebat notabilem aliquam valetudinem. Erat autem ſellarum portator validus & robuſtus 45. annos circiter natus, qui pro pecuniæ ſumma ſatis tenui operationem iſtam in corpore ſuo fieri patiebatur. Hic cum benè ſe haberet, & abundaret ſanguine, Transfuſio cum ipſo inſtituta eſt in majori, quàm in primo, copia. Extractæ enim ſunt ipſi decem circiter ſanguinis unciæ,

& parum tantum ipſi ſanguinis agnini eſt redditum, cujus aperiebatur arteria cruralis, ut experimentum variaretur. Durante operatione homo iſte, hilaris aliàs naturæ, lepidiſſimi fuit ingenii, & pro captu ſuo plures de nova ſecandi ratione meditationes habuit, cujus inventionem ſatis admirari non potuit; neque etiam de ulla re conqueſtus eſt, niſi quod perinde ac primus inſignem ſentiret calorem à venæ apertura uſque ad axillam. Simulac verò operatio facta eſt, impediri non potuit, quin agnum, cujus receperat ſanguinem, condimento ſibi pararet; quo facto ſocios quæſitum ivit, cum quibus pecuniæ, quam acceperat, partem potando abſumpſit. Licet autem quieſcere per reſiduum diei juſſus eſſet, & homo etiam id promiſiſſet, nihilominus tamen, cum pecuniam lucrandi daretur ipſi à meridie occaſio, ſellam per omne diei reliquum, prout conſueverat ante, portavit, aſſeruitque nunquam ſibi fuiſſe melius. Poſtridie verò, ne alius quam ipſe, ſiquidem operatio iſta repetenda foret, accerſeretur, rogavit.

Atque hic eſt ille ſucceſſus duorum illorum primorum transfuſionis Experimentorum, quorum tamen confirmatio per alia inſuper Experimenta exſpectanda eſt, antequam judicari poſſit certè de utilitate, quæ hauriri exinde poterit.

Atque ita *Gallis* primò omnium eſt attribuendus honor, quod Transfuſionem in ipſis hominibus exercuerint, uti & ipſorum gloriæ adſcribendum, quòd primi eam invenerint. Nam licet *Angli* ante omnes alios in beſtiis eam tentarunt; certum tamen eſt, *Gallos* ipſis primos omnium ſuppeditaſſe cogitationes. Notum eſt, & plures etiam ſunt honeſtæ conditionis viri, qui teſtari poterunt, decem annos eſſe & quod excurrit, cum *Robertus des Gabets*, Monachus Benedictinus, diſcurſum de Tranfuſione in Conventu, qui apud *Montmorium* agebatur, propoſuit, pluraque ejus adhuc ſuperſunt exemplaria. Equidem negari non poteſt, plurimos tum temporis propoſitionem iſtam riſiſſe, eamque habuiſſe impoſſibilem. *Angli* autem nullius inventionem iſtam momenti æſtimari in *Gallia* videntes, ſuam eam facere voluerunt, tanquam rem pro derelicto habitam, eamque tentarunt in beſtiis. Verùm reclamavi-

mavimus tandem, remediumque invenimus, cujus beneficio in ejus quod ſpectat ad poſſeſſionem intrare iterum poſſumus, dum primi in hominibus inventum iſtud tentavimus.

*Huc uſque Dionyſius; qui præterea largam Hiſtoriam de Maniaco per transfuſionem ſanguinis ex vitulo curato (in Belgica Editione integrè tranſlatam) recenſet.*

IN *Ephemeridibus præcedentis anni* de pluribus ſcriptis, quæ ſuper inventum illud non ita pridem detectum, cujus beneficio ſanguis unius animalis in venas alterius transfundetur, ſunt conſcripta, diſſeruimus. In *tertia Ephemeride* modum dedimus, quem *Angli*, cum hanc operationem in canibus primi tentarent, adhibuerunt. In *ſexta atque octava* experimenta in *Gallia* habita tradidimus. In *decima* ſcripti cujuſdam, à Doctore quodam Facultatis Medicæ *Pariſienſis* adornati, modum, quo pacto fieri debeat Transfuſio in Hominibus, uſumque, qui exinde deduci poſſit, docentis, mentionem fecimus. In *undecima* tandem *Ephemeride* experimenta illa, quæ in duobus maribus *Pariſiis* habita feliciter ſucceſſerunt, retulimus.

Simulatque ex ultimis illis Experimentis innotuit, uti non procederet tam difficulter dicta operatio in Hominibus, quàm ut ab initio ſtatim creditum fuit, varii Auctores ad utilitates, quæ exinde deduci poſſent, examinandas animum applicuêre. Nonnulli attulêre rationes, non habere eam ullum in Medicina uſum, probaturi. Alii contra, facere eam poſſe ad plurimos ſanandos morbos, aſſeruêre. Quæ dum ita diſputantur, nova inſtituta ſunt Experimenta, de quibus multa ubique ſolent dici. Quoniam ergo hæc materia eſt notatu digna, nec non in ore eſt Eruditorum omnium, non inutile fore credidimus, ſi de ſcriptis illis, in utramque partem compoſitis, nonnulla hîc dicamus, quodque ibi notabile magis eſt indicemus.

*Huc uſque Ephemerides.*

Epi-

EPiſtolæ hujus Auctor primus eſt, qui contra Transfuſionem ſcripſit. Operationem iſtam novum eſſe remedium torquendi potius ægrotos, quam ſanandi eoſdem contendit; quoniam morbi, in quibus adhiberi poſſe dicitur, ſint illi præcipuè, qui aut à calore ſanguinis excedente, aut corruptione ejuſdem originem trahunt. Illos quod attinet, qui ex nimio ſanguinis calore generantur, ibi Transfuſionem habere locum non poſſe, propterea quod ſanguis transfuſus, quia calidior ſit proprio ægrotorum ſanguine, uti ſunt experti illi duo (in *Ephemer.* XI. *An.* 1667.) in quibus operatio inſtituta eſt, calorem ſanguinis in ægroto augeat potius, quàm imminuat. Neque etiam utiliorem videri, in morbis ex corruptione ſanguinis oriundis, idque eam ob rationem, quod parum illud alieni ſanguinis, quod mediante hâc operatione recipitur, citius multo à tota maſſa ſanguinea, quæ in corpore ægroti ſit, corrumpatur, quàm totius ſanguineæ maſſæ intemperies pauco illo ſanguine corrigatur. Nam ſi animalis cujuſdam rabidi aut leproſi ſanguinis corruptio tanta ſit, ut pauxillum ſpumæ ſive vaporis ex corpore ipſius per tranſpirationem exeuntis, totam maſſam ſanguineam alterius animalis benè ſe habentis inficere poſſit; qui fieri poſſit, ut parum ſanguinis alieni, quando cum omni ſanguine alicujus animalis ejuſmodi morbis laborantis miſcetur, non inficiatur?

Transfuſionem non ſaltem inutilem aſſerit, ſed etiam pernicioſam eam eſſe, inque locum unius, quem ſanare debeat, morbos plures producturam alios evincere conatur. Rationes, quas adducit, hæ ſunt præcipuè, quod ſicuti ſemen animalis alicujus ad aliud diverſæ ſpeciei animal formandum facere nequeat; ita & ſanguis, qui ſemini ſimilis eſt, in venas transmiſſus facere non poſſit ad idem nutriendum. Nam quando vitulinus aut alius cujuſdam animalis, quodcunque ſit illud, ſanguis ex multis iiſque variis particulis, variis corporis ſui partibus nutriendis idoneis conſtat, quid inquit quæſo producent ſanguinis exempli gratia particulæ illæ, quas ad cornuum generationem Natura deſtinavit, ſiquidem ejuſmodi ſanguis in venas hominis transfundatur? Neque idem eſſe dicit cum carne vitulina, quâ homines veſcuntur, propterea, quod partes ad nutrimentum huma-

manum inidoneæ mediante concoctione in ventriculo aut ſeparentur aut mutentur.

Secundo loco, quoniam mores atque ingenium ordinariò temperamentum corporis ſequuntur, corporis autem temperamentum ex ſanguine præprimis dependet, verendum eſſe putat, ne ſanguis vitulinus, in Hominis venas transfuſus, ſtupiditatem etiam & inclinationes animalis brutales ipſi communicet. Plures præterea rationes allegat, quas enarrare nimis longum foret, poterunt illæ in ipſa Epiſtola videri.

*Huc uſque Lamy.*

RAtionibus in præcedenti Epiſtola allegatis, præſentis Auctor opponit primò Experientiam, cui locum reliquit, quicquid eſt in Phyſica atque Medicina. Non amplius enim in quæſtione eſſe dicit, utrum Animal nutriri poſſit ſanguine alterius ejuſque diverſæ ſpeciei Animantis, quoniam res ipſa teſtetur duos Canes, quibus Vitulinus ſanguis ante quinque circiter menſes, pluribus iiſque honeſtæ conditionis viris præſentibus, infuſus eſt, adhuc vivere, & parvam quandam canem Hiſpanicam, propter ſenectutem omnino languidam, poſt receptum hædi ſanguinem, non ſaltem benè ſe habere, ſed etiam quaſi juveneſcere.

Poſtea, ut objectionibus in contrarium allatis ſatisfiat, reſpondet *primò*: Sanguinem, utut transfuſus ad contactum ſentiatur calidus, nihilo tamen minus refrigerare poſſe, perinde uti juſculum vitulinum benè refrigeret, licet, quando ſorbetur, calidum ſentiatur. Quod *ſecundò* objicitur, pauxillum boni ſanguinis alieni, cum inſigni corrupti copia miſti, intemperiem non poſſe corrigere, Transfuſionis inutilitatem non probare dicit, quoniam tanta, quanta deſideretur ſanguinis evacuatio, præmitti poſſit, antequam novus transfundatur; & tunc nihil impedire, quin multum boni ſanguinis cum exiguo ſanguinis corrupti in ægroti venis remanentis reſiduo miſceatur. *Tertiò*, licet animal aliquod ex alterius diverſæ ſpeciei animalis ſemine generari non poſſit, tamen uti non obſtat hæc ratio, quod carne ejus nutriri non poſſit, ita nec eam impedire, quin ejus ſanguine nutriatur.

tur. Neque etiam timendum hîc eſſe iis, quibus vitulinus ſanguis infunditur, ne ipſis cornua creſcant aut bruta natura illius Animalis cum ſanguine ipſis communicetur; quoniam ne iidem caſus in iis eveniant, qui vaccino lacte veſcuntur, nemo adhuc veretur. Tantum enim, inquit, differentiæ haud eſt inter alimenta, quibus nutrimur, & ſanguinem, qui immediatè in venas immittitur, prout quidem ab altera parte prætenditur. Alimentum concoctione in ventriculo præparari quidem & mutari dicitur: Verum nonne alia quadam concoctione, quæ in corde fieri conſuevit, & quadam adhuc tertia, quæ in unaquaque corporis fit parte, ſanguis & præparatur & immutatur? Atque tertia hæc concoctio ſanguini transfuſo immutando ſufficit, quemadmodum analogicè manifeſtè id in arboribus apparet. Demus Exemplum: Quando ſurculus mali trunco pruni inſeritur, ſuccus radicem & truncum pruni tranſiens ad producenda pruna præparatus fuit, omneſque habuit particulas, quæ ad conſtitutionem pruni requiruntur. At vero quando per exiguas ſurculi fibrillas percolatur, naturam immutat, & in pomum convertitur. Quare quærentibus, quid fierent in homine illæ ſanguinis vitulini particulæ, quæ producendis cornibus ſunt deſtinatæ, reſponderi cupit, id eas fieri, quod ſucci pruni particulæ generandis prunorum oſſibus deſtinatæ in mali ſurculo fiant; hanc enim reſponſionem datam difficultatis propoſitæ nodum facilè ſoluturam aſſerit.

Quo verò tandem Transfuſionis utilitatem confirmet, experimentum aliquod, quod Pariſiis in ægroto deſperatæ omnino valetudinis habitum eſt, refert. Effluxerant jam jam tres menſes, cùm ne nutrimenti quidquam ceperat, perdiderat etiam omnem & cognitionem & linguæ uſum, eumque Medici, quorum curæ fuerat, pro derelicto habebant. Nihilominus tamen ſimulac exigua ſanguinis portio duarum circiter patellarum transfuſa erat, pulſus arteriarum ſentiri potuit, profluvium ventris deſiit, rediitque ipſi loquela pariter ac cognitio. Jam tum erat quædam ſpes recuperandæ ſanitatis: Verùm præterlapſis 24. horis in eadem ſymptomata, quibus antea laborabat, incidit. Transfuſio iterata pauxillum vigoris reddidit ipſi, quod verò haud fuit diuturnum. Præteritis enim horis circiter duodecim obiit. Et aperto poſtea cadavere,

vere, propter inteſtina ubique gangrænâ affecta diutius ipſum vivere non potuiſſe compertum eſt.

*Huc uſque Gadrois.*

UTut plauſibiles videantur ſolutiones objectionibus primæ Epiſtolæ contra Transfuſionem datæ, habet tamen hic Auctor, cur illud, quod ſtatuit ſemel, defendere conetur. Primò, omnium mentem ſibi fuiſſe, nunquam aſſerit, ut Experimenta Transfuſionis rationibus refutaret, ſed ut examinaret ſaltem & refutaret inductiones exinde deductas. Equidem Transfuſionem eſſe poſſibilem, docere Experimenta; at verò utilem eam eſſe ad curandos morbos, ut & unum Animal ſanguine alterius ejuſque diverſæ ſpeciei Animalis nutriri poſſe, probare neutiquam. Animalia enim illa, quibus vitulinus ſanguis infuſus ſit, inde non enutrita eſſe contendit, ſed purgata ſolummodo, tanquam excremento quodam inutili; ſique ea deinde melius ſeſe habuerint, ſanguinis id evacuationi ante Transfuſionem factæ, non verò ipſimet Transfuſioni eſſe adſcribendum.

Poſtea Reſponſiones ad illa, quæ contra Transfuſionem in prima Epiſtola oppoſuit, datas examinat. Et *ab initio* quidem comparationem cum juſculo factam, & ut ſanguinem transfuſum licet calidiſſimum refrigerare tamen poſſe, probet, allatam, non eſſe legitimam dicit: Juſculum enim calidum refrigerare ſanguinem poſſe, quoniam tam calidum nunquam atque ipſe ſanguis eſt. Illud verò, quod actu calidum eſt, aliud aliquid æque penè calidum refrigerare, vix videri contingere unquam poſſe: Sanguinem Transfuſum tantum ſemper aut etiam plus habere caloris, quàm ſanguinem ægroti proprium, atque adeò refrigerare eundem minimè poſſe.

*Secundò* ad illud, quando reſponſum eſt, ut pro ſanguinis transfuſi corruptione, quæ propter miſturam illius, qui in corpore ægroti eſt, contingere facilè poſſet, impedienda, nihil requirendum ſit amplius, quàm ſi tantum, quantum deſideretur, emittatur ex ægroto ſanguinis, antequam inſtituatur Transfuſio, inſtat: Bonas equidem eſſe atque faciles evacuationes illas nimias in

in ſpeculatione, difficillimas autem in praxi propterea, quòd ægrotum ſæpe vitæ periculo ſubjiciant.

Quod *tertiò* comparationem inter alimentum per os immiſſum & ſanguinem transfuſum concernit, adeò inter ſe differre hæc duo ſtatuit, ut nulla ab altero ad alterum trahi poſſit conſequentia. Et ſi vel maximè transfuſus ſanguis ſecunda atque tertia concoctione præparari quodammodo poſſit, benè tamen omnino depurari eundem poſſe nunquam, quia primam non ſubierit, quæ juxta Medicorum omnium ſententiam adeò neceſſaria eſt, ut ſequentes concoctiones defectus corrigere poſtea nequaquam poſſint.

Surculorum *tandem* exemplum ad confirmandam Transfuſionem adductum, quod attinet, refutandæ ei potius ejuſque conſequentiis periculi plenis demonſtrandis inſervire dicit. Verùm hanc inſtantiam ad ſequentia, ubi de opuſculo quodam, prolixius eam tradente, agendum nobis erit, reſervabimus.

*Huc uſque Moreau.*

HUjus Auctoris ſententia Transfuſionem concernens, eſt, ut intermedia tenenda ſit opinio inter duas contrarias, de quibus hactenus diximus. Tantam enim utilitatem, quam nonnulli prætendunt operationi iſti haud ineſſe aſſerit. Neque tamen omninò eſſe inutilem, multo minus pernicioſam, prout alii contendunt; ſed eſſe remedium quoddam dubium, quod benè uſurpatum egregios quidem effectus producere, minus autem prudenter adhibitum, difficillimis conſequentiis eſſe poſſit obnoxium.

Conjecturas ſuas in eo fundat, quòd variorum Animalium ſanguis, cùm diverſiſſimæ ſit naturæ, multoſque habeat ſpiritus, ſine fermentatione in uno eodemque corpore commiſceri nequeat; fermentationem autem illam ſine inſigni alteratione & ardore quodam febrili fieri non poſſe; qui uti nonnulli Medici eum deſcribunt, nihil ſit aliud, quam excedens ſanguinis Fermentatio. Quare ſi Transfuſio in corpore robuſto non fiat, nec in modica quantitate & juſto præterea tempore, ne periculi plena ſymptomata attrahat, timendum utique eſſe.

Quam

Quam rationem ut confirmet, experimentum quoque quod quadrat, addit. Habuerit enim, inquit, transfuſio ſucceſſus quoſdam feliciſſimos, habet & eadem nonnullos non adeò exoptatos. Inter alia hoc obſervat in quodam Experimento optima ratione Pariſiis in cane quodam, quem alterius vitæ diſpendio, cujus ipſi ſanguis infundendus erat, juniorem reddere voluerunt, inſtituto. Ille enim, qui ſervandus erat, quinque poſt dies mortuus eſt, altero ad mortem deſtinato adhuc etiam in vivis manente.

*Huc uſque Gurye.*

NIſi omnis antiqua evertatur Medicina, ſecundum ea, quæ hic dicit Auctor, Transfuſio admitti nequit. Quæ cauſa eſt, cur illam omnino rejectam velit. Quod verò ut probet, plures in hac Diſſertatione rationes profert, eaſque cum eruditione pariter atque elegantia tractat. Illæ verò cùm in majori ſint numero, ex præcipuis ſaltem nonnullas hîc eligemus.

1. Ab exemplo ſurculorum fieri planè non poſſe probat, quin ſanguis Vitulinus venis Hominis infuſus in corpore ejus inſignem producat alterationem, adeoque ferè in Beſtiam ipſum transmutet. Quod ſi enim malus piro inſita fructus producat, qui de piro non minus atque de malo participant, quid impediat credere, ſanguinem Beſtiæ cum Humano ſanguine miſtum in brutam quodammodo naturam ipſum immutare.

2. Quod verò ad confirmandam Transfuſionem tanquam nutritionis quoddam compendium adducitur, quando jam præparatus ſanguis venis immittitur illius in locum, qui non ſine mora in ventriculo præparandus eſt, hic ipſe Auctor ridet. Equidem breviori via id fieri concedit, ſed non magis tuta. Perinde verò id eſſe, ac ſi quis in tertia ædium contignatione conſtitutus inferiora domus petere vellet, ſcalis autem deſcendere moleſtum putaret, adeoque breviori via per feneſtram deſiliret. Quando enim Natura ad deducenda in venas alimenta, præter tranſitum per ventriculum, aliam non monſtravit viam, alias etiam capere temerarium erit.

3. Onus eſt addere ægrotis, non levamen, ſi infunditur ipſis ſanguis per Transfuſionem, quia venæ ſectione adimere ipſis ſanguinem huc uſque eſt arcanum Medicinæ maximum, quando ipſa experientia docet, in omni ferè morbo ſanguinis abundantiam oneri eſſe. Negari equidem non poteſt, quin Transfuſio comitem ſemper habeat venæ ſectionem, neque unquam infundi ſanguinem, quin prius auferatur alius. Verum in Transfuſione deſtrui iterum, inquit Auctor, quod venæ ſectio ædificaverat. Igitur non eſſe id exonerare Naturam, ſed onus ſaltem mutare; neque ægrotum juvari magis, ac ſi ex bajulæ alicujus humeris ſaccus piſorum plenus dejiceretur, quò alius fabis repletus in ipſius locum reponi poſſit.

4. Verum poſito tandem, Transfuſionem non omni carere utilitate, ut tamen inſtitui poſſit, ſanguine potius humano, quàm brutorum, utendum eſſe dicit. Quodſi enim fœminæ alicujus lac ad nutritionem infantum extra omnem controverſiam cujuſvis alius animantis lacte melius eſt, ſequitur humanum quoque ſanguinem omni alii ad faciendam Transfuſionem eſſe præferendum, quoniam ſecundum ipſa illorum principia, qui Transfuſionem ſtatuunt, ſanguis & lac ejuſdem ſunt naturæ.

*Huc uſque Eutyphron.*

SAnguinem humanum Transfuſioni accommodatiorem eſſe, quam Brutorum, hic ipſe Auctor fatetur, propterea, quod concoctiones, quæ in Brutis fiunt, cum ad ἀκμὴν perductæ non ſint, uti ex ipſorum urina, quæ ſemper turbida apparet, & hominis malè ſe habentis urinæ ſimilis videre licet, ſanguinem benè purum producere nunquam poſſint. Quod verò in ſanguine potius humano quàm brutorum corruptio pateat, eandem habere rationem inquit, quæ obtinet in maculis, quæ clarius in ſubtilibus materiis, quàm craſſioribus apparent.

Transfuſionem etiam in omni morborum genere, in ſpecie verò in pleuritide aliiſque morbis calidioribus, in quibus ablatio potius ſanguinis, quàm infuſio conducibilis eſt, cum optato effectu adhiberi non poſſe fatetur.

Nihi-

Nihilominus tamen hanc operationem minimè omnium plane rejiciendam eſſe contendit, propterea, quòd multis aliis morbis eſſe poſſit uſui. Præterea ſicuti externa coctio multum juvat ſtomachum, ciborumque digeſtioni adeò inſervit, ut cocti digerantur multò facilius, quàm ſi ſint crudi: Ita veriſimile eſſe dicit, externam quoque ſanguificationem in alterius cujuſdam animantis venis factam multum promovere, faciloremque reddere illam, quæ in venis Hominum fit.

Transfuſionem tandem ad Medicinæ perfectionem neceſſariam eſſe dicit. Nam ſi ars illa Venæ ſectione medetur ſuperfluo ſanguini, imperfecta foret, ſi non & mediante Transfuſione ſanguinis defectui opem ferret.

*Huc uſque Tardy.*

PLura hîc inſtituta ſunt Experimenta, quibus Transfuſio de vena in venam facta eſt, quæ feliciſſimum habuêre ſucceſſum.

Doctor *Kingius* 49. ſanguinis uncias ex vervece quodam extraxit. Cui cum totidem circiter ſanguinis vitulini ex vena vituli jugulari emiſſas infudiſſet; operatione facta tam apparuit robuſtus vervex, atque vegetus, quam erat antea: Paulò verò poſt cum mactandus eſſet, vena ipſi denuò ſecta & ſanguis tamdiu emiſſus eſt, quàm effluere potuit. Extractæ autem fuêre 65. unciæ, antequam eſt mortuus, neque poſtea cum apertum corpus eſſet, quidquam ipſi reſtitit amplius.

Idem Medicus ex alio vervece, qui minor erat, 45. ſanguinis uncias extraxit; quæ verò evacuatio cum valdè reddiderit debile id ipſum animal, tantum ipſi ferè ſanguinis vitulini reddidit. Clauſo vulnere vervecis & ligato, vix tam citò ſe ſenſit liberatum, quin, cum animadverteret canem quendam Hiſpanicum, cui infuſus erat ſanguis vervecis, capite ipſum tribus vel quatuor vicibus petierit, à quo tempore quam optimè ſe ſemper habuit.

*Thomas Coxius* ejuſdem generis Transfuſionem de vena in venam exercuit, in catulo nimirum vegetiſſimo, cui 15. aut 16. ſanguinis uncias ex alio quodam cane annoſo

pariter atque ſcabioſo infudit viſurus, utrum ſcabies quoque cum ſanguine communicaretur. Succeſſus experimenti hic fuit, ut junior inde non malè ſe habuerit, ſcabioſus autem decem aut duodecim poſt diebus omninò ſanatus fuerit, quando ſine dubio ſanguinis evacuatio ſanitatis ipſi reſtitutæ cauſa fuit.

Pauco poſt tempore Doctores, *Richardus Lowerus* & *Edmondus Kingius*, Transfuſionem in Homine, ſed ex arteria in venam, non verò ex vena in venam, uti in experimentis tribus illis antecedentibus experti ſunt, inſtituerunt. Primò ſex aut ſeptem ſanguinis uncias ipſi emiſerunt, quo facto 9. circiter aut 10. uncias ex arteria agni carotide illicò ipſi infuderunt. Hic ipſe homo de magno illo calore, quem ſenſerunt illi, in quibus Transfuſio in Gallia experta eſt, haud conqueſtus eſt. Sed hoc negari nequit, ſanguinem, quia canales fuêre valdè longi, tantum perdidiſſe caloris, viſum eſſe, quantum ad reductionem, quò temperamento ſanguinis venarum reſponderet, opus fuit.

Poſt hanc operationem peractam adeò ſe benè habuit, ut poſt quatuor dies repetitionem ejus inſtanter fuerit ſollicitatus. Verùm commodum magis eſſe judicatum eſt, ut adhuc per aliquod intervallum temporis differretur operatio.

*Huc uſque Ephemerides Anglicanæ.*

EXperientia potius eſt, quàm ratio, quæ in quæſtionum Phyſicarum deciſione maximam partem exſpectanda. Quam ob rem etiam *Diogenes Zenonis* argumenta, quibus omnia in mundo immobilia eſſe contendebat, optimè omnium deambulatione ſolvi poſſe credidit. Idem etiam Epiſtolæ hujus Auctor aſſeverat, nihil moratus rationes illorum omnes, quas contra Transfuſionem produxerunt, non niſi experientiâ refutare eas cupit; omniumque, quas dare poſſet ad illorum conjecturas reſponſionum loco, in hac Epiſtola illud narrat, quod in ſanatione cujuſdam Dementis, cui mediante hac operatione rationis uſus reſtitutus eſt, contigit.

Annos circiter fuiſſe obſervat octo, quod miſer ille homo, qui antea animi donis pollebat egregiis, inge-

nii vires perdiderit. Equidem negari non poteſt, quin dementia ipſi fuerit periodica, quodque nullus præterierit annus, in quo non ſenſerit per intervalla interdum aliquod levamen. Nihilominus tamen malum ipſi nimis ſemper fuit diuturnum, neque intra octo vel decem menſium ſpatium ſæpe ſine ullo interpoſito intervallo remiſit.

Ultimus ipſi Paroxyſmus obtigerat ante menſes circiter quatuor, idque tanta cum violentia, ut ab illo tempore per plateas curſitaret, & neque die neque nocte ſomnum caperet; ita ut de valitudine ipſi reſtituenda deſperaretur omninò, propterea, quòd remedia eo uſque adhibita omnia non niſi morbum magis magiſque irritaverint. Nihilominus tamen cum Transfuſionem forſan quoddam ipſi levamen afferre poſſe, aut ſaltem nihil ipſi amplius mali allaturam eſſe crederetur, *Monmorius*, primarius Libellorum ſupplicum Magiſter, miſericordiâ tactus, inſanum apprehendi jubet, eumque curæ *Dionyſii* atque *Emmereſii* ad operationem iſtam ſuſtinendam tradit.

Omnibus itaque benè præparatis, ex vena quadam dextri brachii die Lunæ, qui 19. Decembris dies erat Anno 1667. decem ſanguinis unciæ emiſſæ ſunt, eique illicò, multis Medicis præſentibus, ſex ſanguinis vitulini unciæ infuſæ, ex aperta vituli arteria crurali. Et hæc prima Transfuſio affectum ipſius moderatiorem reddidit. Unde cùm commodum judicaſſent Medici, ut repeteretur operatio, ſequenti Mercurii die ultra unam libram ſanguinis vitulini ipſi infuderunt.

Durante utraque operatione multum iis in locis, ubi fluebat ſanguis, ſecundùm brachium & infra axillas, ſe ſentire caloris teſtatus eſt; ſecundam verò operationem ſudor præterea per univerſam faciem inſecutus eſt, cum violento renum dolore, ingentique per inferiora æque ac ſuperiora evacuatione, cumque alto tandem ſomno, decem horas ſine intermiſſione continuas capto. A quo cum excitatus eſſet ægrotus, multò apparuit tranquillioris naturæ, quàm antea, ita ut vires ipſi ſenſim ſenſimque redierint, adeò, ut nihil amplius inſaniæ ipſi reſtiterit.

Quòd verò præprimis notabile eſt, poſtridie factæ ſecundæ Transfuſionis magnam urinæ omninò nigrican-

tis copiam, ita ut ingens vitrum impleverit, excrevit, nec minus die ſequente proximo naſus quoque ſtillavit ipſi ſanguinem adeò, ut duæ vel tres patellæ fuerint impletæ. Hâc Epiſtolâ omnes hæ circumſtantiæ, cum aliis rebus ſingularibus & notatu dignis pluribus, prolixius explicantur.

*Huc uſque Denys.*

## *Explicatio reliquarum figurarum hujus Tabulæ.*

Litera (*a*) eſt Forfex cum cuſpide acuta, ad cutem, poſtquam novaculâ præciſa eſt, ulterius dilatandam, ut tubulus facilius in venam immitti, & ligari poſſit.

(*b*) Eſt culter inciſorius, quo cutis animalis, à famulo elevata, inciditur.

(*c*) Exhibet novaculam.

(*d*) Eſt hamulus, quo arteria, venave elevatur, & à cute ſeparatur.

(*e. e*) Sunt incurvati tubuli, qui vaſis immittuntur.

(*f. g*) Sunt incurvatæ acus, quæ infra vaſa ſanguifera ſubmittuntur; ad intromiſſos tubulos contentis filis devinciendos.

(*h*) Eſt Lanceola ſive Phlebotomum vulgare, quo vena vel arteria incidi ſolet.

(*i*) Sunt faſciæ, quibus canis circumvolvitur, ad irregulares motus impediendos.

(*k*) Eſt ſpecillum, ad magnitudinem vulnuſculi vaſorum explorandam.

(*l*) Exhibet acum, cum contorto filo, quâ inciſa cutis conſuitur.

Tubuli ex inteſtinis anatum, aliorumve volucrum, ex inventione *Reineri de Graaf*, huic operationi reliquis commodiores videntur.

# TABULA XII.

## *Alia Transfuſionis Inſtrumenta, novumque* Pauli Manfredo *Medici Romani, &* R. Loweri, *ſanguinem transfundendi apparatum exhibens.*

TUbuli hi vitrei ſunt, per quos, utpote læviores, ſanguis melius fluit. Perſpicuitas horum tubulorum ſanguinis fluxum viſui exhibet; quorum omnes incurvati ſunt, ſed aliqui in duas diviſi partes, ut *Figura* (*a & b*) demonſtrat, ea ratione, ut dictæ extremitates ſe mutuo recipere poſſint. (*c*) Eſt tubulus vitreus continuus incurvatus, & in extremitate ad calami receptionem adaptatus. (*f*) Sunt tubuli vitrei mediante veſica connexi, ſecundum opinionem *Balthaſaris Coluſzi*, quæ unciâ ſanguinis repletâ manu comprimitur, ad ſanguinis fluxum majori facilitate, juxta arbitrium Medici procurandum. Hæc tubulorum figura â dicto *Hippolito Magnani*, ad majorem perfectionem reducta eſt, tribus inteſtini flaccidi portionibus in ſe mutuo immiſſis, ut ea ratione ſanguinis ejaculatio melius cohiberetur, ut *Figura* (*g*) demonſtrat. (*d*) Exhibet apparatum ſectionis in vena, ad ſanguinem transfundendum. (*e*) Exhibet apparatum ſectionis arteriæ, ejuſdemque ligaturæ.

FIG. I. (*a*) eſt Fiſtula argentea; (*b*) pars ejus, quæ venæ vel arteriæ inſerenda eſt, & circulari annulo duplici & eminenti (*c. c*) donatur, quo ſecurior deſuper ligatura fiat.

FIG. II. exhibet Fiſtulam argenteam pro ſanguine in brachium humanum tranſmittendo formatam. In qua (*a. a*) eſt Fiſtula argentea; (*b*) pars ejus minor, que venæ brachii inſerenda; (*c*) pars ejus major, ubi ſanguinem excipit; (*d. d*) duo ejus folia utrinque perforata pro trajiciendo filo, quo bractea brachio alligetur; (*e*) ſinus in medio inter utrumque folium excavatus pro fiſtula immittenda commodius excipienda, qui venam ſubjectam adeò comprimit, ut nihil interim ſanguinis ex illa exſtillare aut erumpere poſſit, atque ſatis aptè comparari poteſt foveæ in medio labii ſuperioris humani.

Fig. III. exhibet fiſtulas arteriæ emittenti & venæ recipienti adaptandas ante ſanguinis transfuſionem. In qua (*a*) eſt arteriá cervicalis emittens; (*b*) eadem nodo iterum ſolubili arctè ligata; (*c*) fiſtula pro ſanguine vehendo arteriæ immiſſa; (*d*) locus ubi arteria ſuper fiſtulam inter annulos arctè ligatur; (*e*) fiſtula pro ſanguine excipiendo & in venam jugularem tranſmittendo; (*f*) vena jugularis; (*g*) locus ubi vena fiſtulæ arctè alligatur; (*h*) vena ligata nodo iterum ſolubili.

Fig. IV. exhibet arteriam cervicalem, ex equo vel bove exemptam, & fiſtulæ argenteæ utrinque adaptatam. In qua (*a*) eſt arteria cervicalis; (*b. b.*) fiſtula utrinque arteriæ adaptata.

Fig. V. exhibet totum ſimul apparatum ſanguinem ab uno animali in aliud transfundendi. In qua (*a*) eſt vena jugularis Animalis, in quod ſanguis tranſmittendus eſt; (*b*) fiſtula argentea venæ jugulari immiſſa; (*c*) vena arctè ligata ſuper fiſtulam; (*d*) vena ligata nodo facilè ſolubili ultra fiſtulam; (*e. e. e*) cervicalis arteria & fiſtulæ intermediæ, quæ ſanguinem à fiſtula immittente in recipientem vehunt; (*f*) fiſtula argentea ab arteria emittente ſanguinem excipiens; (*g*) arteria alterius animalis ſanguinem emittens; (*h*) locus ubi arteria fiſtulæ incluſæ arctè alligatur; (*i*) locus ubi eadem ultra fiſtulam ligatur nodo pro occaſione iterum ſolubili.

Fig. VI. exhibet eundem apparatum pro transfundendo ſanguine à bruto in hominem, cujus uſus ex priore ſatis intelligi poteſt.

Cùm igitur exeunte *Februario*, *Anni* 1665. *Transfuſio* à me primò perfecta fuerit; atque *Clariſſ. Boylæi* literæ ad me datæ ſexto *Junii ſequentis*, & proximo *Decembri* Reſponſum noſtrum *Philoſophicis Transactionibus*, quæ jam tum typis mandabantur, inſertum: *Dionyſii* autem nulla ſuper ea re mentio niſi integro poſt anno facta fuerit, & præterea ipſe fateatur (utcunque jam ante decennium, ut ait, de ea aliquid animo conceperat) eſſe tamen transfuſionem poſſibilem, & quo ea modo fieri poſſet ex libellis philoſophicis primum intellexiſſe: Cui demum tribuenda ſit hujuſce experimenti inventio aliis judicandum relinquimus.

Sed cùm quorundam hominum ea indoles atque animus

mus ſit, ut nihil placeat, quod ipſi non invenerint, nihil benè & feliciter excogitatum ſit, cujus ſeſe Auctores eſſe non venditent, non erit mihi admodum moleſtum, utique nullatenus conſcio vel cogitati de ea re cujuſpiam à quopiam alio, atque inſuper de ea à me perfecta Clariſſimorum virorum teſtimoniis abundè ornato: Nullus interim dubito, quin magno generis humani commodo inventum illud, cujus ſit, celebrabitut, ſi conſulta & prudenti manu peragatur.

Quippe non eſt quod cogitemus, ſanguini humano illum cæterorum animalium minus, quàm inter ſe mutuò congruere, quod tum nupera Gallorum experimenta abundè confirmant, & nos etiam non ita pridem experti ſumus in quodam *A. C.* amabili quadam inſania detento, cujus brachio diverſis temporibus ſanguinis ovini aliquot uncias in conventu *Regiæ Societatis* immitti curavimus, atque id abſque omni ejus incommodo: Verùm amplius, ut nos hoc in eo cum aliquo etiam ipſius fructu experiremur, ſtatueramus hoc idem, ad mentem illi ſaniorem procurandam, aliquoties repetere, niſi genio illi magis quàm ſaluti ſuæ conſulens ſpes noſtras omninò eluſiſſet.

Verùm enimverò cum ex æquo non omnibus competat alienum ſanguinem admittere, neque ullum ſit tam utile remedium, cui temeraria atque importuna adminiſtratio infamiam non facilè intulerit, operæ pretium fore exiſtimo, ſi paucis ſaltem & breviter innuam, in quibus corporibus & quo potiſſimum valetudinis ſtatu Transfuſio tentanda ſit.

Quorum igitur ſanguis valdè putridus diuque corruptus eſt, aut extraneo & venenato fermento penitus imbutus, tum quibus viſcera inquinata & labefactata ſunt, prout in ſcorbuto, lue venerea, lepra, veneno, aut morbo aliquo diuturno & putrido infectis paſſim accidit, non eſt quod beneficium aliquod aut juvamen ex transfuſione exſpectent.

Nimirum impurus ſanguis, repetito per viſcera tranſitu, vitia atque inquinamenta ſua iis affigit, fermenta eorum corrumpit, & tandem propria qualitate ac indole imbuit, novusque aliunde è quocunque licet ſano animali ſubſtituatur, dum per eaſdem partes continuò circulatur, contracta labe in eandem diatheſin citò degenerabit, non ali-

aliter quam vinum à mucido vaſe odorem & vitium mox contrahit.

*Sincerum niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit.*

Verùm è corporibus benè conſtitutis ſi fortè importunâ venæ ſectione, illato vulnere, aut quacunque demum hæmorrhagia, ſanguis eâ copiâ detractus aut deperditus ſit, ut ſubſidium aliunde præſentaneum requirat; nullus dubito, quin brutorum ſanguis in amiſſi locum ſecurè poſſit & cum fructu ſubſtitui. Quin etiam in artrhiticis & maniacis, quorum corpora robuſta, firma viſcera, & cerebri craſis nondum vitiata, quin & ſanguis nulla putredinis labe infectus eſt, fortaſſis non minus beneficium ex recentis ſanguinis infuſione, quàm veteris detractione ſperandum eſt.

Quamobrem ut majore hominum fiduciâ & operandi conſuetudine celeberrimi hujus experimenti uſus confirmetur, atque utilitas innoteſcat; mihi profectò res viſa eſt non indigna, quæ medicorum omnium curæ, & ubicunque experiundi occaſio ſeſe obtulerit, univerſo orbi commendetur.

Interim hoc ſaltem Genti noſtræ ſeu felicitati, ſeu etiam laudi tribuatur, quod uti *Harvejus* ſanguinem intra propria vaſa *circulantem* corpori ſuo vitam præſtare primò docuit; ita & eum extra corporis ſui ambitum, ad alterius ſalutem *transferri* poſſe, à nobis primò detectum ſit.

*Huc uſque Doctor Lower.*

## Tabula XIII.

## *De perforatione Hypopyi.*

Figura. I. demonſtrat *Hypopyum* inter tunicas oculorum, quod eſt collectio puris in pupilla oculi. Hoc pus quandoque ita ebullit, ut pupillam totam occupet. Cauſa duplex eſt, interna, & externa.

Cauſa externa originem ſumit à violento motu, ut caſu, ſaltu, ictu, tuſſione, vociferatione, elevatione, vel ab

ab aliis corporis exercitiis, per quæ venulæ, vel in proceſſibus ciliaribus, quibus continetur humor cryſtallinus, vel in membrana uvea, nimis aperiuntur aut rumpuntur, ubi inſtillatus & extravaſatus ſanguis in pus mutatur.

Interna cauſa varia eſt, ut febris, inflammationes meningum, cephalææ, animi pathemata, quæ omnia humores poſſunt in internam oculorum ſubſtantiam ex arteriis propellere & effundere.

Si hic oculorum affectus generalibus, ut venæ ſectione, cucurbitulis, purgationibus, veſicatoriis, topicis, exſiccantibus, aut digerentibus collyriis, cataplaſmatibus, hiſque ſimilibus non mitigetur, Medicus Chirurgiam in uſum vocet, ut Figura demonſtrat: quia non exſpectandum, ut pus membranam corneam, uveam & proceſſus perforet, unde non ſolùm Patiens uſu oculi, ſed & ornatu privaretur.

*Galenus* memorat, ſuis temporibus expertum Ophthalmiatrum, nomine *Juſtum*, ægros impoſuiſſe ſedi, & manus alligaſſe lateribus capitis, qui tam diu illud concutiebat, donec abſceſſu rupto pus deſcenderet; diſcuſſo pure applicabat topica diſcutientia; ſed providus *Galenus* hanc methodum improbat, & ſuadet inciſionem iridis, ut collectum pus extrahatur, ad quam operationem perficiendam aptum foret inſtrumentum, quo pus per inciſionem exſugitur. Hoc inſtrumentum *in epiſtolis Burrhi* depictum cernitur.

Ut hæc operatio ad felicem perducatur exitum, æger A. imponitur ſedi B, opponitur autem luci, oculo incolumi ligato linteo C, caput D. pectori ſervi E. imponitur, ejuſque manibus apprehenditur. Poſtquam Chirurgus ſiniſtrâ manu palpebras deduxerit inſtrumento depicto, intrepidè membranam corneam terebrat, hinc pus effluit.

His peractis, linum quadruplicatum hoc aut ſimili fomento imponitur & applicatur.

℞. *Aqu. Plantag.* ℥iiij.
*Roſar.* ℥ij.
*Liquor. album. ovi* ℥ij.
*Troch. alb. Rhaſ. ſine opio.* ʒij.
*Mucilag. ſem. Cydon. & Pſyll. cum*
*Aqu. Euphrag. extr. ana* ℥j. *M. F. Epithema.*

Hoc

Hoc repellente & anodyno collyrio duobus aut tribus utitur diebus, donec dolor & inflammatio mitigetur, tunc ad abſtergentia & conſolidantia deveniendum.

℞. *Aqu. Roſar.*
*Fœnicul.*
*Euphrag.*
*Plantag. ana* ℥j.
*Syrup. de Abſinth.* ℥vj.
*Aloës.*
*Myrrh. ana* ʒß.
*Sal. Saturn.* ℈j. *M. F. Collyrium.*

Hoc calefacto, plumâ, aut penicillo oculus quater aut quinquies illinitur.

Mundato vulnere oculi præſcriptis utendum ſtipticis & cicatricantibus remediis.

℞. *Aqu. Plantag* ℥iiij.
*Roſar.* ℥j.
*Tut.* ʒj.
*Lap. calamin.* ʒß.
*Vitriol. alb. gr. v.*
*Sach. cand. albiſſ.* ʒij. *M. F. Collyrium.*

His benè adhibitis remediis ſequitur perfecta cura, modò æger ſæpius hoc *Meſuës collyrium* de die adhibeat.

℞. *Ceruſſ.* ℥j.
*Opii. gr.* x.
*Sarcocoll. lact. nutrit.* ʒx.
*Gum. Ammoniac.*
*Croc.*
*Thur. ana.* ʒj.
*Tragac.*
*Gum. Arab. ana.* ʒß.
*Aqu. Pluvial. q. ſ. F. Sief.*

FIG. II. Inſtrumentum, quo Hypopyon debito loco perforatur, in ſequentibus traditur.

Litera (*a*) demonſtrat incluſum inſtrumentum, quod ex optimo conficitur ferro; (*b*) eſt tornatum operculum, quod ſeparatum eſt â fiſtulâ (*c*); in qua pixide nodata pungens cochlea, cujus acumen (*d*) ſignatum & nodus litera (*g*) annecti debet, ut inſtrumentum (*e*) deſignat; nodus (*g*) adhæreat inſtrumento, ne in punctura altius in oculum feratur, quàm nodus permittit; quod tanta per-

perfectione non fit phlebotomo, quamvis hoc tempore, dum hæc ſcribo, hanc operationem dexteritate *Petri de la Noue*, in D. *Broecks*, mercatore orientali, ſimili affectu laborante, hoc modo perfecerim, & phlebotomo communi apertâ membranâ corneâ ſtatim pus effluxit, ſed pus detentione nimia & calore continuo incraſſatum, fluiditatem amiſerat, hinc una vice educi non poterat; altero die dilatato vulnere pus evocavimus omne, curationem præſcriptis medicamentis abſque ullo incommodo promovimus. Hoc notandum eſt Chirurgis, operationem melius duobus diebus perfici, hoc eſt, duabus iteratis vicibus, quia durities membranæ corneæ aciei phlebotomi reſiſtit, ut non benè una inciſione abſolvatur, & ſi vi inſtrumentum agat, membrana uvea periculo læſionis ſubjacet; hinc ſecurius, ut ſæpius inciſio tentetur phlebotomo, donec pus in conſpectum veniat.

## TABULA XIV.

### *De Cataractis exſugendis, artificialium humorum in locum naturalium ſubſtitutione, & de medicamentis quoque purgantibus aliiſque venis injiciendis.*

CUm viſus tam acceptus ſit generi humano, ut ſemper eo frui ſit animus; quia medium eſt, per quod divitiæ augentur, vitæ proſpicitur, patriæ conſulitur, familia fortunâ beatur; hinc indefeſſa ſummorum virorum ingenia in remediis quærendis laboravêre, ut illum vitiatum reſtituerent, inter quæ non minimum locum illud obtinet, quod cataractas exſugit, de quo ille exercitatus Italus, *Rochus Mathiolus*, Chirurgus *Ferdinandi Caroli*, Archiducis Auſtriæ, de quo & *Joſephus Burrhus* in literis ſuis ad clariſſimum & ſummum noſtri ævi Anatomicum *Thomam Bartholinum* ſcribit. Has, utpote huic operationi peragendæ non inutiles, adjicere æquum duximus, poſtquam *Bartholini epiſtolam, Franc. Joſ. Burrho hac de re miſſam*, præmiſimus.

EPI-

# EPISTOLA

## De Oculorum Suffuſione.

*Illuſtriſſimo Viro*

## FRANCISCO JOSEPHO BURRHO THOMAS BARTHOLINUS

*S. D.*

NOn ſatis narrantium oculis hactenus habuiſſem fidem, quanquam certiſſimis, qui mihi artificium Tuum, læſos oculorum & exhauſtos humores reſtituendi, plena admiratione & propria αὐτοψίᾳ deprædicarunt, niſi idem nuperrimè mihi coſtantiſſimè confirmaſſes, liquore ipſo aureo monſtrato. In animalibus brutis, anſere, fele, agno, ſæpius factam à Te eſſe experientiam, Tibi narranti ſoli credo. Ulterius vero in homine periculum Te facturum, in Te recepiſti, meque iſtius operationis teſtem vis, quandocunque commodum ſubjectum oblatum fuerit. Interea dum hanc moram ægerrimè fero, diſcendi non dubitandi animo, quia in hoc artificio magna ſanitatis humanæ pars conſiſtit, Excellentiſſimam Tuam pennam ſollicito, quam pleno officio non ita pridem obtuliſti. Orbem univerſum excitaſti famâ inſolitæ operationis; prorſus exſatiabis, ſi, ex condicto, ſeriem mihi modumque detexeris, & aurei liquoris compoſitionem. Quicquid mihi revelaveris, Tibi in gloriam, quam tanto ſecreto meruiſti, æternam cedet; mortalibus verò, quibus invigilaſti, incredibili emolumento, ſi bona Tua cum venia, publicis chartis legatur. In autoritatem ſcientiæ Tuæ erit, tantum myſterium plures docuiſſe. Fuêre quidem nonnulli, qui in hac oculorum palæſtra ſe ſtrenuos exercuerunt, ſed infra Tuam ſolertiam ſubſtiterunt. Cryſtallinus enim humor à ſuſcepto omnes deterruit, quanquam in aqueo & vitreo reſtituendo nonnihil operæ inſumpſerint. Illius ex vulnerato oculo effluentis regenerationem vidit *Galenus lib.* 1. *de Sympt. Cauſ. cap.* 2. obſervavit *Coiter* in *Obſ. Anat. Chir.* deſcri-

cripſit *Benivenius cap.* 74. *de Abd.* Exemplis illuſtravit *Schenckius* in *Obſervationibus Medicis.* Nec de vitreo inaudita res eſt, cujus defectum albumine ovorum ſupplevit olim *Duncanus Liddelius*, Medicus percelebris. Succum Ulmariæ menſe Majo collectum ab *Henrico ab Heer Obſ. Spod.* 4. in gallo gallinaceo & puella oculorum utrumque humorem reparaſſe ſcribitur. Quid ſtatuendum ſit de hiſtoria *Guicciardini*, eruti oculi & repoſiti, aliis relinquo judicandum. In ſuffuſione internis externiſque paſſim pugnatur. Aqua Anagallidis purpureæ deſtillata multos à ſuffuſione liberatos oculis inſtillata *Hollerius* prodit *lib.* 1. *cap.* 21. Sed de cryſtallino humore nemo hîc cogitavit, in quo reſtituendo ingenium manuſque hactenus nullus obſtrinxit. Hunc tam difficulter poſſe reparari, quàm periculosè abeſſe, ab omnibus creditum. Medium quidem tantum cenſetur, per quod ſpecies rerum viſibilium refringuntur, vel conjunguntur, eo tamen retina tunica carere non poteſt. Hinc certa illi figura aſſignata pro vario viſus modo, tunica ſubtiliſſima obvelata chryſtalloidea, quæ retinæ tunicæ eſt expanſio, adeoque nervoſa, ut prorſus difficilis videatur ejus regeneratio, & periculoſa læſio. Sunt quidem, qui Cataractam, ſeu ſuffuſionem, in humoris hujus fluiditate conſtituant, me invito nec conſentiente. Nam quando matura eſt & ſpiſſa, ſtylo curatur per depoſitionem ſeu remotionem humoris in cornea congeſti, ſalvo cryſtallino, medicamentis autem acrioribus & amaris in ſuffuſione necdum confirmata, non condenſatur cryſtallinus, ſed diſcutitur humor extraneus, qui ſe cryſtallino oppoſuit, idque certis obſervationibus, monente *Celſo lib.* 6. *cap.* 6. §. 35. Incraſſationem cryſtallini *Quarreus* Pariſienſis invexit poſt *Galenum lib.* 1. *Sympt. Cauſ. cap.* 2. ſed vel incurabile malum indicat, vel ſi depoſita fuit unquam ſuffuſio, talem cryſtallinum reliquit, qualem invenerit. Habet quippe conſiſtentiam duriuſculam, quæ vel calore exſiccatur magis, vel ab aëre, ſicut in exemptis hominum, brutorumque & balenarum cryſtallis obſervavimus. Plerumque igitur ὑπόχυσις ſe oculi pupillæ opponit, non vitians cryſtallinum, niſi alius affectus conjungatur. *P. Vegetius lib.* 2. *Art. Veter. cap.* 16. ſuffuſionem non hoc (non *viſu*, ut rectè corrigit *J. Sambucus*) indicio declarari docet, quod in pupilla ipſa ima-

imaginem tuam tanquam in ſpeculo videre non poſſis. Morientium aliàs ſignum id veteres ſuperſtitioſi habuerunt. De *Pertinace* enim Imperatore *Ælius Spartianus:* Ea die, qua occiſus eſt, negabant in oculis ejus pupillas cum imaginibus, quas reddunt ſpectantibus, viſas. *Servius* Grammaticus ad *Virgilium*, ex Phyſicis refert pupillas in oculis morientium ante triduum non haberi, imo ipſo mortis tempore albeſcere. Quod malè ad hunc *Virgilii* verſum ex *lib.* 4. *Æneid.* notat:

*Dat ſomnos adimitque, & lumina morte reſignat.*

Reſignare enim hic eſt aperire, ut rectè interpretatur *Adr. Turnebus lib.* 24. *Adv. cap.* 26. idque ex Romana conſuetudine, qua mortuis in rogo oculi aperiebantur, qui ante domi ab amicis clauſi fuerant, ut neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas eſſet, & cœlo non oſtendi nefas, ſicut loquitur *Plinius lib.* 11. *cap.* 37. In his tamen non cryſtallini vitium notatur, ſed luminis caloriſque innati defectus. De cœcitate alia res eſt, quam cryſtallini humoris vel vitium vel defectus provocat, cui inaudita felicitate remedium ſuggeris. Cœcitatis cauſam eſſe cryſtallini effluxum ſuâ experientiâ probat *Felix Platerus lib.* 1. *Obſ. p. m.* 114. ejuſque defectum fuiſſe in cataracta nigra cum vitreo in aquam reſoluto, obſervavit *Guern. Rolfincius lib.* 1. *Diſſert. Anat. cap.* 13. Ex lamellis compoſitum in oculo cœcæ mulieris vidit *Stenonius* noſter in *Anat. Charcar.* Quicquid ſit in his aliiſque Tu Lynceus doces ſuperare Polyphemum. Ex quacunque enim cauſa cryſtalli vitium in quocunque affectu dependeat, modo integræ ſint tunicæ, Tuus ſpiritus pollicetur ſalutem. Sed Te audire de hoc arcano diſſerentem arrectis auribus mecum curioſi omnes exoptant, ut tandem tantæ operationis exſpectationem magnificè expleas. Certus ſum, non paucos dubitare, nec ignoro, alios laudem primam Tibi invidere. Hos ſperne, illos doce, ſed ama applaudentes. Dubitantes doce, quibuſnam oculorum affectibus arcana Tua Operatio proſit. An ad guttam ſerenam auxilii quid ſuperſit? An caligantibus ex lippitudine vel propter ſenectutem oculis exinde viſus reducatur? Præterea ſcrupulum exime ſatis moleſtum, qua vi ſimplex ſpiritus in tri-

plicis

plicis medii conſiſtentiam diverſam variamque figuram concreſcat? Quo modo cryſtallinus humor ita de novo efformari poſſit, ut nec inſolita figura variet, nec à ſitu priori aberret, quo inhibeatur, ne, ſi ſitus peccet, res una gemina videatur, vel vitiata figura globi in antica parte vel poſtica peccans myopes, &c. efficiat. An in homine major vel difficultas vel apparatus requiratur? An pro oculorum in individuis diverſitate, curatio varianda? An cum naturalibus humoribus paria faciant novi regenerati, ætatemque ferant? An poſt expreſſionem humorum, ad priſtinum globum oculi reduci queant manuum opera, vel ligatura, vel ſponte ſua ab infuſis denuò ſpiritibus? Quid tunicas ſubtiliſſimas reſarciat? Quæ inſtrumenta deſiderentur ad operationem tam arduam, nec ullius veſtigiis tritam? Elegans fuit olim per nares curandæ ſuffuſionis ratio ex auctoribus Veterinariis à *P. Vegetio lib.* 2. *Art. Veter. cap.* 21. tradita. Tenuem fiſtulam in foraminibus ſubtiliſſimis in ipſa calloſitate (*malim legere, cavitate*) narium inſerit, per quam ille, qui curare debet, os plenum vino inſufflet, ut merum penetret per interiores venas ad oculum. Foramina illa accuratius deinde detecta & deſcripta fuerunt à *Stenonio* noſtro in *Obſervat. Anat.* Revixerunt illa, cum ipſa operatio perierit. An vero oculus ipſe extra orbitam eliciendus, inter neſcios quæritur? Hanc oculorum expreſſionem *Ægineta* fuſius perſequitur *lib.* 3. *cap.* 22. & *Actuarius lib.* 2. *M. M cap.* 7. Et quibus rumpuntur ita oculi, poſteaque adeò extant, ut pupilla loco mota videatur, ullo tempore, aut arte, ut videant, opem ferri poſſe negat *Hippocrates lib.* 2. *Prædict.* Nihil de hoc ἐκπιεσμῷ in amico colloquio ſubmonuiſti, ut valdè dubitem de fide Dn. *de Monconys* Galli, qui de ſecreto Tuo ex relatione Canonici *Septalii* Mediolanenſis differens *in Itiner. tertio Italiæ pag.* 492 hæc ſcribit: *Il me dit que le ſecret de* Borri *de remettre la veüe à un animal apres luy avoir ſorty l'oeil de la teſte, & l'avoir inciſe dans l'humeur aqueuſe, pourveu qu'on n'eut point bleſſé le nerf optique, ny les autres humeurs, eſtoit de mettre dans la playe du jus de chelidoine grande, & puis la couvrir avec un peu du marc; mais qu'il faut que l'operation ſe faſſe ſur le marbre, & empecher que l'animal ny touche & ne l'ouvre, ce qu'il fera ſi l'on n'en à grand ſoin a cauſe de prurit que cela luy cauſe.*

Dd Nec

Nec ſatis ex dignitate & amplitudine Tuæ artis, ſolius aquei humoris meminit, cum omnes ſine diſcrimine exprimere poſſit & reſtituere. Cæterum de Chelidonio majori, hujus ſecreti particula, quæ *Septalius* ſuggeſſit, an Tuo calculo approbes, aperire mihi non gravaberis. Quod ſi feceris, non novorum tantum Naturæ munerum Te inventorem, ſed veterum quoque Medicorum lectione communem ſæculi hujus eruditorum ſortem & diligentiam ſupergreſſum agnoſcemus. Nihil enim in oculorum vitiis emendandis, inprimis in ſuffuſione curanda præſtantius Chelidonio majori veteres Medici invenerunt, idque vel manifeſta vi detergendi & diſcutiendi in ſuffuſione, vel occulta ratione in cœcitate quacunque. De ſuffuſione *Galenus lib.* 8. *ſimpl. Med. Facult.* Succus ejus ad acuendum viſum commodus eſt, utique in quibus craſſum quiddam in pupilla colligitur digeſtione atque diſcuſſione indigens. Validè enim abſtergit, conſentiente *Ægineta lib.* 7. *cap.* 3. unde ſuccum ejus claritati oculorum utilem ait. *P. Vegetius* quoque *lib.* 2. *Veter. cap.* 16. in Stenochoriaſi radicem fœniculi, & herbam chelidoniam vel rutam decoquit ad tertias, & quotidiè eâ aquâ oculum fovet. *Dioſcorides*, qui magnum momentum huic argumento affert, *lib.* 12. *cap.* 21. ſuccum in æneo vaſe cum melle & prunis decoctum, oculis claritatem teſtatur addere, propter mordacem acremque ſuccum. *Idem* in fine capitis ad cœcitatem occulto principio commendat, ſed ex aliorum narratione, hirundines enim matres excœcatis pullis, admotâ herbâ viſum reſtituêre. Sequitur *Dioſcoridem Avicenna*, *lib.* 2. *tr.* 2. *cap.* 199. Etiam oculis erutis id præſtare *Plinius*, *lib.* 25. *cap.* 8. auctor eſt, ſed, quia dubitat, addit; *ut quidam volunt.* Nam fabulam vocat *Celſus*, *lib.* 5. *cap.* 6. Nobis vero ad veterum dubitationes ſufficit, *Burrhum* dixiſſe, qui vetera confirmat, nova reperit veteribus ignota, ubique magno ingenio & pari Naturæ experientiâ regnat. In veterum tamen excuſationem eleganter *ad Symmachum Auſonius Edyll.* XI. Alius alio plura invenire poteſt, nemo omnia. Sed Te, *Illuſtriſſime Burrhi*, pro oculis per oculos rogabo veteri more, &, ut cum *Mileſio* Scriptore, ex magni *Lipſii* emendatione, Epiſtolæ præter ſpem, non præter officium prolixæ, finem imperem: Patere, oro Te, inquam, dum

dictat occaſio, magno & ſingulari me affectionis tuæ fructu perfrui, & impartire publico artificium oculorum tanto opere deſideratum, per iſtas tuas pupillas: ne poſthac ullus timeat oculorum fidem. Vale diu, Naturæ ocelle, ut, qui tam acutum vides, aliorum quoque lumina porrò illuſtres. Scripſi in *Tuſculano meo Hageſtedano* 33. *Januar.* clↄ Iↄ CLXIX.

# EPISTOLA

## De Artificio Oculorum humores reſtituendi.

*Clariſſimo*

## D. THOMÆ BARTHOLINO.

TIbi hoc ſæculo vero Palladis oculo abſque ſuſpicione exoculatæ mentis denegare nequeo communicationem artificii, quo multoties diſſectos profundè ac transverſim brutorum hominumque oculos ad priſtinum ſtatum tam feliciter reſtitui Amſtelodami, ut nec litura cicatricis minima ſupereſſet. Præmittenda tamen erit primum hiſtoriæ narratio, qua certior fies, quo modo pervenerim ad arcani hujus cognitionem. Commorabar Romæ ſtudiorum cauſa, cum ad aures meas fama deferret à Sereniſſimo atque Muſarum omnium Generoſiſſimo Fautore, Principe *Joanne Paulo Jordano Urſino*, nunquam ſatis laudandæ memoriæ, diſſectos pariter & reſtitutos fuiſſe oculos multorum animantium, artemque eidem inſinuatam ab Equite Neapolitano ob tumultus bellorum civilium exſule à patria. In immenſum flagrabat animus amore hujus tam raræ ſcientiæ, ut neſcio quid non impendiſſem argenti, quò tandem poſſem tanti arcani particeps fieri. Sed Eques ab urbe Romana diſceſſerat in patriam, quam propter unicam hanc cauſam adire decreveram. Interea peſtis funera, epidemico luctu defœdant prius *Neapolin*, ſubinde *Romam*, & me poſt viginti duos annos conſumptos in ſtudiis & experimentis Philoſophicis vindicant patriæ meæ *Mediolano*, & magno animi dolore removent à deſiderato colloquio præfati Equitis. Hinc tam longè à veritate deflectunt ii, qui *Neapoli*, quam nunquam vidi, aſſerunt

à me exercitatam fuiſſe Medicinam: Sed hoc ſæculo corrupto licet nonnullis ranis fœtentibus, talia coaxando effutire mendacia è ſuis ſtercoreis atramentariis, ut veritatem confundant. Cùm igitur ex Italia in Germaniam & è Germania Amſtelodamum ſors varia me tranſtuliſſet, viſitabar ab humaniſſimo Equite *Roberto Sothuel*, natione Anglo, cui cum quædam rara in Chimicis oſtendiſſem, placuit in redhoſtimentum non ſolum propriis manibus patrare mirabile hoc artificium in oculis anſeris, verum etiam liquoris ſcientiam mihi ingenuè impartiri, quam nactus erat apud eundem prædictum Equitem Neapolitanum, cum forte fortuna ambo exciperentur Florentiæ eodem hoſpitio. Aqua hæc elicitur è foliis *Chelidoniæ* per M. B. cui ad arcendam putrefactionem ſuperadditur in phiola granum camphoræ: Hoc eſt totum arcanum mihi revelatum à Generoſo Equite *Roberto Sothuel*, & eſt unicum, quod illi acceptum refero. Sed ut reddam rationem villicationis meæ, adjiciam ea, quæ à me inventa ſunt.

Inprimis hâc aquâ reſtituuntur citiſſimè oculi exſecti avium, & tanta cum venuſtate micat in eis iris & fulgor radiorum, ut longè ſuperet pulchritudinem oculorum naturalium; imò in iis, qui bis diſſecti fuerunt, ad oſtendendam Medicis regenerationem omnium humorum, lævigantur tanto ſplendore renati oculi, ut niteant, quaſi eſſent gemmæ Orientales, cujus repetitæ oculorum Palingeneſeos in ſuis carminibus ingenioſum præbuit teſtimonium Doctiſſimus Dn. *Olaus Borrichius*. Sed ſummâ diligentiâ vitanda eſt nervi optici læſio, quæ ſtatim prohibet miraculi eventum. In quadrupedibus, quantumvis ſint catuli, diuturniori diligentiâ oculi ſciſſi reparantur. In equo bimulo, quia equorum humor cryſtallinus habet corneam duritiem, non ſucceſſit experimentum, ſed cum aqua majoris artificii inferius revelanda optato eventu potiti ſumus. Hac ſimplici foliorum chelidoniæ aquâ feliciter acies ſuas acuunt oculi cæſii, ut mei ſunt, qui ad diſtantiam ſeptem paſſuum legunt hodie characteres libri impreſſi in folio, & vice verſa quamvis minutam ſcripturam ſibi omninò prope appoſitam perfectè diſtinguunt. Poſt cæſios laudant vim hujus aquæ cærulei, glauci & albicantes. Sed nigricantibus exiguum ab hac lympha ſperandum eſt auxilium. Nequeo ſatis mirari cauſam, cur o-

mit-

mittant Medici in paranda aqua chelidoniæ radicis uſum, quam ſi tranſverſim ſecueris etiam hoc hiemali tempore, perfectè tibi referet imaginem oculorum pſittaci blandientis. Novi vetulam octogenariam Germanam, quæ poterat acu etiam quævis phrygia opera ſubtilliſſimè pingere ſine perſpicillis; & conſueta erat ſingulis annis ſemel in æſtate purgare oculos infuſa, ſed minima ſtilla liquoris expreſſi ab hac radice, qui dolores acerrimos excitans in eis educit humorem ſalſum, excipiendum ſubtili panno lineo & exſiccandum in gluten. Has vires de ſe modo in ſuccum, modo in aquam reſoluta promit chelidonia major. Sed efficacius remedium comparavit mihi exinde hoc à me excogitatum artificium: nam ejus vires longè excedunt operationes Neapolitanæ aquæ. Mandanda igitur ſunt terræ puriſſimæ virgineæ, cui ſit admixta vigeſima pars ponderis ex floribus ſulphuris, ſemina chelidonii in vaſe ferreo relinquantur ſub dio, donec adoleſcant in plantas, quarum pars altera in interlunio excerpatur unà cum radicibus, abſque ulla ablutione vel contuſione, à quibus fugatur æther ſubtiliſſimus inhærens poris omnium vegetabilium. Conjiciatur in cucurbitam vitream cum ſua galea roſtrata & recipiente optimè ferruminato: inde conſtruatur fimus artificioſiſſimæ ſubtilitatis ex ingenti quantitate chelidonii ad aërem expanſi per diem unicum ſub tecto pervio à Solis radiis arefacti; quo validè compreſſo infarciatur fovea lignea, in cujus meditullio poſt octiduum efferveſcenti ſepeliatur alembicus & ſpatio ſex hebdomadarum aqua extrahatur virium omnino admirandarum. Quibus nullatenus dubito præferri vires dulciſſimi phlegmatis Vitrioli Martis, modo inferius tradendo, deſtillati à me ad hoc officium, quod ſciam, primum adhibitum. Nam in reſtituendis oculis diſſectis nigricantibus prævalet chelidonio quovis artificio elaborato; præcipuè ſi in eo fuerit aliquoties extincta auri candentis libra ſemis. Plures Chimici ſpernunt hanc auri in potabilibus, ab antiquitate præſcriptam, extinctionem. Verum abſque experimento: quia non ſemel ego aſſecutus ſum curationes eryſipelatum & exedentis Morpheæ, ſimplici extinctione auri in liquoribus appropriatis. Imò ad ſedandam diarrhæam & cordis palpitationem in hanc uſque diem nullum præſtantius licuit experiri medicamentum ſimplici extinctione auri per an-

timonium trajecti, in vino, vel aquis florum roſarum borraginis, &c. & tandem deprehendi, quod auri pondus frequenter adhibiti ad hunc uſum inſigniter imminuatur; atque color ejus in ſuperficie, utut radians, rubigine ſubcinereâ atque ſubrubrâ obducatur. Et ne credas infici aurum à cineribus carbonum, ſcias omnia experimenta hæc à me inſtituta fuiſſe clauſo crucibulo, & non ſemel tentatam auri extinctionem in libra unica aquæ pluvialis aureo atque optimo vaſe exceptæ. Cumque â repetita extinctione aqua redacta eſſet ad quantitatem unciarum trium, color ejus videbatur lacteus, verum ſi ad ſiccitatem à diſtillatione urgeretur, relinquebatur cinis, ex quo in cupella aliquid auri colligebatur. Omnia compoſita diſſolvuntur à motu ignis & aquæ, quicquid alii ſentiant in contrarium hujus experientiæ innixæ ſolidiſſimo fundamento. Nec ſilentio nunc involvi debent animadverſiones de *Vitriolo Martis* opificio, à ſinceritate mea. Quin imo cum ſuperius docuerim per ſui fimi herbaceum artificium unumquodque vegetabile ad conſervandam in eo occultam qualitatum proportionem neceſſariò reſolvi debere, nunc quoque candidè aperiam modum quidem ſimplicem, ſed omnibus Chymicorum ergaſteriis hactenus inauditum: nempe excitandi ignem in frigido ferro. Sumantur recentis ac tenuioris limaturæ ferri libræ decem, aquæ fluvialis vel fontanæ puriſſimæ aut diſtillatæ libra una; manibus in amplo vaſe hinc inde ſubigatur, donec à crebrá agitatione æqualiter madeſcat limatura, qua vas vitreum ultra medietatem repleatur; ei ſua galea cum recipiente adaptetur & inter plures pannos ſiccos mundos collocetur, ita ut vas ab eis undiquaque ſit circumvolutum: elapſâ ſeſquihorâ præter propter vas mirum in modum non ſecus, ac ſolet calx viva, efferveſcet; & aquam transfundet mirabilis facultatis, tam ad uſum diſſectionis oculorum ſpadiceorum & nigricantium, quam ad alios inſignes uſus medicos. Et quanquam expers futura ſit acrimoniæ, multo tutius & efficacius vulgari omni liquore chalybeo ſuas vires exſeret, quia in ea qualitates ſunt planè diſſociatæ ab excrementis. Refrigerato vaſe limatura conſtipata erit in lapidem ferreum duriſſimum, ex qua elicitur Vitriolum ſuaviſſimum per ſingulare artificium meæ ſecretiori voluptati dedicatum.

Cæte-

Cæterum oculorum diſſectio requirit levem manum induſtrii Anatomici, quæ ſcindat longo vulnere humores, nec ultra oculorum orbitæ meditullium ferrum immittat: nam læſis profundioribus fibris, pullulantibus à nervo optico, erit curatio difficilis, aut infelix. A me nullæ tunicæ evelluntur, ſed molli digitorum preſſione humores tantum ab illis eliciuntur. Sed ſi, ut plerumque contingit, viſcida ſiccitate laborent membranæ, artifici tunc opus eſt longiori temporis ſpatio, & ſolertiâ ſummâ, in repurgandis filamentis continuo manantibus ab utroque vulneris margine, eaque ſemper detergenda veniunt liquoribus ſuperius indigitatis. Non ſalutaſſem è longinquo medicinæ fores, niſi tecum agnoſcerem diſſectos oculos facilius in juvenibus reparari quàm in ſenibus, quia juxta *Stenonii* laudandam obſervationem, humor cryſtallinus nondum in pubeſcentibus in multiplicia concrevit velamina; cum alioquin idem longo tempore elixatus & ab aëre exſiccatus examinante contuſione craſſa, & microſcopio repræſentaverit aliquando mihi innumeras quaſi ſubtilis furfuris ſquamulas. Cum piſces elixati heri veſperi mihi inter fercula apponerentur, excerpebam ex eis humores cryſtallinos, quos leniter ab hypocauſti calore exſiccatos, in concavas lamellas diſſilientes monſtravi. Quæris, quomodo altrix natura conglomeret ſpiritus harum aquarum in humorem cryſtallinum? Citra omne dubium molitur hanc indurationem per tubulos nervi optici, ex quibus affluunt ſpiritus ſubtiliſſimi, aërei, elaborati ad vitam omnium humorum & membranarum. Et quia calor coarctatur in centro uniuscuiuſque globi, ut patet in cacabo bullienti, cujus tota ſuperficies tam fundi quam operculi impunè digitis tangi poteſt, etiam in ſummo ejus fervore. Propterea humor cryſtallinus, ſi pori in medio nervorum non ſint obſtructi, neceſſariò debent indurari à centrali calore vivificante. Nullâ ligaturâ aut alio inſtrumento quàm cultro opus eſt ad hanc reſtitutionem. Mihi non fuit incognitum experimentum ſuccurrendi per nares oculorum hebetudini. Quo loco non omittendam cenſeo mentionem rari inſtrumenti ad deponendas oculorum Cataractas inventi à Nobili Dominò *Roccho Mattioli*, Chirurgo Italo, olim à ſervitiis Archiducis FERDINANDI CAROLI Auſtriaci, nunquam ſine lachrymis ad piam me-

memoriam omnium Heroum atque Sapientum à me revocandi tum ob regias animi dotes, tum ob ingentia honorum & divitiarum in me cumulata beneficia. Artifex iſte excogitaverat arundineam acum deſinentem in vacuum mucronem, qua penetrare oculos & per eam oris ſuctu extrahere poſſet cataractas; ſed cum exilis orificii anguſtia & craſſities membranæ ſugendæ ſolertiam ingenioſi artificis remorarentur in perficienda operatione, ipſi Auctor fui includendi ſuo tubulo æneo acuminato in modum tenuis penicilli ſubtiliſſima Auri textilis filamenta, quæ in gyrum acta à contorquentibus digitis, dum acus tenebat medium orbitæ, educerentur quaſi ex ænea vagina, & humorum inſtar membranam vel interciperent, vel omninò in fruſtilla diſcerperent, atque iterum poſt hoc officium retrahi poſſent ad anguſtias ſui ænei integumenti. Votum eventus feliciſſimus beavit, quia cataractæ per hoc inſtrumentum depoſitæ non ultra aſſurrexerunt ad eclipſandam lucem radiorum, cum alioquin eæ, quæ à vulgari acu demittuntur, paulatim à motu oculorum, ut nondum divulſæ à ſuis radicibus, eriguntur.

Hac occaſione referam, ſenſum dolorum exquiſitum in ſola ſuperficie corneæ perforanda percipi ab eis, quibus oculi ſunt transfodendi vel ſecandi, ſed quàm primum acus vel culter regionem internam aliorum humorum vel membranarum adortus fuerit, nullo prorſus dolore affici patientes ab injuria vulneris. Longiſſima ſerie narrandarum curationum locupletare poſſem hanc Epiſtolam, ſed una vel altera ex rarioribus tuam eruditam oblectationem fortaſſè augebit. Cum degerem *Argentorati*, conveniebant me parentes Virginis venuſtiſſimæ, ut ſuccurrerem ejus oculis perpetuo lachrimantibus. Dixiſſes geminos Soles mergi oceano lachrimarum, quibus nulla ab oriente advecta pharmaca adminiſtrantibus Medicis quampluribus opem ferre potuerant. Attamen cum decocto in ſimplici *Aqùa oſſium bubulorum abſque medulla* & *palearum tritici*, ſpatio trium hebdomadarum reſtituebatur. Quis hoc crederet? Sed illius Urbis teſtis omni exceptione major, feliciſſimus Archiater multorum Principûm Germaniæ *Joannes Kufferus*, ob ſingulares animi & ingenii dotes quondam à me conſcius electus ſecretioris meæ praxeos, huic hiſtoriæ fidem faciet.

ciet. Eodem ſæpe *Amſtelodami* ſum uſus medicamento, ubi opus fuit exſiccare humores ſeroſos, nec me optato eventu deſtituit unquam ſpes collocata in tam rudi adminiculo, uſque adeò Dei Summa Providentia eluceſcit & in tenui ſtramine. In delendis albuminis oculorum nodis & corneæ unguibus ſuppeditabit blandum corroſivum fel humanum deſtillatum per M. B. ex cucurbita & galea ænea; ſed inflicta eis vulnera mirabiliter obducit Aqua Albuminis ovorum. Cor meum, ut noviſti Amice, defatigabit ſemper inſatiabilis ſcientiarum aviditas. Porrò vix defuit, quin experimenta me novum effecerint Deucalionem, ut cunctis morbis prodeſſe poſſem. Ideò manus meæ lapidibus non pepercerunt,& inter eos,qui dicitur Oculus Mundi. Si aquæ vel aliis liquoribus immergatur, eis virtutem magnam communicat, nempe exſtinguendi omnes in oculis recenter ſubortas flammas. Nam ſtupendum, cum ſit opacus, quam primum humores attingit in Hyacinthum tranſmutatur, atque iterum aëri expoſitus ſuæ eximiæ virtutis ſedulus cuſtos ſalubrem lucem ſuam in ſe contrahit, iterum eandem oſtenſurus,quoties perſpicuam ſuam claritatem liquoribus infundere opus fuerit. De propendente verò oculo extra alveolum ſuum ad longitudinem tranſverſi digiti addo, reſtituiſſe me in Nobili quodam Hagæ Comitis per adſtringens collyrium & emplaſtrum defenſivum Vigonis, collo applicatum, ut æger benè poſtea valuerit. Brevi epiſtolæ gyro velle omnia comprehendere experimenta, quæ multorum annorum ambitu data diverſa occaſione molitus ſum, mehercule non minoris laboris eſſet, quam ſi unicâ atramenti guttulâ totum hoc ſcriptum exarare voluiſſem. Ipſa namque attramenti nigredo refricat mihi memoriam, me lividis atque tumidis oculorum ſugillationibus opem tuliſſe, applicatis aperti oris labiis, atque in eos fotu halituoſi anhelitus immiſſo, ex tempore ſedaſſe dolores omnes. Imò multoties contigit, quod humidus tumor ex morſu araneæ venenatæ aut alius ſymptomatis affluxu oculos inflaverit in modum folliculi, quibus cum præviderem, longè petita auxilia ab exſiccante epithemate parum aut nihil profutura, ut in hoc caſu promto præſidio medicina quoque apud me non deſtitueretur, excogitavi mollem ſcarificationem per lanceolas ferreas quidem, ſed quas ob ſubtilitatem diceres papyraceas. Jubebam tunc

Chirurgo, ut lanceolas infigeret directè in ſulcos corrugatæ cutis tenuiſſimos. Nam ſi inciſiones obliquo ductu in contrarium extendantur, nulla tunc fit humoris transfuſio, & ægros turpi afficiunt inflammatione. Apparet ex hac felici incidendi regula, quam tenax conſervatrix ſuæ vivificantis potentiæ ſit alma Natura, citra cujus indulgentiæ limites non licet ſervo artifici manu medica extravagari ſine artis & nominis ſui dedecore maximo. Poſt inciſionem juxta tumoris magis vel minus protuberantis exigentiam profundè aut ſuperficietenus adhibitam, applicanda venit inciſuris cucurbitula in modum galeæ deſtillatoriæ conflata, & per ejus roſtrum Chirurgus leni ſuctu eliciat peccantes humores ſanguineos, ſalſos, inſipidos, lacteos, flavos. Quod ſi vulnera nimis citò conſolidentur, & exundet humor quaſi in veſica contentus, licet nova inciſione cutem adoriri: quia in hac operatione, ægri nullo ferè dolore torquentur. Interim non negligendus ſequentis linimenti uſus. Æſtivo tempore capiantur ranæ viventes in plenilunio, quibus detrahantur exuviæ & eximantur viſcera; ſuſpendantur filo alligatæ, mutuo ſeſe non tangentes, in hypocauſto à pulvere & humiditate immuni, ut areſiant. Tum in pulverem redigantur ſubtiliſſimum, cui admiſceatur tertia pars farinæ amyli, tutiæ, & boli Armenæ ana quarta pars, & unguenti roſacei refrigerantis Galeni quantum ſatis, ut hæc omnia acquirant juſtam linimenti conſiſtentiam, quod potenter ſubtus latentes humiditates quaſcunque ex quavis corporis parte blandè educit, adeò ut liceat intacta cute interdum guttatim defluentes tenuiores humores adſpicere. Cæterum vidi canem, cui bis utrumque oculum diſſectum reſtitueram, poſt quinque annos iiſdem uti, integrâ omnium oculi partium configuratione. Si rectè operatio inſtituatur, deletur omne veſtigium cicatricis in quovis animalium diſſecto oculo. Guttæ ſerenæ ſupra dicti liquores, in fumum reſoluti & per tubulos æneos ab oculis excepti, promiſerant auxilium uni ex Comitiſſis Brederodianis, ſi potuiſſet in longa curatione perſeverare, quia alternis diebus potuit mihi & aliis indicare numerum digitorum in extenſa manu poſt duos menſes ab uſu hujus vapidi ſuffumigii. Sed digiti apparebant ei, ut nobis corporum umbræ apparent in Sole. Poſtremò monendum, ex fecibus relictis poſt deſtillationem

nem à chelidonio fieri collyrium lippitudini oculorum planè proficuum. Coquuntur in adipe galli cum tantundem olei expreſſi à vitellis ovorum, & cum ſatis aſſatæ fuerint, adduntur oleis pro lubitu guttæ aliquot expreſſi olei à ſeminibus chelidonii. Amuletum olim ſyncipiti alligarunt, conflatum ex pulvere vitrioli & radicis chelidonii, ſuperinſperſo lupi oculo, & ad aërem ſimul arefacto, non ſine magno fructu olim ægrotantes mei, ex quavis oculorum affectione. Neque Te celare poſſum, magnum conſenſum eſſe oculis cum renibus, & cum ſint hi duo liquores valdè diuretici, ægrotantibus ex oculis etiam internè, obſervata ſalubris victus ratione, cum felici eventu propinantur, in quod ad augendam virtutem ſpecificam inſtillavi unam vel alteram guttam ſpiritus urinæ patientis legitimè præparati. Non quid alii de me ſcribant, ſed quod ego Tibi ſcribo, eſt mihi curæ; quia placere uni Clariſſimo Dn. *Thomæ Bartholino*, omnes Philoſophiæ calles quaquaverſus emenſo, erit ſemper mihi ſolatium ingens. Vale. Hafniæ 14 Febr. 1669.

*Tuus Perennis Cultor & Servus Addictiſſ.*

BURRHUS.

Propter affinitatem & ſympathiam cerebri cum oculis, prioribus epiſtolas de cerebro adjungere placuit, quia novam de ejus ſubſtantia & generatione continent opinionem.

EPI-

# EPISTOLA.

## De Cerebri Subſtantia pingui.

*Illuſtriſſimo Viro*

FRANCISCO JOSEPHO BURRHO.

*S. P. D.*

THOMAS BARTHOLINUS.

TAntam nuper admirationem humanitas Tua apud me concitavit, Laboratorii ſtupendi ſplendor, excellentiſſimum judicium, Naturæ inexhauſta ſcientia, ut nec ſatiari abſens felicis diei memoriâ poſſim. Omninò enim fidem ſuperant & famam, quam magno Tuo merito meritus es maximam. In immenſum auxiſti beneficium, quod ſpem certam commercii literarum promiſeris, quo nihil unquam gratius mihi publicoque eveniet, ut per me orbis ſciat, quantum Tibi Natura debeat, Noſque Tibi Naturæ promo condo. De adipoſo cerebro quod coram diſſerebas, ſalivam meam movit: Quanquam enim *Hippocrates libr. de carnibus*, cerebrum pingue eſſe neget, quia aſſari non poteſt: Tua tamen experientia facilè dubitantes à veterum conſenſu retrahit. Ad tactum certè pingue deprehendimus. Materia quoque ejus pinguis eſt, oleoſa nempe ſeminis pars, & lympha glutinoſa. *Ariſtoteli* ſi credimus *lib.* 3. *Hiſt. Animal. cap.* 17. velut Suis pinguiuſculum eſt. In Cetaceo genere res liquida. Ex cerebro enim balenarum ſperma Ceti optimum eructari, certa Mercatorum noſtrorum in Iſlandia verſatorum eſt obſervatio. In loculis quidem cranii vaſti liquidior eſt adeps, ſed maris frigore in eam formam condenſatur, quâ in Pharmacopoliis proſtat. Apparet etiam in craniis puerorum cerebrum liquidius, interdum quoque præter aquam nihil, imò Cephalalgiæ, Epilepſiæ, Paralyſeos & aliorum Capitis Affectuum cauſam in ſolo ſero cerebri abundante ſectio manifeſtavit nobis aliiſque Proſectoribus non ſemel: Non

ideò

ideò tamen pingue eſſe cerebrum deſinit. Nam lympha illa cerebri & reliqui corporis, in gelatinam & glutinoſam ſubſtantiam mutatur igni impoſita, vel aëris ſali expoſita, ſicut exempla mihi nota teſtantur, qualis & in Apoplecticis in cerebro nonnunquam à calore conficitur. Reapſe condenſari poſſe cerebrum, oſſa ibi generata fidem faciunt, & lapides, imò univerſum in lapideam duritiem concreviſſe non ita pridem de Bove Suecico accepimus. Sali coagulanti ſine dubio hæc durities imputanda, quod quo modo in nonnullis contuſis eliquetur, ut cerebrum fluidum per nares aureſque totum emungatur, ſicut nuper in prædio Nobilis *Roſencranzii* accidit, nemo rectius non docuerit, quàm multiſcius *Burrhus*, cujus maximo ingenio meliores aſſurgunt. Ab ejuſdem quaſi imperio, quod in morbos quoſcunque feliciter exercet, luxurians in Apoplexia cerebri lympha, vel mordicans in Epilepſia & Cephalalgia, figetur facilè & temperabitur, vel arte evacuabitur, quam ſingularem in eo mortis candidati deprædicant. De excellenti tua virtute apud Te loquor, ſed parciſſimè, ne auribus aliquid dediſſe videar. Res ipſa loquatur. Obſequentem ubique Naturam habes, & de Fortuna ſecurè triumphas. Obnixè verò rogo, ne occupationum moles, quibus quotidiè defatigaris, mihi promiſſas obſervationes cedro dignas præripiat, Tibique, cui benè facere conſuetudo eſt, benè merendi, mihique prolixius Tanti Viri, in ſæculi gloriam nati, æternas laudes deprædicandi, occaſio intercipiatur. Vive porrò immortalis, & me ama. Raptim ex prædio meo Hageſted. 10 Mart. cIↄ Iↄc LXVIII.

# EPISTOLA.

## De Cerebri Ortu, & Uſu Medico.

*Excellentiſſimo Viro*

D. THOMÆ BARTHOLINO.

TOta funditur Epiſtola Tua humaniſſima in gratæ laudis ſuave illicium, quo dum, Vir Excellentiſſime, exor-

exornas labores ſtudii mei, pariter obſtringis me ad communicandum Tibi publicè opinionem meam de Cerebri ortu, ſubſtantia & facultate; quod eò lubentius aggredior, quò certior ſum hæc ſcribi nutu candidiſſimi Viri, Anatomiæ vero Inſtauratori, ac liberæ Philoſophiæ excultiſſimo Profeſſori. Oritur cerebrum ex motu vivificante, quem imprimit duplici ſemini utriuſque parentis virtus immortalis. Hæc eſt quaſi Dei ſigillum, in quo licet numerare diverſa membra diſſimilis profunditatis, latitudinis & longitudinis, & rurſus quædam partes proportione aſſimilantes geminari conſpiciuntur. Idcirco motus vivificans ad numerum unius Vitæ concinnandum indiget pluribus modis, quia ſe movet juxta ingenitam mobilitatem omnium viſcerum, à quibus emanavit, ut docere poſſunt obſervandæ exiguæ glandulæ, fibrillæ, bullæ, pelliculæ, ſpumæ, humores tenues & albeſcentes, alii denſi & verſicolorati in vertice albuminis Ovi ſub diverſa tempora Gallinis incubantibus ſurrepti. Differentiæ harum partium ſunt veræ eſſentiæ quintæ Corporis Animalis, quæ augentur in fœtu, conſervantes vitale ingenium ac motum viſcerum, à quibus depromptæ fuerunt, eodem planè modo, quo ſolent diverſa genera ſalium vulgari lympha reſoluta ſingillatim redire ad proprium pondus, & ens, mediante ſimplici, ſed leniſſima deſtillatione, aut metalla omnia ſimul liquefacta, quæ ſeparantur invicem, ut mihi notum eſt, ſolo differenti miniſterio ignis, quamvis in maſſam unam cohæſiſſe videantur. Hiſce præmiſſis, à differentiis, quibus motus animat ſemina, neceſſariò conſtituitur in eis palpitatio haud deficiens, quæ dat incrementum hiſce minimis viſcerum eſſentiis, ſedeſque peculiares tribuit, hinc glandulæ pinguiuſculæ agitatæ à calore, ut mos eſt oleorum, ſuperiora occupare contendunt ad cerebrum efformandum; glandulæ ſiccæ & compactæ, ut cæteris graviores, centrum ſibi quærunt, & in Cor conglomerantur; glandulæ ſpongioſæ concreſcunt in lobos pulmonis; quæ furfuraceæ & bituminoſæ ſiniſtro loco applicatæ extenduntur in lienem; quæ lateritiæ & æruginoſæ dextro ſinui ſe affigentes in hepar & fel intumeſcunt; mox glandulæ, quæ mixtæ ſunt ex omnibus ſuperiorum qualitatibus, in denſa renum emunctoria conglobantur. Sed ubi ſuis locis infixa viſcera adoleſcere cœperunt, motu liberiori palpitatio cir-

circumacta juxta imaginem animalium, à quibus ſemina effluxerunt, efficit mucaginem totum embryonem involventem, quam excavat in ſtomachum, perforat in inteſtina, terebrat in venas, complanat in muſculorum membranas, exſiccat in nervos, indurat in oſſa, diſcriminat in articulos. Tandem quia motus animantium tardus & materialis gubernatur à motu celerrimo ſubtiliſſimo Univerſi, propterea fœtus poroſo amictu Epidermidis circuminduitur, eodemque tempore palpitationi comes adjungitur reſpiratio ſub ea vi, quâ piſces utuntur in aquis, in cujus muneris gratiam ſuperiorem viſcerum conformationem deſcripſi. Ecquis enim non percipit reſpirandi neceſſitatem? Plantæ ac animalia omnia vim ejus minimè ignorant. Nonne revera venti in aëre, acceſſus & receſſus Oceani, ſunt Syſtoles & Diaſtoles Univerſi Orbis Terrarum; Cauſæ verò efficientes reſpirationem ſunt variæ limphæ, diverſi ſaporis & conſiſtentiæ, ab iſtis fontibus viſcerum profluentes, ſibique per multiplices tramites venarum in corde obviam euntes, ibique effervefcentes atque in infinitas bullas ſpirituoſas erumpentes ad pulmones, ut non ſemel ego vidi in tubulis vitreis pluribus vivaciſſimis liquoribus ad medietatem repletis, globoque vitreo minutiſſimo foramine pertuſo ingenioſè agglutinatis. Hi validiſſimi liquores odore tantùm ſe inficientes excitant, præſertim hyemali tempore, nubes vaporum ſubtiliſſimorum in globo, qui attrahunt ambientem aërem, ut refrigerentur atque craſſeſcant, eadem planè ratione, ut fit in Animalibus, dum in eis amara dulcibus, acria oleoſis, denſa ſubtilibus, bituminoſa lacteis, urinoſa redolentibus, corrupta corrumpendis moventur, atque in unam perennem reſpirationem reſolvuntur. Hic eſt homunculus ille *Arnoldi* & *Paracelſi*, à cujus ſcientia arcet ignavum pecus difficultas ænigmatis ſapientiſſimi horum philoſophorum, quamvis indecori, quia ſemen, ut dixi, in ſe habet vires omnium partium corpora conſtituentium, atque aëre vivit, ad cujus regulas præparari debent eſſentiæ quintæ à Chimico, videlicet eo artificio, quo ab aëre ali atque in unum corpus viroſum coagulari poſſint. Aër eſt omnium Tincturarum Rector & Corrector planè divinus, vocaturque ingenioſè à prædictis Philoſophis arcanum ſanguinis, quo nutriri debet eorum infans artificialis.

cialis. Sed hæc obiter. Tranſeamus ad alia. Superius in eam deveni ſententiam, Cerebrum eſſe pingue. Nunc addo, quod propter hanc cauſam ſit quoque candidiſſimum. Vidiſti abſque dubio ab Alkalinis liquoribus apud Smegmatiſtas omnes pinguedines tranſmutari in album Saponem: modo plane eodem medulla cerebri degenerat in candidam ac ſinuoſam offam, dum ſua pingui mollitie obtundit acres ſpiritus vitalium lympharum, cujus neceſſario officio propriè, quando dormit, dicatum eſt Cerebrum, ſed viciſſim acrimonia horum ſpirituum ſegnitiem pinguitudinis ejus habiliorem reddit ad motum celerrimum obeundum, atque ſua ſalſilagine trahit in ſe vim aëris inſpirati, eamque liquat in rorem ſubtiliſſimum ſuaviſſimæ redolentiæ à paucis delibatum. In hoc rore ſacro fertur ſpiritus ille, in quo habitat anima noſtra rationalis, cujus roris optimæ temperiei magis tribuendum cenſeo acumen ingenii, quam totius cerebri ſpecioſæ figuræ. Ideò plures vulnerati in Capite optimo ingenio valent, quamvis ipſis ſubſtantia cerebri cum cochleari ante nonnullos annos extracta fuerit. Imo Romæ homini plebejo extincto ab uſu nimii Tabaci caput apertum fuit, cujus cerebrum condenſatum erat & nigricans, atque redactum ad exiguum grumum membranaceis involucris coagmentatum; nihilominus facultates animales ſuo officio fungi non deſinebant uſque ad finem. At ne Te prætereat, quid in deſtillatione ſnppeditaverit mihi Cerebrum Vitulinum, ſcias tres partes ponderis illius abiiſſe in aquam inſipidam, partem unicam circiter contractam fuiſſe in maſſam pinguem & flaveſcentem, à qua prælum calidiſſimum expreſſit oleum combuſtibile, inſigne Anodynum, ad leniendos exterius applicatum dolores podagricos, quod in modico frigore gelaſcit, quaſi fuiſſet eductum à ſquammis ſpermatis Ceti. Aqua hæc inſipida clauſa hermeticè in vitro, incorrupta ſæculum durabit, ſed in aperto vaſe olet fœtorem vetuſtæ muriæ. Epiſtolæ jam diu transgreſſus ſum limites, & nondum explicavi, quam ob cauſam migret aliquando cerebrum in aquam glutinoſam, in ſaniem atque in lapidem. Sed compendioſè dicam omnia ſalia, qualiacunque ſint, conſtare ex ſulphure diſſoluto in majori vel minori cinerum vel liquatarum arenarum quantitate, quod ſulphur quamvis inviſibile, à ſuis contra-

trariis oleoſis facili negotio ob omni ſale ſeparatur. Hoc ſulphur aſcendit una cum lymphis vivificantibus ad cerebrum, ubi edulcoratur, quod ſi prorſus retundatur in eo ponticitas, fiunt lymphæ inſipidæ, quæ nihilominus aſſumunt vim lapidificam atque exſiccantem, nam omnes lapides oriuntur in locis, ubi nullus ſapor ſalis evidenter guſtu deprehenditur. Propterea Vitrarii ad reducenda vitra ad debitam tenacitatem, ſæpius extinguunt vitrum liquefactum in aqua dulci, & quo magis extinctio vitri in aqua repetitur, eo clarius & durius opus vitreum emergit, nihilo ſecius vitro vitrum attritum ſulphureum ex ſe tranſmittit odorem. Summus eſt error Chimicorum, tribuere ſalibus vim coagulandi, cum ſal attenuet omnia corpora, ſed ſulphur, ut in Cinnabare patet, eadem adſtringat, nam caſeus, caro ſalita, ſapo reſolvuntur temporis tractu in pulveres unctuoſos. Chalybs ideo frangitur, non quia à cineribus magis coagulatus aut à ſalibus, ſed potius, quia in omnibus ſuis poris magis rarefactus eſt à ſale, propterea ſæpius reſtinctus oleo, quod in ſe bibit inhærens ſal, tandem fit tenax & malleabilis, ut ferrum vulgare. Vale, Vir Celeberrime, & immortalitati hiſce ſcriptis me non conſuluiſſe excuſa, quia ſcribebam hæc raptim prope Cœmiterium, ideo decidua eſſe debent, ubi tamen immortale profitebor obſequium præclariſſimis ingenii Tui laboribus. Dab. Hafniæ 24 Januarii. 1669.

*Addictiſſimus & Perennis Cultor & Servus*

BURRHUS.

FIGURA. I. ægrum, cujus oculi vulnerati ſunt, ob oculos ponit. FIG. II. verò Chirurgum, qui una manu caput Patientis amplectitur, altera fiſtulam tenet (*a*), quâ per membranam corneam cataractam exſugere tentat, & ut hæc methodus tutius inſtituatur, poſtquam Chirurgus ſugendo ſuffuſionem moverit, fiſtulæ (*a*) aureum penicillum (*nr.* 4) imponit, cujus acuminatæ acies (*d*), moto urceo (*f*), in tenuia filamenta (*i.i.i*), ſeu in lanceolas aureas, diſtinguuntur, & cataractam leniter incidunt, & abradunt, ut inciſa ſuffuſio ore commodius ope fiſtulæ exſugi poſſit; Quodſi contingat, ut

una vice operatio non perficeretur, iterandum eſt, donec nullæ reliquiæ remaneant. Hæc cura licet ægri patientiam poſtulet, ſecuriorem perfectionem pollicetur; nam cataracta adnata membranæ corneæ deorſum deducitur, ſicque metum elevationis poſt ſe relinquit; hæc operatio quoque ſecurior exiſtit, quia membrana cornea ſectionem abſque periculo admittit, ut hypopyon in *præcedente Tabula* confirmat.

*Numerus* 1. Depingit aureum penicillum, in cujus fine (*a*) conſpiciuntur aurea filamenta, quæ, dum à manubrio (*b*) circmagitur, à ſe invicem recedunt, & ſeſe expandunt.

*Numerus* 2. Exhibet prædictum penicillum fiſtulæ impoſitum.

*Numerus* 3. Eſt fiſtula ænea acuminata, quæ perforatæ membranæ corneæ imponitur ad ſuffuſionem exſugendam. Hæc operatio omni metu reſurgendæ cataractæ ægrum liberat; qua de cauſa omnibus Chirurgis hanc operationem, inauditam licet, ſuademus, ut faciliore acquiſito habitu lucem, quâ nihil melius in vita, ægris reddant. In hoc opere honor Chirurgi nullum periculum, nec ars ignominiam patitur in cæcis, quibus ſuffuſio ambos oculos obſedit.

FIG. III. indigitat recens inventum artificium, quò purgantia & ſudorifera per ſiphonem & fiſtulam venis infunduntur. A. A. demonſttat ægri brachium; (*b*) primam ligaturam; (*c*) ſecundam; (*e*) Venam apertam cui medicamenta mediante Siphone (*f. g*) ope manuum (*h. h*) injiciuntur. Facta injectione primò advertendum eſt, ut vulnuſculum in aperta vena (*e*) bene obturetur, & ligamenta (*b. c*) mox ſolvantur. His peractis non modò brachium, ſed & totum corpus immotum ſervet, non exponat ſe aêri & omnia animi pathemata fugiat.

FIG. IV. eandem dat operationem, ſed ope veſicæ. (*m. m*) Brachium ægri eſt; (*o*) prima ligatura; (*q*) ſecunda ligatura; (*r*) vena, cui fiſtula (*p*) imponitur; (*ſ*) Veſica medicamentis purgantibus, aut ſudorem moventibus repleta, quæ manu (*n*) circumgyratur, & hoc modo liquor ex veſica (*ſ*) in venam (*r*) exprimitur. Quidam humorem proprio ore per fiſtulam in venam inflant, ſed quia halitus de Chirurgi temperamento aut cibis recenter aſſumptis participans, incommodum adferre

re poſſit, hinc tutius veſicam, melius verò ſiphonem æſtimamus; cujus fini parvæ fiſtulæ delineatæ (g) *& ſub numero* 1. 2. 3. prout varietas venarum exigit, commodius imponi poſſunt

Animadvertendum in hac operatione, ut tantum ſanguinis primò ex vena effluat, quantum liquoris infundendi eſt animus, & pro copia liquoris prope aut remote vinculum eſt injiciendum; quantitas liquoris infundendi juxta arbitrium medici, partim ex efficacia medicamenti, partim ex affectus vehementia petenda eſt.

Vires medicamentorum, quibus imprægnati ſunt liquores, variæ ſuut, aut purgantes, aut ſudores moventes, confortantes, prout affectus exigit; ſint autem attenuantium & ſubtilium partium, ut citò ſuos prodant effectus: Quænam huic infuſioni maxime conveniunt, nondum ab inventoribus hujus operationis, ob exemplorum paucitatem, definitum eſt. Inter purgantia numerantur infuſiones antimonii, reſinæ jalappæ, agarici, ſcammonii in ſpiritu vini diſſolutæ. Inter ſudorifera, ſpiritus ſalis ammoniaci, ſi ſemidrachma cum ſpiritus vini camphorati drachma & aquæ cordialis aut ſpiritus miſceatur; mixturæ quoque ex ſpiritu ſalis ammoniaci & tartari ſalis theriacalis utiles ſunt. Inter cardiaca locum obtinent non minorem, Aqua vitæ Matthioli, Elixir. vitæ, Aqua antepileptica, hyſterica, &c.

Ut operatio hæc eò melius à Chirurgis cordi habeatur, & tantò magis promoveatur, hic adjungam motiva inventoris illius, *D. Joh. Dan. Majoris*, cum quibusdam experimentis confirmata.

§. 1. Biennium jam eſt, & quod excurrit, poſtquam anxiè mecum cogitavi, quî fiat in affectibus malignis, quod multi Ægrorum, ſuperata quantumvis Criſi una aut altera, ubi ad vadum perductos maximam partem credimus, opinione celerius nonnunquam è vivis rapiantur, & prope Portum ſalutis, ut ſic dixerim, naufragium vitæ faciant, intercedente Lipothymia ſubitanea, & anxietate graviſſima præcordiorum; ii præcipue, in quibus materia morboſa, Variolarum, Morbillorum, Puſtularum purpurearum ac miliarium, Ignis Sacri, Petechiarum, aut aliorum Exanthematum, ad

cutim primum delata, à qualicunque corporis refrigeratione, aut cauſis aliis, in venas retroceſſit: qui modus, inter reliquas omnes evaneſcentias tumorum, eſt certè peſſimus.

§. 2. Cauſa quidem hujus rei videtur expedita, ſi trahamus ipſam à viſciditate ſanguinis, quam is contraxerit à Miaſmate maligno, utpote quod brevi temporis ſpatio maſſam ſanguineam ſic diſponere & alterare poſſit, ut fiat ſeroſi laticis à fibroſis partibus ſecretio, factaque imprimis ſpirituum per prægreſſas quaſdam effervescentias ac æſtum febrilem deflagratione, modo dictus ſanguis in ramis Venarum ac Arteriarum primum capillaribus, inde majoribus etiam, ac tandem maximis, concreſcat inſtar gelatinæ, moveri inæqualiter admodum, & cum languore, inchoët, uſque dum pulſus planè deficiat, & ſuſpenſum in pulmone cor, tanquam in patibulo, à propriis ſuis vaſis, tanquam chordis ac funibus, ſtranguletur.

§. 3. Hoc tamen me valdè habuit ſollicitum, quod in tali caſu, cum in agone jam homo conſtitutus eſt, & torpidi ſanguinis ſigna magis magiſque cumulantur, morſque jam in limine ſtat, ubi ultimus curandi apex in motione ſudoris denuo niteretur, ſudores tamen uſque adeo ſunt, aut videntur contumaces, ut nullis medicaminibus, ſive mitioribus, ſive fortioribus, plurimorum annorum uſu antea probatis, prolici ſe foras atque retrahi in viam patiantur.

§. 4. Cogitavique primum, culpam eam reſediſſe forſan in prava Medicamenti præparatione, ut ſæpe in Pharmacopoliis fieri aſſolet; ſed rem deinde paulo altius ad animum revocans, & exhaurire inſtituens juſta quadam, atque ab aliis vix pertractata methodo, qualescunque etiam *intercepti ſudoris cauſas* inveni, retardari illum *non ſolùm ex imbecillitate rei expulſivæ*, medicamenti videlicet imbecillioris, aut non ritè fortaſſis præparati: *vel virium etiam*, dum hæ vel obruuntur ac opprimuntur à re quapiam moleſta, vel reſolvuntur per morbos diuturniores, aut evacuationes nimias, atque ſic ſenſim, inſtar flammulæ, exſpirant: *neque ſolum ab anomalia ipſius ſanguinis impellendi*, quatenus ſcilicet is vel alio divertitur, e. g. per effluvium ſui nimium, aut modicum quidem, ſed die non critico; item in doloribus, inflam-

inflammationibus ac ulceribus partium internarum, &c. Vel inſpiſſatur, atque ob lentorem intra venas hærens, ſuggerendo ſudori calido & univerſali, qui vix ſine notabili ſanguinis effervescentia fit, ineptus eſt: *Neque ſolum denique ex occluſione viarum in ambitu corporis*, per quas ſudor debet egredi; ſed *meatuum etiam culpâ*, per quos medicamentum aliquod ſudoriferum, per os aſſumptum, Venas debet ingredi.

§. 5. Nam præterquam quod meatus iſti, ac ultimi vaſorum quorundam meſaraicorum, in inteſtina hiantes pori pæter naturam quandoque oblinuntur à materia aliqua viſcida, unde Febres Stomachicæ & Inteſtinales (à loco cauſæ ſic dictæ) naſci ſolent, exiſtimavi tum, & cenſeo adhuc, illos interdum etiam ob acrimoniam conſtringi, ab uſu medicamentorum cordialium quidem ſed acidiuſculorum ſimul, quales ſunt Syrupi Limonum, Citri, Ribium, Granatorum; Spirituum item mineralium, ſtimuli ergo additorum Julepiis alexipharmacis, aut potiunculis aliis expulſivis.

§. 6. Atque ſigillatim Miſturæ ſimplici Paracelſicæ, legitimè quantumvis factæ, non leviter fui indignatus, utpote quod medicamentum poſt Theriacæ & Mithridatii confectionem, polyphemum, & ſudoriferorum in morbis acutis exiſtimatum Regem, non modo ipſe fruſtra quandoque adhibui, ſed æque vano ſucceſſu ab aliis etiam, me facilè majoribus, fruſtra nonnunquam adhibitum perſpexi. Quod ſi enim ſubiiſſet venas, impoſſibile pene fuiſſet, ob ſpiritus Theriacalis miſcelam, ſudorem non moviſſe, in iis maximè, qui ſtragulis benè cooperiebantur, & vias primas habebant ab abundantia humorum liberas.

§. 7. Unde damnaſſem prope ejus uſum in cura agonizantium quorundam, quia adſtrictior ipſius, à vitriolo dependens, vis mihi erat valdoperè ſuſpecta; & acquieviſſem in exhibitione Confectionum Bezordicarum aut pulverum, niſi eorum operatio è contra, in tanto morbi acumine, mihi viſa fuiſſet nimis tarda.

§. 8. Sed conſiderando tandem, quam efficacia etiam Medicamenta quandoque conferantur, eadem vel hoc nomine reddi prorſus inutilia, quia ob ſummam ægri imbecillitatem & virium debilitatem, tranſmitti per os in corpus ejus nequeunt; nec non perpendendo, quam pa-

rum ſolatii cæteroquin à Medicamentis quibuſdam externis, e. g. Clyſteribus, Diaphoreticis, Epithematibus, Fomentis, &c. tali tempore petatur: & quàm difficilè, miſſis etiam his, exiſtat, ægrum *Diæteticis* quibuſdam auxiliis, e. g. motui corporis, Balneo aut Vaporario, committere, utpote quando adſtantium magis oculi ad lachrymas, quàm manus ad officia paratæ ſunt.

§. 9. Ideoque ne rigidè aut conſuetè nimis omnia prognoſtico committantur; quin, ut non pauci ægrorum, quos methodiſtæ quidam rigidiores deſperatis annumeraturi ſunt, per gratiam Dei adhuc aliquandiu ſerventur, cogitavi de tali remedio, quod tum æger ſine magno labore admittere, tum ipſi etiam non levem efficaciæ ſpem parare poſſet.

§. 10. Ubi ex *Fonte tandem Chirurgico* ventoſarum ac frictionum, ad Diaphoreſin utcunque revocandam, uſus mihi incidit. Sed neque ab his, utpote parum momenti exhaurientibus, ſolatium aliquod petebam, donec ex eodem Fonte Venæſectionem adii, & inveni, ſiquidem non tam evacuationis, quam infuſionis ſcopo adminiſtraretur (quæ intentio in ſcriptis Galenicorum exſulat) ipſam forte aliquid auxilii collaturam, tali modo quem clarius ſic expono.

„ §. 11. Nempe, quemadmodum cognitionis gratia
„ in Anatome habentur fiſtulæ certæ ac tubuli, quibus
„ obſcuriores partium cavitates & ductus Venarum ex-
„ plorantur: ita deliberavi mecum, an non medicatio-
„ nis ſcopo in Chirurgia, adhibere talem aliqam fiſtulam
„ conveniat, quâ patientibus quibuſdam morti quando-
„ que proximis, atque cum reliqua auxilia pleraque,
„ quantumvis optima, imprimis pharmaceutica, incaſ-
„ ſum ſunt adhibita, aperitivus aliquis liquor exquiſitæ
„ ſubtilitatis & balſamicæ virtutis, in Venam prius ſe-
„ ctam, unde modicum ſanguinis eductum ſit, inſuffla-
„ ri per tubulum aureum vel argenteum poſſit, ſpiritu
„ oris adhibito, vel intrudi in eandem & adigi, ope
„ manus comprimentis, tanquam in clyſtere, veſicu-
„ lam, medicamine liquido repletam, & latiori fiſtulæ
„ parti affabrè annexam, ad modum anatomiæ illius in-
„ fuſoriæ, quâ *Borellus* loco medicamenti lacte uſus
„ eſt, ad proſequendos obſcuriores venarum ductus in
„ pueri placenta uterina, *Centur.* IV. *Obſerv.* 6.

§. 12.

§. 12. Attamen curam hanc, quàm citò mihi nata fuerat, tam celeriter dimiſi, partim, ne mora ſubreperet animo ad agenda alia defixo, unde experimentis & rationibus litare ſufficienter tum non poteram: partim etiam ideò, quoniam verebar, ne ſi ex profeſſo, quod dicitur, trahere vellem meditationes has, & perluſtrandas tradere orbi literato, non pauci lectorum mihi, tanquam qui notabili laborarem ſcribendi prurigine, ſuccenſerent, vel etiam, qui nimio quodam, ac paſſim familiari ſtudio novitatis traherer.

§. 13. Interea ab Amico planè integerrimo, Nobiliſſ. & Experientiſſimo *Dn. D. Phil. Jacobo Sachs*, Chymiatro celeberrimo, proximè elapſo menſe *Julio currentis Anni* 64. literæ mihi *Uratiſlaviâ* mittuntur. In quibus, de edenda à ſe (ac jam edita) *Analogia Motus Sanguinei ac Maris*, ingenioſiſſimè concepta, tam candidè me, ferente ſic diſcurſu, rogat, ut, ſi mihi quid de illo *Collegii Experimentalis Anglici* experimento conſtaret, ediſſeram, *quo* ſcil. *ſecta Vena, & foramini infuſo liquore purgante, purgatio poſſet fieri, beneficio circulationis ſanguinis*. Additque Vir Clariſſ. ejus Experimenti non ſolum meminiſſe *Caſpar. Schottum in Admirandis Artis*, nuper editis; ſed idem ſibi etiam ab oculato teſte, Comite quodam Generoſiſſimo, oretenus fuiſſe confirmatum.

§. 14. Obſtupui ſane, ubi hæc perlegi, atque non leviter ſum partim ſortem meam queſtus, qua gloria inventionis facilè mihi ab aliis poterat præripi; partim timiditatem meam deteſtatus, ſiquidem hoc factum eſt, ut illud erubuerim perpendendum ſiſtere Orbi literato,
,, cujus neque Experimentum facere jam dedignati in *An-*
,, *glia* ſunt Medici Experimentales, neque mentionem de-
,, decori ſibi reputavit *Schottus* Clariſſimus, referre in Ad-
,, miranda Artis, neque Autopſia tandem evidentiſſima la-
,, tuit Illuſtrem quandam, ac Generoſiſſimam perſonam.

§. 15. Quapropter, rupto tandem nimio pudore, ſuccedere in hujus locum paſſus ſum honeſtum quendam ambitum, libuitque mihi, utut curis aliis jam impedito, breviter & perſpicuè, ſalviſque aliorum refragiis, inauditum ſcholis Galenicis & inſuetum pene in Germania non ſolum, ſed vel univerſa Europa, Chirurgiæ iſtius ſcopum palam reddere, perſuaſo, fore, ut, ſi poſteri illum ratum habituri ſint, Inventi gloriam iidem mihi ſi-

ve non invideant, ſive partem aliquam meo etiam nomine non celebrare nolint.

§. 16. Conſcripſeramque de hac re jam integrum libellum, & animus mihi erat, objicere illum publicè in diverſa euntium cenſorum animis, non turbandus, quicquid ſpinarum eidem erinacei quidam bipedes affricturi ſint: ſed tempore, ac rebus aliis præventus, redire non potui ad curas has, atque premere earum mentionem uſque ad anni ſequentis primordia volebam, niſi accepiſſem modo literas quaſdam à *Maximo quodam ſæculi noſtri Medico*, Præceptore quondam meo honorando; in quibus ſub finem hujus prodromi annexis, me ad maturationem editionis adhortatur, gloriolæ meæ favens per omnia.

§. 17. Cujus tam benevolo inſtinctui proinde parens, duabus quaſi horis, & uno pede ſtans, Prodromum hunc Chirurgiæ meæ Infuſoriæ concepi, ut, quàm fieri poſſit, præſentes nundinas Lipſienſes augeat, verſeturque in manibus legentium. Quorum quidam ſi forte ut Pomum Eridis acceperint, ego tamen ſic non do. Proſtituo enim ipſum, non ut prætorium quid, aut cujus ſententia exceptionem non admittat: quin, ut incognitum mihi eſt, quorſum nobiliora aliorum ingenia penetrare poſſint: ita placida eorem judicia, ſiquidem hæc ſine bile & ſalis acore lata ſint, non detrecto: & procul ab Axiomate, procul à Theſi, via prorſus certa aut regia, (adhuc quidem) conſtitutus, inter carceres tantum conjecturæ alicujus ferè me contineo, donec commodiore tempore Experimentorum numerus illam paulo fortius, & tanquam annulo aureo obſignet.

§. 18. Interea non eſt, ut Chirurgiæ meæ neceſſitatem pluribus exponam. Quicunque neceſſariam interdum intelligit, penes agonizantes, intercepti ſudoris reſtitutionem, per præſidia communia deſperatum, invento meo neceſſitudinem omnem memoriâ ſupra habiti diſcurſus, non derogabit. Neceſſitas mediorum ſiquidem, à neceſſitate finis pendet.

§. 19. Atque quàm utile id Inſtitutum, dignum Chriſtiano Medico, & à ratione nullatenus alienum ſit, faciſè patet, partim ab analogia, quæ à clyſteribus tam communibus, quàm uterinis injectionibus, item in penem, veſicam, abſceſſus, empyemata, vulnera profun-

diora, aut ulcera, deſumitur, utpote ubi per fiſtulam aut canalem intromittitur, aut infunditur conveniens liquor aliquis: partim & exinde, quod veluti non ſupra naturam, ſed mediante natura rerum miſcibilium fit, ut maſſa ſanguinea ominoſam aliquam viſciditatem in Venis contrahat, ita in naturæ ſcrinio etiam nonnulla adhuc remedia, tanquam myſteria, deliteſcant, quibus viſciditas illa, niſi radicaliter aut ſimul ac ſemel, utplurimum tamen ac ſucceſſivè tolli poſſit. Nam nihil tam ſolidum aut compactum eſt, quod certo artis regimine iterum ſolvi nequeat, vel vi ac impulſu, aut igne, vel per moderatos digeſtionum gradus. Quorſum dum haud parum reſpicit Chirurgia mea, extra dubium ſpero eſſe, quod ſcopus ipſius ſit quemadmodum neceſſarius, ſic utilis valdè & compoſitus ad rectam rationem; modo liquor conveniens ſuppetat, in Venam infundendus: de quo circa finem prodromi hujus quædam etiam proponentur.

§. 20. Tum & adminiſtratio ſæpe dictæ Chirurgiæ non multum difficultatis habet, ſive Chirurgi perſonam & debitam ipſius agilitatem, ſive ægri ipſius tolerantiam facilem reſpexeris.

§. 21. Conditiones & requiſita quædam ad modo dictam adminiſtrationem, & univerſum regimen ejus neceſſaria ſunt: ex. gr. 1) Ut Medicus ante omnia in re tam ardua præmunitum ſe norit, in qualemcunque eventum, auctoritate publicâ. 2) Ut remedia quædam longo ſæculorum uſu probata, ſed fruſtraneo tandem ſucceſſu, adhibuerit. 3) Ut brachium vel pes à Chirurgo ante phlebotomen, linteis calidis fricetur, vel vino calido, aut aqua ſambuci calida cum Spiritu Vini Camphorato, foveatur. 4) Ut ligatura brachii à Chirurgo duplex fiat, ſed ſucceſſive. 5) Ut Venæ ſectæ foramen digito ſtatim comprimatur, & ſic aliquamdiu claudatur, donec (quod agiliter fieri convenit) Inſtrumentum infuſorium applicatum ſit, ne interim multum ſanguinis exſtillet: aut 6) ſi pluſculum ejus fortè profluat, ne tamen ultra drachmas duas vel unciam dimidiam emanet: nam 7) tantùndem liquoris ferè in venam inſufflandum erit. 8) Porrò, ut trajectio liquoris ejuſdem non unico dextræ impetu veſiculam exprimentis, ſed moderatè fiat. 9) Ut tranſitus illiuſdem adjuvetur utcunque ſucceſſiva com-

preſſione brachii, à loco ſectionis, ſurſum uſque ad axillam. Nec non, 10) ut partibus oppoſitis ventoſæ quædam applicentur, quarum utilitas alioquin in revellendis variarum partium hæmorrhagiis nimiis, non ſatis prædicanda eſt. 11) Deinde etiam, ut æger admittendæ ſectioni Venæ non admodum inaſſuetus ſit: quamvis, quid ſecum agatur, morti cæteroquin proximus, vix admodum obſervet. Imprimis verò 12) ut pulſus adhuc utcunque conſtet, nec planè languidus, atque ad ſui defectum propenſus nimis ſit; & quæ ſunt alia.

§. 22. Quibus omnibus ritè perſpectis, non in Variolis ſolum, Morbillis ac Febribus malignis aliis, & Exanthematibus, ſed vel in illo etiam Peſtium genere, quo ſanguis à Venenoſo Miaſmate non tam liquatus, quàm congelatus mortem infert, (ſalva aliorum opinione) exiſtimem, bona conſcientia, & citra implicationem ullius vel abſurdi, vel temeritatis, Chirurgiam Infuſoriam poſſe ſuſcipi, ægrumque veriſimiliter eripi ex ipſis, ut ſic dixerim, Parcarum manibus.

§. 23. Dicis autem: *Quid, ſi ſub manu Chirurgi moriatur æger*, non ſecus, atque in ipſa ſanguinis miſſione vel nimia, vel intempeſtiva alioquin, aut ſub apertione apoſtematis alicujus, Strumæ exciſione, Arteriotomia, Cauterii inuſtione, aut Laryngotomia, quoſdam exſpiraſſe accidit; nonne triſtis iſtiuſmodi eventus continuo verteretur in culpam Medici, hoc prætextu: Niſi vena ſecta fuiſſet, æger mortuus non fuiſſet.

§. 24. Id quod quadantenus facilè conceſſerim: nam, niſi idem æger, ob peccati reatum, fuiſſet in morbi & mortalitatis pœnam lapſus, Medici aut Chirurgi manus nil quicquam juris in ipſum habuiſſent. Sed ideone interim æger ob qualecunque videlicet periculum mortis, quæ ipſum indubiè ſine Chirurgia Infuſoria tanto certius jugulaſſet, adhuc ſpirans, ſine auxilio relinquendus, ubi aliqua adhuc undecunque ſubſidii honeſti ſpes ſupereſt? Ad quod dum impoſterum, ut ſpero, nos ducet Chirurgia mea, nolui, nec debui ipſam amplius Orbi celare Chriſtiano.

§. 25. Contra cujus prærogativam præ multis auxiliorum generibus aliis, quæ præterea poſſint objici, etiam facilè prævideo, ſuntque alia ponderis aut veri ſpeciem habentia, ferè ſequentia hæc:

§. 26.

§. 26. (I) Quoad Inventi gloriam; *Me primum non eſſe Chirurgiæ iſtius Auctorem*; nam à *Clar. Schotti* jam diſertam ejus mentionem factam eſſe, *in Mechanica Curioſa*, vel *Admirandis Artis*, ut jam ſupra (§. 13.) diximus, & pridem ante *Schottum*, à *Borello* quadantenus, *Centuria* videlicet IV. *Obſerv.* 6. & *Cent.* III. *Obſerv.* 58. Noviſſimè omnium verò à Clar. *Sachſio Meo*, in elegantiſſima ſua *Oceani Macrocoſmici*, & *Sanguinis humani comparatione* §. 155. Ubi jam ante annos pluſculos factum Experimentum aſſerit, tum in *Anglia* à Collegio Experimentali Nobiliſſimo, tum in *Germania* fortè etiam penes Principem quendam Palatinum, infundendo in Venam ſectam liquorem laxativum.

§. 27. Verbaque ſcientiſſ. *Caſp. Schotti* ſunt hæc ex *Lib.* XI. *Mirabil. Miſcell. Cap.* XXI. *pag.* 891. „ Non „ ita pridem à Magno quodam Principe intellexi, Expe„ rientiâ deprehenſum eſſe in Anglia, Hominum alio„ rumque animalium corpora purgari poſſe pharmaco „ purgativo per apertam phlebotomicâ lanceolâ Venam „ infuſo in hunc modum: Veſicam vel utrem implent „ purgativo liquore, collo ejus fiſtulam ſubtilem ita „ accommodant, ut per eam expreſſus è veſica liquor „ tranſire queat: Venam in brachio aut crure, aut quo„ vis alio membro aperiunt; Fiſtulam in apertam Ve„ nam intrudunt: Veſicam comprimunt, & per fiſtu„ lam contentum liquorem venæ infundunt; Venam tan„ dem diligenter claudunt. Poſt horas aliquot per ſe„ ceſſum emittuntur ſordes non ſecus, ac ſi per os pur„ gatio fuiſſet aſſumpta. Experientiam fieri curavit pau„ cis abhinc ſeptimanis Princeps, quem dixi, in Ca„ ne, feliciſſimo ſucceſſu. Alteri Cani eadem arte Ve„ nis curavit infundi Vinum Hiſpanicum; quo infu„ ſo Canis primum in ſaltus & tripudia effundeba„ tur, tum, ebriorum more, titubabat, demum pro„ cumbens in ſomnum ſolvebatur, donec crapulam e„ dormiiſſet.

§. 28. *Borelli* Verba ipſiſſima non eſt, ut adducam. Ita verò *Sachſius*: „ Quid circulatio Sanguinis, *inquit*, mo„ menti habeat, apprimè docet Experimentalis Colle„ gii in Anglia ſolertiſſima induſtria & Experientia, „ quæ invenit, purgantia abſque ulla oris admotione, „ beneficio Sanguinis Circulantis, vires ſuas exſerere;

„ de

„ de quo Curioſiſſimus *Caſp. Schottus in Mirabil. Artis*
„ *Lib. XI. cap.* 21. *p.* 891. Idem experimentum ocula-
„ tus teſtis, Generoſiſſimus quidam Comes mihi narra-
„ vit oretenus, qui illud coram Principe Palatino, *Ru-*
„ *perto*, exerceri paucis abhinc annis conſpexerat. Mo-
„ dum talem aperuit: Paratur ex oſſiculis femoris alau-
„ darum, canalis aut fiſtula, in modum fiſtularum, quæ
„ in injiciendis Clyſteribus veſicæ bovinæ adaptantur:
„ liquor purgans, aut, pro lubitu, alio modo corpus
„ alterans, veſicæ parvæ, præcipuè ex carpione piſce,
„ inditur; hinc vena in manu aut brachio aut crure,
„ cum parvo foramine inciditur, è fiſtula dicta, veſi-
„ caque foramini intrusâ liquor infunditur, veſicam, ne
„ ſanguis exſiliat, comprimendo; injecto liquore fora-
„ men clauditur, & ligatur; ſic intra horam ſanguis li-
„ quore purgante impraegnatus, cordi, ope circulatio-
„ nis, vires communicat, & purgatio feliciter inſtitui-
„ tur. Idem experimentum cum Cane comprobatum
„ ſe vidiſſe idem Generoſiſſimus Comes affirmabat, cui
„ poſt venam ſectam ſimili inſtrumento Vini Hiſpanici
„ portiuncula injecta, cui intra aliquod tempus Sympto-
„ mata ebriis conſueta, perturbationes ſcilicet capitis,
„ variæ geſticulationes, vomitus, tandemque ſopor ac-
„ ciderunt".

§. 29. Ad quæ reſpondeo; quod *Schottum cit. loc.* atti-
net, quo pacto is, vel ipſi Medici Experimentales in Anglia excellentiſſimi, experimenti aut inventi celebrationem primam mihi præripuerint, ex ſupra dictis (§. *videl.* 1. *uſque ad* 14. *& inprimis hoc ipſo* §. 14.) abundè patet. Interea ante biennium ne gry quidem mihi de iſtiuſmodi ipſorum inſtituto innotuerat, nec *Schotti* laudati liber viderat tum lucem, ſed inter maximè deſideratos adhuc habebat locum principem. Ipſa verò inventi alicujus ratio ita ſeſe habet, ut excludat quidem omnem, aut qualemcunque etiam prægreſſam notitiam rei, ab aliis fortaſſe jam inventæ; non excludat tamen hoc, ut una eademque res nonnunquam eodem tempore, à diverſis Auctoribus diverſa loca inhabitantibus, quibuſque nulla vel perſonarum notitia, vel animorum conjunctio, vel rerum aut actionum commercia, ut ſic dixerim, intercedunt, inveniri poſſit, ſic, ut neuter de alterius invento quid olfecerit: id quod exemplis aliis com-

comprobare poſſem, nominatim fortaſſe ex Anatome petitis.

§. 30. *Deinde quoad Borellum*: ne hoc prætercam, Exempla ex ipſo petita, valdè heterogenea ſunt: Nam *Centur. IV. Obſ.* 6. agit quidem de Anatomia infuſoria vel injectoria: ſed res ipſa ac titulus edocet, actum ibi inculcari non Chirurgico-Pharmaceuticum, ſed merè Anatomicum, cognitionis, non operationis aut ſanationis ergo. Neque inſufflatio liquoris in Venam ab ipſo ſit in homine morti admodum vicino, ſed in placenta uterina pueri, in lucem recens nati, & victuri indubiè annos pluſculos. Ac denique ab Auctore lac in venas, non liquor medicamentoſus aliquis; inque Venas non patentes utcunque & lanceolâ facile feriendas, ſed in obſcuriores quaſdam, & lacte proin implendas, ut viſui pateant, intromittitur. Atque dum idem *Borellus* cæteroquin *Cent. III. Obſ.* 58. cujuſdam inſufflationis meminit; hujus adminiſtratio non conſiſtit in adigendo medicamine quopiam liquido ad interiora Venarum, ope inſtrumenti alicujus metallici, vel ex ebore, aut alia re parati, ſed in ſola labiorum aut oris, flatu turgidi, applicatione ad os aut palatum ægri, ut hoc pacto, halitus hominis ſani, intercedente exſpirationis & inſpirationis opere, tranſeat ad vitalia illius, exemplo Sectæ cujuſdam Medicæ in India; vel (ſi ſupernaturalibus iſtis hæc naturalia collata referre licet) quomodo DEUS animam *Adamo* inſufflavit, aut Prophetæ quandoque in mortuos reſupinos proni, adacto ſpiritu entheo iiſdem vitam reddiderunt.

§. 31. *Locum denique ex D. Sachſio allatum, quod concernit*, bona conſcientia reſpondeo adhuc, quod paulo ante (§. 29.) in gratiam *Schotti*, defenſionis loco protuli; id quod verò non opus eſt repetere, quia jam perſpicuè ſatis ibi cauſam inventi mei egi.

§. 32. Cæterum (II) quoad dicti inventi ipſam rem, adminiſtrationem, aut univerſum hujus regimen, mihi poſſit objici: *Fieri Chirurgiam Infuſoriam citra ſcopum venæ ſectionis*, quandoquidem hic in duobus his tantum conſiſtat, ut ſanguis vel evacuetur ſenſibiliter, ſpeciatim per modum vel Revulſionis, vel Derivationis; vel refrigeretur, utut tantum per accidens, ut rectè *Galenus* loquitur. Quibus ſi aliquis tertium quendam adhuc velit adde-

addere, mihi equidem perinde eſt. In Chirurgia infuſoria verò ſecundum conditiones §. 21. præſcriptas adminiſtrata, fieri talium nihil.

§. 33. Reſpondetur: *Galeni* ac aliorum Methodicorum admiratores, cultores, defenſores, quàm fieri poteſt, ac æmuli in magna Medicinæ parte quidem vel ſumus communiter, vel eſſe interdum etiam debemus, ob valdè utilia, quæ ab auctoribus iſtis pertractantur: ideò tamen mancipia doctrinæ illorum adeò non ſumus, quo minus nobis liceat, quod *Galeno* licuit, h. e. corrigere paſſim alios, ubi aberrarunt, vel melius explicare, ſi operæ pretium fuerit, vel repudiare in ipſorum ſcriptis aliquid, quod rectæ rationi, experientiæ ac naturæ ſuffragio repugnat, vel denique aliquid addere, ubi palam eſt, rem aliquam pulchram ac utilem priſcorum quemadmodum ſenſus, ſic animos ipſos, ac omnem indaginem latuiſſe, uti re vera Medicina hodiè multis iiſque inſignibus partibus politior & excultior eſt, ac olim, facta temporis tractu inventorum approbatu dignorum acceſſione. Quibus ſi meum etiam aſſerere velit placida poſteritas, Venæ ſectionis ſcopi præcipui erunt tres impoſterum figendi, Depletio, Refrigerium, & Impletio.

§. 34. Sed (III) fortaſſe inſtet quis, dicendo, *ad minimum vires projici, & auram malignam cum extremo vitæ periculo ad penetralia Cordis revocari*; ob quam cauſam Methodicis accuratioribus ſolennis ac ſumma religio eſt, ſanguinem ex vena in affectibus malignis, præſertim quando hi jam ad ſtatum progreſſi ſunt, vel ad evidens tantum augmentum, mittere.

§. 35. Reſpondeo: O! quam multa, & memoratu maximè digna dicenda forent hic! Sed Laconiſmo mihi utendum eſt. Strictim itaque: An ſecanda ſit Vena in morbis, qui Maligni appellantur, diſtinguendum arbitror ante omnia, præter diverſam conſtitutionem temporis, ætatis ægri, ac ejus temperamenti, ſexus, ſtatus, conſuetudinis, habitus plethorici vel non plethorici, &c. inter morbum fientem & factum; inter eundem malignum ratione cauſæ, & talem potius ratione ſymptomatum ſupervenientium, ut *Claudino* placet; porrò ex morbis factis, partim inter eoſdem cum eruptione materiæ peccantis criticæ, & ſine ea: partim & inter fermen-

mentationum initia, augmenta certa ac deflagrationes; ac denique inter medelæ ſcopum evacuatorium & injectorium.

§. 36. Ex quibus cordatus Lector facilè ſuccum & ſanguinem eliciet. Ut hoc pacto neſciam, quid venerit in mentem *Clariſſ. D. Joh. Bokelio*, quando is (Hamburger Peſt-Ordnung *Part. II. cap. 7. p. m. 80. b.*) non modò admittit, ſed ſuadet etiam, in loco præprimis hoc, cacochymicorum corporum copia referto, ſanguinis miſſionem maturandam in Peſte quandoque, & inſtituendam, ſecta Vena cephalica brachii, ſi tumor aliquis initio morbi ſtatim poſt aures, vel in collo eruperit: Vena mediana autem, ſi ſub axillis, in pectore aut dorſo; ac Vena tali denique, vel malleoli interior, ſi in parte abdominis aliqua. Ego ſanè, ut apertè dicam, in hoc quidem loco tale quid non paterer fieri auctoritate mea facilè, ſi quis mihi vel mille aureos ſpondeat. Nam, ſi taceam, quod limam alioqui Anatomico-Chirurgicam meretur Venæ cephalicæ & mediæ in brachio delectus, quem optimo *D. Bokelio*, in ſui ſæculi gratiam, ultrò condonabimus; attendamus tantùm, quæ æque *CL. Vir Petrus à Caſtro* Phyſicus quondam *Veronenſis*, in libello de *Peſte Neapolitana, Romana, & Genuenſi, Anno* 1656. & 57. habet *pag.* 112. ubi, an ſanguis in Peſte mittendus ſit, deliberat, & ait: in ſola Febre peſtilenti humorali, *priuſquam appareant bubones*, ſanguinis miſſionem poſſe fieri. Et paulo clarius *p.* 114. ſtatuit, bubones quandoque non malignos etiam in peſte erumpere: qui tamen, ut peſtilentes, à Chirurgo tractari debeant; *nec in caſu tali ullo pacto deberi mitti ſanguinem.* Cur, quæſo, tum non debet mitti ſanguis? Ob periculum, arbitror, retroceſſionis, jam ſupra (§. 1.) expoſitum. Cui aſſerto fidem firmant ſequentia *Petri Caſtrenſis* verba hæc, *p.* 167. *Multos vidimus pereuntes infantulos, evaneſcentibus affatim variolis, &c.* Venam itaque ſecari in affectibus malignis, ubi vel jam eruperint carbunculi, bubones, exanthemata: vel proximè eruptura ſint, nullatenus ſuadebo, ut forte pars fomenti deterioris detraheretur ſanguini: admitterem tamen, & urgerem in ſtatu deplorato, ubi fervor ſanguinis ut plurimum deferbuit, ſanguis ipſe in gelatinæ aut glutinis ſpeciem concrevit, & omnis reliqua vitæ ſpes deſperata eſt, niſi citò ſubveniat inauditum

priori-

prioribus ſæculis auxilium aliquod, quo congelatæ ſanguinis fibræ ſolvantur, pulſuſque, niſi debitam ſuam harmoniam, priſtinum tamen robur aliquod recipiat: quale quid de Chirurgia mea Infuſoria haud vanè videtur exſpectandum.

§. 37. Interea porro (IV) poſſet objici, *liquorem infundendum non facilè admiſſum à Vena, aut in ſanguine diſperſum iri*, ut inde ad Venam Axillarem aſcendere, ac Cor ſubire queat, cum qualibuſcunque adhuc intermorientis ſenſim ac ſenſim, ſanguinis in orbem lati, faculis.

§ 38. Reſpondeo: Cur, quæſo, non admitteretur liquor? *Vel*, quod æger, ob inquietudinem totius corporis, Chirurgi operam moratur? Jam verò plerique agonizantes quieti ſunt; aliàs, iis non convenit Venæ ſectio infuſoria, quia non abundant ſanguine concreto enormiter, ac vappeſcente: *vel potius*, quod Chirurgus foramen Venæ ſectæ non ferierit apice Inſtrumenti infuſorii, ut hoc pacto liquor tranſeat ad loca ſubcutanea? (id quod verò haud facilè mihi perſuaſerim ob fibras cutis arctè undique cohærentes) aut, ut idem liquor regurgitet? cujus poſterioris rei culpa verò penes minus agilem Chirurgum eſt, qui propterea infuſionem tantiſper retardabit, donec foramen Venæ ſectæ prorſus inveſtigaverit: *vel denique*, quod ſanguis concreverit uſque adeò, ut occupet omnem partem Venæ, nec penetrari citò ſe ab ullo liquore, vel aperitivo etiam aut diaphoretico, patiatur? id quod verò Experientiæ demum erit committendum. Neque enim ratio contiguitatis in ſanguine intra venas concreto ægris omnibus eſt eadem; ſed latex ſeroſus nunc hic, nunc alibi, ſine certo ordine fibrarum aut ſitu, ſua habet diverticula; quo plura, eo magis recurrens adhuc (utut cum maxima inæqualitate) in moribundis, pulſus eſt, quò pauciora verò, & quò firmius vitalis purpura concreverit, eo certior mors, ut minus ſpei tunc fuerit ex Chirurgia Infuſoria petendum.

§. 39. Adhæc poſſet (V) dici: *Chirurgo etiam nimium laborem fieri, qui propterea in ipſa adminiſtratione errorem non omnem effugere poſſet*, redundaturum autem continuò in periculum ægri. Neque enim ullum facilè ab omni latere tam poſſe habere *Argi* oculos, aut eſſe, ut ille apud Poëtas, centimanum, ut in tanto, quo omnia peragen-

agenda ſunt, raptu temporis, & exporrigere brachium ægri, & confricare id linteis calidis, aut vino calido fovere, & venam ſecandam quærere, & ligare supernè hanc, & ſecare eandem actu, & ſectam digito tantiſper occludere, ligaturamque interea ſupra locum ſectionis parum relaxare, ac aliam inferius conſtringere, & Inſtrumentum infuſorium applicare, & liquorem exin exprimere, & infuſum jam jam in venam, in motu ad cor adjuvare, relaxando etiam ligaturam inferiorem, manumque supernè fortiter ducendo (vel linteum etiam latius) à loco Venæ ſectæ ſurſum ad axillam, & foramen obligare, & ventoſas denique etiam partibus aliis applicare, uti §. 21. dictum eſt.

§. 40. Reſpondetur: Ergo dextro, prompto, perito & alacri Chirurgo ad hoc maximè opus eſt, qui cæteroquin neque miniſtris ſuis, aut adſtantium auxilio careat; nam & hos officii ſui memores eſſe vult *Hippocrates* in *Aphoriſmorum primo.*

§. 41. (VI) *Ni Eventus ſucceſſerit, Chirurgiæ Infuſoriæ Inventionem in prima ſtatim ætate jure quodam diffamatum iri.* Niſi enim liquidò ſatis conſtet de rei alicujus novæ efficacia, admiratio, ſtupor, & exſpectatio hominum facilè admodum in deteſtationem, riſum aut indignationem abeunt.

§. 42. Reſpondetur: Statuant plebeja ingenia, quodcunque velint, hebetudo & ruſticitas maximum ipſorum flagellum eſt. Diffamantur medicamenta, generaque remediorum alia, quando adhibentur, ubi nulla de ipſis efficaciæ ſpes ſupereſt. De uſu verò Chirurgiæ noſtræ retrahantur, ſi lectori placet, huc, quæ ſupra (§. 19.) diximus, atque illa, utut irrito conatu interdum adhibita, exprobrationem qualemcunque & diffamationem ſui facile vitabit.

§. 43. *Quin & (VII) Experimentorum defectus aliquis indubiè objicietur*, tanquam, quod exemplis non ſatis probatum eſt, ſine periculo vitæ aut exiſtimationis non ſuſcipi facilè, ad imitationem trahi, aut canone donari poſſit.

§. 44. Reſpondeo, concedendo haud gravatim penuriam aliquam exemplorum, ex quibus, Chirurgiam Infuſoriam ad votum ſucceſſiſſe, probari poſſit. Verum, eo

eo ipſo, quo novum adhuc inventum eſt, per legem quandam naturæ ac temporis, annoſa gaudere ſpeciminum pluralitate nequit. Atque ſic nihil unquam in univerſa Medicina fuiſſet exſecutu dignum, quia nihil in ea ab omni ævo exſtitit, ſed oriri ac innoteſcere aliquando cœpit: cumque innotuit, non potuit ſimul novum eſſe, & experientiam ſimul plurimorum annorum ſuſtinere. Paucis: Inventi alicujus bonitas non tam ex vetuſtate, & frequentia utentium, quàm rationis ac honeſtatis moderamine æſtimanda eſt. Alioquin ipſius Diaboli artes etiam forent bonæ, quia ſat antiquæ ſunt. Placidum propterea ac ſalvum de Chirurgia mea literatorum judicium exſpecto, utut per mille experimentorum gradus nondum greſſa. Sufficit, quod, ut probare contendi, rectæ rationi ac Chriſtianiſmo nullatenus repugnet. Et tentaſſem jampridem aliquid, ſi vel per temporis rationem hactenus mihi licuiſſet, vel conſtitiſſet integrè de Chirurgorum facilitate ad id, aut obſequio condigno. Ut taceam, quod periculoſum ſit, rem novam aliquam, præſertim tam arduam, tentare. Neque cauſas alias annectam. Experiar tamen ſimile quid in Cane, ut ad minimum veritas ſanguinis in orbem redeuntis comprobetur, trajecto convenienter liquore aliquo ad cor per venam ſectam cruralem, aut aliam, infuſo. Idque facili, ut exiſtimo, ſucceſſu. Nam canes, vino per venam infuſo inebriari, ſuperius ex *Schotto* & *Sachſio* (§. 27. ſeqq.) retulimus. Purgantia verò an quicquam valitura in ipſis ſint, equidem adhuc neſcio, partim, ac in genere, quod lis inter Medicos nondum planè compoſita eſt, quo pacto purgantia in corpore animali agant; partim, ac in ſpecie, quod experimento norim, in cane uno aut altero, ſat magnam vitri antimonii, in pulverem redacti, partem, nominatim grana XXIV. & amplius, cibis adſperſa, nullum prorſus ejectionis affectum edidiſſe, ſive, quod acidum ventriculi in ipſis admodum activum ſit, quo ejectoria emeticorum & catharticorum vis non parum ſuſpenditur; ſive quod pulvis ille, carni coctæ aut aſſatæ adſperſus, obtuſus fuerit à pinguedine ejuſdem; ſive quod canum ventriculi celeris admodum digeſtionis ſint, ut tanſmittant citius cum craſſis chyli partibus noxiam aliquam rem, quàm

ut

ut perfectè recipiant dejectoriam hujus irradiationem; ſive denique ob intimam naturæ proprietatem, cujus beneficio, quemadmodum aves alioquin varii generis, araneas impunè deglutire videmus, ita cæteroquin neque opii aliquam partem canibus aliis obfuiſſe, ſolutionem illius cum cibo deglutientibus, comperi. In cati domeſtici verò alicujus venam, curioſitatis ergò, infundam, cum tempus & occaſio ſuppetet, ſanguinem muris, vino calido commiſtum, atque antipathias reſpectu, eventum præſtolabor.

§. 45. Immò etiam in homine Experimentum Chirurgiæ Infuſoriæ (catharticæ verò, non diaphoreticæ) factum jam fuiſſe in *Anglia* aut alibi, jam in ſuperioribus pertractatum eſt: ut nullatenus dubitem, quin interceſſu ejus ſudor, contumaciter interdum emanans, revocari poſſit.

§. 46. Hoc ſaltem (VIII) denique, ut ingenuè fatear, ſcrupulum aliquem adhuc mihi fovet: *Cujus naturæ ac conditionis conveniat eſſe liquorem, Venæ ſectæ infundendum*, quo ſcil. conſcendere quantocyus valeamus ad penetrandas ſine moleſtia, ac Venæ ipſius corroſione, in tanto temporis, quod penes agonizantes eſt, præcipitio, ſanguinis coagulati fibras? Nominatim, an liquor debeat eſſe naturæ vel ſalinæ, vel opiatæ, vel ſulphureæ, vel cum miaſmate pravo homogeneæ, vel alterius qualiſcunque?

§. 47. Nam etiamſi haud parum præſidii (niſi potiſſima ejus pars & cardo) reſidere videtur in *Spiritu aliquo ſalino* ac volatili, e. g. *Salis Ammoniaci*, ſi media ejus drachma cum drachma integra *Spiritus Vini Camphorati*, ac drachmis duabus cum media *Aquæ*, aut *Spiritus alicujus confortativi*, miſceatur, & adhibeatur dein modo debito; & majus forte auxilium adhuc, in *Spiritu ejuſdem ſalis Ammoniaci & Tartari compoſito*, cujus formulam ac vires, inſignes admodum, celebratas vide apud celebratiſſimum multa meritorum laude *Dn. D. Guernerum Rolfincium*, Fautorem meum ſingularem *lib. III. Art. Chim. Sect.* 2. *artic.* 1. *cap.* 22. *p.* 171. ad majorem doſin, ſanguinis reſpectui debitam, aſcendere vix licet, ad vitandam tunicæ venoſæ qualemcunque arroſionem.

§. 48. Attamen multò minus ad Opiata confugere hîc conſultum eſt. Nam hæc etiam penetrantia quidem

dem valdè ſunt, unde graviſſimorum Auctorum conſenſu & experientia multiplici conſtat, palmarium robur *Theriacæ*, *Mithridatio*, *Philoniis ac Laudanis*, *Requiei Nicolai*, *Diaſcordio Fracaſtorii*, *&c.* accedere ab Opii miſcela; quia tamen idem Opium ſimul, ob qualemcunque inhæſionem ſulphuris alicujus pravi, ſylveſtris, ac narcotici, ſpirituum motus efferos, concitatiores ſanguinis turbas frænandi, domandi, ac ſopiendi habet vim; ideòque ne quies forte lethalis nectatur in caſibus Chirurgiæ noſtræ ſubjectis ex uſu Opii, utpote in quibus, ob ipſiſſimam tarditatem & languorem quieti proximum, ſanguinis motus potius eſt excitandus, quàm retardandus; merito medicamina ea, tantopere ſuſpecta, procul hinc arcemus.

§. 49. Et horum loco *de Sulphureis* etiam *&* *Balſamicis* aliquid annectimus. Ea miris modis extolluntur à ſupra aliquoties laudato *Petro à Caſtro*, uſque adeò, ut ſpirituoſa alioquin medicamenta, Alexiteria vocata, & Magiſteria Chymica, ipſaque ſalia Theriacalia, ab *Aëtio* & *Galeno* tantopere laudata (quantumlibet vim penetrandi nobilem habentia) ſimpliciter tamen reprobet, & mortem potius inferre ſtatuat, quia poteſtate careant viſciditatem ſanguinis deſtruendi, & fundant tantum in eo, foraſque expellant ſuccos inculpabiles, relicto intus peſtilenti hoſte. Solam autem vim, ſanguinis fibras diſſipandi, exiſtere autumat in *ſulphure*, & *excellere* quidem *mirabiliter in eo*; uti hanc ſuam ſententiam pluſculis deducit *pag.* 104. *&* 105. *Libri de Peſte Neapolitana.* Quo in loco Auctor quidem maximè agit de internis medicamentis, quæ conciliandi ſudoris ergò in peſte præſcribantur: facilè tamen hinc telum aliquod confici poſſe contra Chirurgiam Noſtram (aut dubium certè non leviculum) pateſcit, quia medicamenta, quæ juxta inventionem meam, per ſiphonem aut fiſtulam veniunt in Venam inſufflanda, non tam externa ſunt, quin ſubitò interna fiant, & in eandem *Petri Caſtrenſis* cenſuram incidant.

§. 50. *Thomas Williſius* viciſſim, acutiſſimi ingenii Vir, *lib. de Febr. cap.* 13. *p. m.* 236. inter medicamenta Alexipharmaca, maxime neceſſaria æſtimat ejuſmodi, quæ cum *miaſmate pravo harmonica ſint*, & cum illo foveant amicitiam quandam naturalem. Secus, non diſſolutum iri

iri gelatinam ſanguinis, quia, ut alioquin argumentabatur jam ipſe *Petrus* à *Caſtro*, ſuo juri ac imperio identidem linquatur mali peſtilentialis fomes, ac hoſtis naturæ humanæ infenſiſſimus.

§. 51. Quæ omnia hactenus allata, plauſibilia admodum ſunt, ſed tamen quodammodo diſcrepantia inter ſe: ita videndum, in plenioris diſcurſus procuratione futura, erit, ut exitus ex iſtiuſmodi etiam labyrintho inveniri poſſit, arreptâ diſtinctione commodâ, quâ tanquam filo Ariadneo, via dirigatur; ſed animum interim curis poſterioribus cum ipſo calamo ſervemus.

§. 52. Atque ut claudamus magis magiſque totam rem cum mentione ejus, qui primus motor per epiſtolam ſuam mihi exſtitit, quo curam iſtam Chirurgico-Infuſoriam è ſitu, quem initio tetigi, duorum annorum, revocarem, non ſupervacaneum exiſtimo, addere ſtrictim paucula adhuc, quibus ſuam etiam de infundendi liquoris conditione ſententiam mihi aperuit *Sachſius CL.* in literis *die* 13. *Aug. St. Novi hoc Anno* (1664.) ſcriptis ad me: „ Inquiris, *inquiens*, de remedio quodam ſingulari penetrantiſſimo, quod minima doſi poſſit infundi, & ſanguinem quaſi concreſcentem rurſus fundere &c. Sed arduum, inquirere tam efficax remedium, quod præcipuè in acutis & malignis non ſimul calorem præternat. augeat. In Hyſtericis & Apoplecticis fortean facilior via per El. Matthioli, aut Elixir Vitæ, quale Magni Ducis Hetruriæ eſt, &c. &c.

§. 53. Reſpondeo ſub finem, egregia admodum & exquiſitæ Eruditionis plena quidem eſſe tam hæc, quæ modo allegavi, verba mei *Sachſii*, quàm reliqua, quæ imposterum annectam: condonet tamen mihi hanc unicam diſſenſionis ſpeciem honoratiſſimi amici integritas, quod ſcopus inventi mei uſque adeò ad affectus fluidioris ſanguinis adhuc directus non ſit, ut potius interrupto & ſuſpenſo alicubi, *ob viſciditatem & jacturam ſpirituum*, ejuſdem motui medelam conferre tentet; ſuſcitando, ope liquoris cujuſdam penetrantioris, novam quaſi in ſanguine fermentationem, qua fibræ utcunque rurſus diſſolvantur, conjiciendoque corpus artificialiter admodum in febriculam (tanquam morbum minorem) ſeorſim dein gubernandam, ad ſimilitudinem quandam naturæ, vel *Hippocratis*, qui obſervavit, *convulſiones & diſtenſiones ner-*

*nervorum*, tanquam affectus, quorum cauſam indubiè à frigore petiit, *febre ſubſequa reſolvi*, 4. *Aphor.* 57.

§. 54. Literatos cordatiores precor, opellam hanc meam ſcrutaturos, ut ſine livore momenta ejus ponderent, judicium de iiſdem ſine acerbitate, & liberam hoc pacto quidem, tam ad approbandum quidem, quam diſſentiendum, ſi ipſis videbitur, æquam tamen etiam, & homine chriſtiano maximè dignam voluntatem ferant. Ita, quod haud vanè auguror, *Gloria urbanitatis penes ipſos major, quam contradictionis erit.*

*Huc uſque D. Major.*

Ex his adductis cauſis expertus Chirurgus perſpicere poteſt, hanc operationem ſummum adferre deſperato ægrotanti auxilium, ut in *epilepſia*, *lepra*, *paralyſi*, *apoplexia*, *arthritide*, *ſuffocatione uterina*, & in ſimilibus affectibus.

FIG. V. Cæcum depingit, cujus oculus phlebotomo (*a. a*), à manu Chirurgi (*d*) aperitur, ut humor condenſatus pituitoſus, qui viſum impedit, leniter exprimatur.

FIG. VI. eandem demonſtrat Perſonam, cujus oculis per vulnuſculum (*e*) Liquor artificioſus, in Fiſtula (*e*) contentus, ope manuum Chirurgi (*n. n*) abſque moleſtia inſtillatur; (*o. o*) exhibent perſpicilla, quæ apponuntur oculis, ut, qui ſecandi ſunt, immoti & fixi perſiſtant, ut quoque aſſignatus locus reſcindi commodius poſſit, ne operatio fuſtra inſtituatur.

*Littera* X. Lagena eſt, in qua artificioſus humor aſſervatur; qui ex *Chelidonia majore* extrahitur; modus idem, quem ex *Joſephi Burrhi* epiſtola ad celebrem Anatomicum *Thomam Bartholinum*, de reſtauratione humorum oculorum ſuperius fusè tradidimus: ad hanc deſcriptionem mittimus avidum lectorem. Hæc operatio, quamvis ab artis cultoribus irridetur, & ab ægrotantibus non facilè admittatur, noſtro judicio facilè admitti poreſt, ſi ex ſignis demonſtrari poſſit, cauſam cæcitatis in vitio humorum conſiſtere.

TA-

# TABULA XV.

## *De variis Machinis, in affectibus oculorum neceſſariis, & de Setone.*

FIGURA. I. eſt Patiens, in cujus oculos arte paratus humor immiſſus eſt, excavato perſpicillo (*a. a*) armatus, cujus vitra perforata parvo foramine. Hoc perſpicillum oculos ab injuria aëris defendit, & ut recens inſtillatus humor cryſtallinus radios per lineam rectam circularetur.

FIG. II. delineat ægrum, cujus oculi altius incidi debent, habentem biceps perſpicillum (*c. c. c*) præditum duobus circulis ſemilunaribus (*o. o*) neceſſarium ad oculos profundius pertundendos, ut pupilla intra ſuum orbem coërceatur, quâ extra iridem motâ operatio fruſtranea foret.

FIG. III. eſt Phlebotomum, ad oculos abſque læſione nervi optici ſcindendos aptum.

FIG. IV. depingit inſtrumentum, quod patientis naſo imponitur, ne oculus à ſectione chirurgi vacillet.

FIG. V. ob oculos ponit perſpicillum ſeorſim, quod *Figura* I. in naſo ægri demonſtrat, duobus excavatis & perforatis vitris præditum.

FIG. VI. biceps perſpicillum, duos ſemilunares circulos exhibens, prædicto uſui accommodatum.

FIG. VII. eſt ænea fiſtula, quæ oſtio clauditur, per quod vapores *aquæ chelidoniæ*, quæ vaſe calido continetur, ad oculos lente obrepunt, ut à ſpecie cæcitatis (quam Guttam ſerenam nominamus) patientes liberent.

Species hæc cæcitatis apud Latinos *Gutta ſerena*, apud Græcos *Amauroſis*, quod idem eſt ac inviſibilis cæcitas, nominatur, quando homo privatur viſu abſque manifeſto vitio oculorum: inviſibilem cæcitatem vocitant Græci, quia cauſa mali in nervo optico hæret.

Cæcitas autem hæc oritur, dum ſpiritibus animalibus à cerebro ad oculum liber tranſitus denegatur, cum autem ſpiritus animales à cerebro, per nervos opticos in oculos influant, impedimentum illius fluxus in nervis opti-

opticis quærendum eſt. Variis autem modis nervi optici poſſunt affici, potiſſimum obſtructione, adſtrictione, & ſolutione continui.

Prima cauſa ſive obſtructio communiſſima eſt, & maximè Guttæ ſerenæ annexa, quæ generatur ab humore pituitoſo, à cerebro in nervos illabente, non aliter ac alii nervi in paralyſi ab eodem humore obſtruuntur, ita ut conſimiles affectus, reſpectu illius obſtructionis dici poſſint. Indubitatum tamen eſt, obſtructionem & compreſſionem nervorum opticorum hunc affectum generare poſſe, quæ quidem compreſſio oriri poteſt, tum ab humore pituitoſo, circa nervos opticos collecto, eoſque comprimente, tum etiam à ſanguine, pure, aliave materia in eodem loco cumulata, quapropter quilibet tumores in iis partibus orti ſimilem cæcitatem cauſare valent. Experientia enim demonſtrat, cerebri inflammationi, tum etiam phrenitidi, in febribus maliginis cæcitatem interdum in uno oculo, interdum in utroque ſupervenire, & refert *Platerus, lib.* 1. *Obſervationum*: quod cæcitatem viderit, quæ originem ſumpſerat à tumore globoſo in cerebro, nervos opticos comprimente; id quod apertio cadaveris ipſi ad oculum demonſtravit.

Deinde vulnera capitis, in quibus nervi optici reſcinduntur, ut ſpiritus animales in oculos amplius influere non poſſint, hunc affectum producunt.

Deprehenditur hæc cæcitas, quod oculi in ſtatu naturali conſtituti videantur, & nullum in iis vitium appareat, niſi quod pupilla nigrior & amplior eſſe videatur; verum in cauſarum differentiis diſtinguendis maxima difficultas eſt. Licet enim à ſanguine, aut pure genitus affectus, ex inflammatione, abſceſſu aut vulnere prægreſſo dignoſcatur, nullum tamen ſignum certum dari poteſt, per quod compreſſionem ab humore pituitoſo factam, ab obſtructione diſtinguere poſſimus: conjecturâ tamen poſſumus aliquo modo id deprehendere; quandoquidem in obſtructione ſolius nervi optici, ſolus oculus afficitur; ſi verò ejuſdem nerui compreſſio fiat ab humoribus pituitoſis circa oculorum radices & proceſſus mammillares collectis, vel illa materia alias etiam cerebri partes occupat, & tunc reliqui ſenſus læduntur, aut eorum nonnulli; ſi verò nervos tantùm opticos obſideat, materia pituitoſa ſolito copioſior per nares ex-

cernitur, & dolor gravativus in anteriori capitis parte, præſertim circa ſupercilia, ſentitur.

Quod ad prognoſticum attinet, hic affectus, ſi integra viſus abolitio ſit ab obſtructione nervi optici, plerumque curationem non admittit, ut videmus in aliorum nervorum obſtructionibus, à quibus oritur paralyſis, quæ vix ant nunquam curatur, præcipue in iis, qui ſunt provectioris ætatis; ſi verò imperfecta ſit obſtructio, quæ viſûs tantum imminutionem, non autem perfectam cæcitatem affert, major ſpes curandi ægrotantes eſt: licet ea non niſi magno labore & longo medicamentorum uſu poſſit acquiri.

Si verò hic affectus ortum ſuum ab humoribus, in anteriore cerebri parte collectis, habeat, & comprimentibus ſuo pondere, facilius medicamentis cedit; ſic refert *Fabritius Hildanus*, *obſerv.* 19. *cent.* 5. quendam ex aſſumpto vomitorio vehementi, viſum amiſiſſe, eundemque ejuſdem medicamenti beneficio recuperaſſe: quandoquidem vehementi vomitorio, humores nimium exagitati, & verſus nervos opticos propulſi, eoſdem comprimendo, ſpirituum ad oculos commeatum impediebant; iiſdem verò eodem medicamento evacuatis, morbus ſolutus eſt. Similis ferè hiſtoria refertur à *Sennerto* de quodam Studioſo, qui cum medicamentum purgans fortuitò ſumpſiſſet, ſubitò viſum amiſit. Idem etiam ſcribit, quod fœminæ quædam, cum concepiſſent, ob nervorum opticorum anguſtiam occæcatæ fuerint, malumque hoc poſt quatuor aut quinque menſes poſt partum omnino deſierit. Nos etiam nonnullos vidimus, qui, dum in maximam viſus imminutionem inciderant, evacuantibus univerſalibus, & revulſionibus quibuſdam, ſpatio quindecim dierum fuêre ſanitati reſtituti. Ex hac facilitate curationis indicavimus, humorem non intra nervi ſubſtantiam inpactum, ſed in cerebro circa nervos conſervatum fuiſſe.

FIG. VIII. Cæcum depingit, unum oculum ſupra fiſtulam (*a*) tenentem, ut fumum *Aquæ Chelidoniæ* aſcendentem ex vaſe æneo (*b*) per infundibulum (*c*) capiat, & ut penetrantes vapores humores, viſum offendentes, diſſipent: hoc fumigio Comitiſſa *de Brederode*, teſte *Burrho* trium dierum ſpatio tantum viſûs recuperavit, ut digitos manûs diſcernere poſſet. In hac operatione animad-

madvertendum, ut oculi per vices, nunc unus nunc alter, fumum attrahant.

Curam hujus cæcitatis promoveret Setaceum, quod in brachio, pede, & alio loco poni poteſt, ſed in collo inter primam & ſecundam, vel inter hanc & tertiam vertebram noſtro ævo excitari ſolet.

Utilitatem hujus operationis, licèt *Helmontius* aliique chimici pro diro & inutili medicamento habeant, & damnent, attamen quotidiana experientia veterum & neotericorum defendet.

Veteres ad Setaceum tria inſtrumenta eſſe neceſſaria ſcribunt, forcipem duobus foraminibus perforatam, triacuminatam acum, & filum ſericum craſſitiei acus; ſed foramina forcipis ampliora, quam acus, ut ſint neceſſe eſt. Forcipe cutis patientis ad ſenſum uſque apprehenditur, per quam candens acus quàm citiſſimè pertrahitur.

Sed hiſce noſtris temporibus hæc operatio minore cum apparatu & dolore perfici poteſt, ut FIG. IX. demonſtrat, in qua manus ſervi inferius, & altera manus Magiſtri, cutim verſus collum elevant, & manus dextra acuminatum acum (*e*), unà cum filo goſſipii (*a. a*) unguento Baſilico inunćto, ſine excandeſcentia tranſmittit.

Primo die, dolorem ſedandi gratiâ, linum aquâ roſaceâ cum albumine ovi imbutum vulneri, poſtulante neceſſitate, imponitur. Poſtea deveniendum ad digeſtiva; digeſtione facta, filum ſingulis diebus ultro citroquè trahendum, continuando donec pars fili pure infecta appareat, & hoc notato operatio perfecta eſt, & Patiens tamdiu vulnus apertum ſervabit, quàm occaſio poſtulaverit.

FIG. X. Acum cum filo demonſtrat, quâ poſtulante neceſſitate utimur.

# TABULA XVI.

## *De Machinis ad inſertionem Naſorum, Labiorumque neceſſariis.*

### FIGURA. I. *Bicipitem exhibet Forcipem & cultrum.*

*e.* Lamina forcipis.
*a. a.* Labium inferius.
*o. o.* Labium ſuperius.
*d. d.* Linea forcipis.
*i. i.* Arcus biceps.
*k.* Conjunctio.
*f.* Conjunctionis clavus.
*l.* Manubrium ſerratum.
*h.* Manubrium annulare.
*g.* Serra Manubrii.
*f.* Annulus Manubrii immobilis.
*e.* Annulus mobilis.
*q.* Culter.
*c.* Cultri acies.
*b.* Manubrium.

### FIG. II. *Forcipem tricipitem habet, & cultros neceſſarios.*

R *a.* Forceps triceps delineationis cutis propaginis.
*m. m.* Lamina forcipis.
*d. d.* Linea ipſius laminæ, per quam cultro admiſſo cutis inciditur.
*e. e.* Laminæ inferius labrum, & brachium tangens.
*c. c.* Laminæ ſuperius labrum, & cutis propaginem reſpiciens.
*o. o. o.* Arcus triceps forcipis, à quo nomen ſumpſit.
*i. i.* Conjunctio forcipis.
*S.* Conjunctionis clavus.
*h. h.* Manubrium ſerratum.
*f.* Manubrii ſerra.

n. n.

*n. n.* Manubrium annulare.
*o.* Manubrii annulus immobilis.
*g.* Manubrii annulus mobilis.
*q.* Culter delineandæ cutis propagini neceſſarius, ut *in præcedenti Figurâ.*

## FIG. III. *Acus, & Faſciarum typum habet pro deligatione facienda.*

*a. a. a.* Acus.
*b. b. b.* Linum.
*o. o. o.* Faſcia, quam regiam diximus.
*e. e.* Faſcia cubitalis.
*f.* Faſcia pectoralis.
*g.* Faſcia brachialis,
*c.* Faſcia axillaris.
*l. l.* Foramina funiculorum.
*e. e.* Funiculi.

## FIG. IV. *Forcipem ad inſerendam columnam, & cultros, & incurvas acus continet.*

*S. S.* Forceps columnaris.
*t. t.* Forcipis columnaris laminæ.
*a. a.* Forcipis laminarum complexus. Nam illam clauſam depinximus.
*b. b.* Arcus forcipis.
*V.* Conjunctio forcipis.
*X.* Clavus conjunctionis.
*c.* Manubrium ſerratum.
*d.* Serra manubrii.
*n. n.* Manubrium annulare.
*f.* Annulus manubrii immobilis.
*e.* Annulus manubrii mobilis.
*o.* Cultri pro excoriatione inſerendæ columnæ.
*g.* Cultrorum acies.
*h.* Cultrorum manubria.
*l. l.* Acus incurvæ.
*m. m.* Funiculi, ut ante.

FIG. V.

## FIG. V. *Cultros monſtrat & Tubulos.*

*e.* Culter in myrthi figuram eductus, ad efformandas rythonas.
*f.* Culter alius inſtar olivæ, peræquè neceſſarius ad excavandas rythonas.
*a. a. a.* Tubuloram pars ſuperior longior & nares contingens.
1. 2. 3. Tubulorum pars inferior brevior & maxillæ injectæ.
*g. g. g.* Tubulorum partes laterales.
*o. o. o. o.* Tubulorum cavum ad capita.
*ſ. ſ.* Tubulorum cavum ad fines.
*d.* Tubuli capitis apex interior, quo cavum ſpectat.
*e.* Tubuli capitis apex exterior, quo globulum & alarum principia amplectitur.

## FIG. VI. *Tectoria, annulos & funiculos, ex quibus colligandi modus comprehenditur, continet.*

*a. a. a.* Tectorium.
*b. b. b.* Tectorii ſumma pars, quæ perforanda eſt, & funiculus ille, quem ajugum diximus, tranſmittendus. Annulo non opus eſt. Nil enim ex nodo incommodi emergit.
*c. c.* Tectorii dorſum.
*o. o. o.* Apex globuli.
*a. a. a.* Columna tectorii.
*e. e.* Alæ tectorii.
*b. b. b.* Tectorii latera.
*d. d.* Annulus ſuperior pro ſuperna deligatione.
*e. e.* Annulus centralis Regius, pro regia deligatione.
*f. f.* Annuli laterales regii, pro regia & catholica deligatione.
*ko. kp.* Funiculi deligationis ſupernæ.
*l. l.* Funiculi deligationis regiæ.
*ks. kt.* Funiculi catholicæ ſeu obliquæ deligationis.

TA-

# TABULA XVII.

## *Operationes in Naſorum, Labiorumque inſitione neceſſarias exhibens.*

NAres, ut earum dignitatem conſideremus, quantum pulchritudini ſplendoris afferant, ſatis explicari non poteſt. Quamvis enim cuique faciei partium ſuus honor, ſua gratia adſit, quæ ſuavi rythmo diſpoſita, in auguſtiſſimam formæ ſpeciem conſpirent, peculiaris tamen naſi ratio eſt, ut, concinnus ſi fuerit, ſummoperè faciem commendet, diſtortus verò, aut pravus, aut ſimus, aut vulnere notatus, totam formæ honeſtatem evertat. Hinc oblongus naſus inter deformitatis convitia refertur, ut *Horatius*, *Serm. l.* 1. *Sat.* 2.

> *Depygis naſuta, brevi latere & pede longo eſt.*
> Et rurſus:
> *Æmilium circa ludum faber imus, & ungues*
> *Exprimet, & molles imitabitur ære capillos,*
> *Infœlix operis ſumma, quia ponere totum*
> *Neſciet: hunc ego me, ſi quid componere curem,*
> *Non magis eſſe velim, quam pravo vivere naſo,*
> *Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.*

Sic *Terentius* ex naſo formæ decorem metitur, dum ait: *Illamne rufam virginem, cæſiam ſparſo ore, adunco naſo.* Teſtantur id exempla, & imprimis optimè cognovit, quantum pulchritudini, ex naribus accederet decederetque, purpuratus ille, *qui abreptæ à* Roberto *filio* Petri Antiſidorienſis, *ſponſæ nares præcidi curaverat, ut qua cauſa allectus fuerat* Robertus *ad ſponſæ raptum, eâdem ſpoliatus graves aculeos doloris perſentiſceret.* Sic *Sancta Eba regii ſanguinis Angla, Colymbavienſis monaſterii præſes, ut funeſtam irruentium Danorum libidinem à corpore ſuo averteret, unâ cum cæteris religioſæ illius vitæ comitibus nares ſibi obtruncavit,* quo vulnere non tam indecoro quam honeſto caſtitatem Deo promiſſam, caſta fœmina redemit. Etenim narium apice abſciſſo, panduntur ſinus & partium internarum receſſus, vaſti patent hiatus, & cavernæ, inſtar antri Thryphonii, obſcuræ; horrendum cer-

tè

tè & abominandum aſpicientibus ſpectaculum. Ineſt præterea Naſo neſcio quid auguſtum, & regium; an quia forma corporis, & animæ decoris index ſit: an quia peculiaris quædam imperandi dexteritas, & prudentia in eo eniteat. *Sic in rege ſuo Perſæ naſum aquilinum admirantur: ſic in veteri lege, qui vel parvo, vel grandi, vel torto naſo erant, ſacerdotio, & ſacrificiis arcebantur.* Tantum tribuitur honoris ipſis naribus, ut, qui careant iis, ad gubernacula penitus non admittantur. *Id* Hircano *Judæorum Regi obtigit, qui mulctatus à fratre naribus, & auribus, imperio cedere coactus fuit.* Sic Martina, Conſtantini Heraclii *Imperatoris noverca, dum* Heracleoni *filio regnum aſtrueret, interfecto venenis privigno, unà cum filio à ſenatu expellitur, alteri quidem, ut ineptus eſſet ad gubernacula, reſecto naſo; alteri vero linguâ amputatâ, quò juſtas in filium cædis pœnas lueret.* Sic *Imperatores duo* Juſtinianus & Leontius *eaſdem ob cauſas hoc ſupplicium ſubierunt.*

Jam igitur primum eſt in hac curtorum diſciplina dirigenda, quod & in reliquis artibus, rerum natura ſic expoſcente, uſu venit, ut materiei omnis naturam, & ſubſtantiam conſideremus. Diximus enim ſupra, cutim eſſe materiam, unde refectio curtorum paranda ſit, cum hujus artis exordia patefecimus. Ex quo recentiorum error, qui è carne nares reſarciri dicunt, manifeſtò deprehenditur, quod ſuo loco tranſigemus. Itaque ſigillatim expendendum eſt, quanam ratione cute tantum, non item aliis partibus ad hoc negotium opus ſit, & quæ hujuſce rei argumenta habeamus. Certum eſt atque omnium medicorum conſenſu receptum, *quod partibus humani corporis, ſi quid quondam perierit, primò quidem attentemus, ut aliquid ſubſtantiæ quàm ſimillimum, in locum amiſſæ particulæ reſtituamus: Atque ſi id nobis denegatum fuerit, hoc ſaltem ſedulò curemus, quò tale quid, quod ſecundum uſum cum priori præſtet, machinemur.* Quod ex oſſium fracturis abundè liquet, in quibus cum oſſis tibiæ ſæpe portionem magnam exſcindere cogamur, ut alteram ejus loco ſubſtantiam producamus, naturam ipſam medicamentis carnem gignentibus provocemus, quæ utique inter initia velut dura caro eſt, poſtmodum verò durioris calli firmitatem accipit, & temporis tractu roborata, loco oſſis ad inceſſum habilis redditur. Quare cum labia, nares, & aures cutis ſubſtantiam referant, neque

fieri

fieri poſſit, ut quod reſectum ſemel fuerit, ex ſua natura denuò repullulet, cutim alterius partis adductam, ut partium harum dedecus ſemoverent, atque læſis membris conjunctam, primi artis autores accommodarunt. Quod fieri ad imitationem inſerendarum arborum, ut diximus, ſibi facilè perſuadebant, cum præter ſubſtantiæ cognationem nulla corporis noſtri pars ſit, quæ citra maximum vitæ incommodum, ac ipſa cutis à cæterorum conſortio avelli, & alio transferri queat. *Cùm vero quatuor in univerſum ſint cutis differentiæ*, non omnes ad hanc operationem idoneas eſſe, præmonuiſſe voluimus, ſed unam tantum, quod in ſequentibus apparet. Una enim cutis differentia eſt, quod expers pilorum ſit, quod exquiſitè ſentiat, quodque à ſubjectis corporibus vix ſeparari, neque ut cætera complicari queat, qualem manus volam, & plantas pedum eſſe *Galenus* refert. Alia cutis eſt, quæ muſculum, cujus gratia movetur, eumque tenuem ſubſtratum habet, quod in fronte fieri videmus. Succedit tertia ſpecies, quam propter varium & multiplicem fibrarum carnearum implexum, ſive muſculum cutaneum, ſive cutim muſculoſam dixeris, nihil refert, qua labia & buccæ conſtant. Poſtremum cutis genus eſt commune velamentum totius corporis, alicubi pilis deſtitutum, ubique motûs expers, & quod citra difficultatem à connexis partibus divellitur. Ex his igitur quatuor generibus cutis, hæc ultima ſaltem ad noſtrum uſum transfertur, cum prima nec educi, nec educari, nec reſcindi poſſit, abſque vitæ periculo, neque ejuſmodi ſit, ut æquè formam deperditæ partis referat. Haud abſimili ratione rejiciuntur duæ proximæ, tanquam prorſus alienæ, cum neque in multis partibus reperiantur, neque commodè mutilatis membris adduci, & connecti queant. Sola igitur ſupereſt quarta, quæ univerſum corporis ambitum, velut amiculum quoddam, & velut piſcatorum naſſa circumpoſita involvit, quæ quanam in parte rectius educi, & felicius avelli poſſit, in ſequentibus videbimus.

Poſteaquam hucuſque materiam ad curta reſtituenda cutim eſſe cognovimus, neque tamen promiſcuè omnem, ſed quæ ſimilitudine, & cæteris notis jam relatis, ad curtorum eſſentiam proximè accedat, nunc regionem & ſedem, ex qua transferri debeat, brevibus perſcrutemur.

temur. Hunc locum non diverſum eſſe ab humero jam recepta conſuetudine, quiſquis ille fuerit, qui primum id adverterit, conſtituimus. Id autem quanta cum ratione, quàm acri judicio factum ſit, ſi prius, quæ ad hanc operationem requiruntur, conditiones enarraverimus, rectè pernoſcemus. Principio igitur curtorum ſubſtantiam, materiei quantitatem & qualitatem expoſcere, nemini non perſpectum eſt, cum ut ſupradictum fuit, ea ſpecie curtis eſſe debeat quam ſimillima: & quæ nunc dicendum reſtant, tantam eſſe oporteat, quæ ſat amplam ad reſectionem copiam ſuppeditet, ne quod alias mutilum, & truncum fuerat, mancum denuò, & imperfectum remaneat, atque ne qua ars noſtra apud imperitos, & malevolos, quibus nihil ſanum eſt, culpanda veniat. Præterea cum ipſa cutis cum curtis conjungenda, illis aſſuenda, & ad coalitum uſque non exiguo tempore continenda ſit, profectò requirit ipſa ratio, ut illa pars, quæ traducem commodat, commodè adduci, benè conjungi, & quouſque partes validè coaluerint, nullo aut perexiguo cum patientis incommodo, in connexione, cum curtis, jucunda detineri poſſit. Haud ſecus convenit, & prudentis medici officium eſt, ne quam una in parte notam deleat, eam turpitudinem aliis inurat. Petenda itaque eſt hæc reſectio ex eo loco, qui quàm minimum oculis pateat, & pro libitu abſcondi queat, atque quod caput rei eſt, ut ipſa operatio ſecura ſit, & quàm levibus, imò ne ullis quidem periculis obnoxia. Sed quàm benè hæc omnia ipſi humero quadrent, ita ut eo nihil aptius ad hoc negotium reperiri potuerit, ex ſequentibus perſpicitur. Proximè enim ad naturam labiorum, & narium accedit cutis humeri, & præcipuè, quæ oculis ex adverſo poſita eſt, tantaque pollet amplitudine, ut materiam pro reſectione curtorum maximè idoneam exhibeat. Non enim æqualem mole cum curtis partibus illam eſſe oportet, ſed juſtis de cauſis multò ampliorem, quod paulo poſt oſtendemus. His igitur omnibus abundè humerus ſatisfacit, & præcipuè, quod propagine jam ſecreta, & educta, cum affectis locis aptè conjungi, ſuturis committi, & abſque moleſtia ægri immotus conſervari queat, quouſque membra agglutinata perfectè coiverint. Quod autem admoveri, & connecti poſſit humerus, per ſe manifeſtum eſt, non tamen æquè

 patet

patet, an id citra dolorem & patientis noxam fiat. Videbitur verò, ſi ipſius brachii ſitum, dum faciei admovetur, & quantum à media figura diſtet, *qui dolorum expers eſt*, prius demonſtraverimus. Situs igitur brachii hic eſt. Pars antica humeri, quantum fieri poteſt, naribus proximè adhibetur. Sincipiti medio carpo conterminа ulna imponitur, ut articulus humeri ad ulnam, cum ea faciei parte, quæ ſupercilia continet, exactè concurrat. At carpi pars domeſtica, ſuturam ſincipitis ſagittalem, quam vocant, mediam attingit. Tandem verò ad verticem ipſum vola manus ſecedit, atque medius digitus, quam proximè fieri poteſt, ad eum, qui in occipite eſt, ſuturæ angulum adducitur. Hæc igitur brachii figura eſt, quando cum partibus curtis committitur, quam ſi ad *Galeni* rhombum adaptaverimus, & primum illam, quæ eſt ad cubiti, & carpi articulum, atque adeò quicquid eſt extremæ manus, videbimus eam à figura media declinare paululum, humeri verò juncturam cum Homoplatarum altera à media non mediocriter recedere. Etenim in articulo ad gibbum figura angularis rationem mediam inter extremos motus obtinet. Carpum ad utramque partem æquè flectimus rectè & reflectimus. A vinculis liberi ſunt ipſi digiti, ideoque in quamcumque velint figuram ſeſe conjiciunt. Abeſt quidem manus à figura media inter pronum, & ſupinum, videlicet ob carpi inflexionem, non tamen ultra modum. Unus ſupereſt humeri articulus, qui à mediocritate figuræ plurimum diſtat, præcipuè cum à lateris poſitu, ubi natura quieſcit, ad faciem uſque, ab imis ad alta attrahendus ſit, & ſecum muſculos eos, qui humerum, & ſcapulas detrahunt, cum violentia extenſos abripiat. Itaque partium harum colligatio ægros procul dubio torquet, & propter partes præter mediocritatem divulſas, doloribus afficit, quod tamen ſpernendum eſt, cum dolor ille intra quatriduum evaneſcat, dum ex conſuetudine partes emollitæ in contrarium habitum abiverint. Si igitur brachii ſitum ad internodia ſua conſideremus, eaque in operatione faſciis probè munita applicemus, cum non uſque adeò recedant à media figura (leve enim illud eſt incommodum, quodque quamprimum corrigitur) quare partem hanc, ad amovendos narium defectus, ſanè commodam eſſe dicemus, eamque ſumma cum ratione inſtitutam fuiſſe, ut rejectis aliis membris,

bris, tanquam inutilibus, ex hoc loco propago illa depromatur, atque adeo cum neque fœditas, neque turpitudo ulla his partibus inuratur. Proximè enim thoraci adjacent, parti ei, quæ vel nunquam vel rarò ſolet denudari, ſic revireſcente carne eatenus ex arte reſtituuntur, ut exigua plane aut fere nulla ab ea excisione ſtigmata remaneant. His accedit operationis ſecuritas, cum nullum ferè periculum ſubſit, dum propaginem educimus atque evellimus, neque mortiferæ convulſionis, neque ſævæ hæmorrhagiæ, cum nervi deſint, nec unicum vas aut arteriarum, aut venarum in propinquo collocatum ſit, ut infra clarius patebit. Quibus ſic conſtitutis, cum non ſolum difficile, ſed plane impoſſibile ſit quandam corporis noſtri reperiri partem, quæ omnibus notis jam relatis pro voto reſpondeat, ſed haſce conditiones, qualeſcunque ſint, ſolus humerus recipiet: quare neceſſariò affirmavimus, exploſis cæteris, humerum maximè opportunum eſſe, è quo cutanea illa, & ad refectionem membrorum neceſſaria propago educatur & excidatur. Quæ enim, ſi diis placet, hæc pars eſſe poteſt? Num ulna media? At hæc ad conſtantem deligationem & ſitum venire nequit, & cum ſæpius denudetur, fœdam inciſionis plagam oculis exponit. Quod autem majus eſt, non contemnendum inſtat periculum & convulſionis, & ſanguinis profluvii, cum nervoſa tendinum corpora, & vaſa venarum ampliſſima non ita procul abſint. Illud etiam urget, ne ex cicatricis duritie, & imbecillitate, quæ duo mala ſectionem ſequi neceſſe eſt, partium illarum vigor, atque motus elangueſcat. Num igitur manus eſt idonea? Certè id neque cogitatione licet aſſequi, adeoque puerile dictu eſt, & inſulſum, ut nequid aliud. An tibia quæſo, huic uſui inſervire poterit? Sed neque hæc ad faciem attrahitur, aut ſiquidem eo violentius convellatur, non poteſt non quàm maximos cruciatus afferre, & inceſſum penitus tollere. Sic cæteras partes tam anteriores, quam poſteriores, nemo adeò captæ mentis eſt, qui omni modo ab hoc opere ſecludi non videat. Rectè igitur admodum illum ſenſiſſe, & feciſſe affirmamus, quicunque ad cutis eductionem, pro partium abſciſſarum reſtitutione hunc locum primus aſſignavit, & conſtituit, quanquam id tacito quodam conſenſu, & naturæ ſuffragio factum eſſe, dicere non vereamur. Cæterum auribus, illa hume-

 ri

ri cutis non convenit. Non enim propter craſſitiem & molem tam exactè auriculam cutis referre, neque ut decet, deligari, & conjungi poteſt. Aptiſſima tamen eſt, quæ poſt eam cutis eſt, & pilorum expers eſt. Hæc enim reſectis partibus ſubſtantiam affinem habet, & citra ingentem dolorem, parvi negotio ſedi affectæ annectitur, abeſtque ab ea omnis fœditatis culpa, cum area, unde cutis mutuata ſit, ferè tota ab ipſa auricula operiatur. Quamvis autem arteriam ad regionem illam tranſverſam incidere neceſſarium ſit, attamen omnem ejus impetum inhibebimus, & ſi quid periculi immineat, avertemus, ſi quamprimum obturatis vulnerum labiis, quæ ſanguinem conſtrictione prohibeant, ritè applicemus. At neque ſic oberit, quo minus aliunde, quam ex ſede poſt aures, ſuam auribus propaginem ſecernamus.

Succedit jam, ut cutis traducis magnitudinem atque molem pro inſertione facienda indagemus, cujus rationem niſi habuerimus, aut artem fine ſuo fruſtrabimur, aut majorem, quàm par eſt, partibus noxam imprimemus. Ni enim particulis reſarciendis æqualis mole, ſed vel parcius cutis educta fuerit, equidem certum eſt, ad priſtinam figuram, & magnitudinem, ob materiæ defectum, reſecta membra non poſſe perduci: ſi verò ultra quàm decet liberalius cutem attraxeris, præter turpitudinis notam, etiam partes illas à nativa temperie plurimum deduxeris. Nam non abeſt, quin è vulnere etiam ſat anguſto & levi, nihilominus naturalis partium conſtitutio lædatur, quanto magis ex plaga adeò inſigni & gravi earum actiones corrumpi cenſebimus. Atque ut artificis imperiti eſt, propoſiti ſui, ubi liceat, ſcopum non poſſe aſſequi, ita medici eſt non mediocriter iniqui, dum præter rem ægros dilaniat, & ſanitatem, cujus ipſum autorem, non corruptorem eſſe decet, evertit. Quapropter omni cura & ſtudio anniti debet, ut ſi fieri unquam poſſit, in educenda propagine, quantitatis rationem adeò ſollicitè ſubducat, ut facto diligentius examine, minimum ſit opere confecto, quod reſcindat, in brachio autem non ita multum, quod deſideret. Hoc enim pacto nec calumniæ artem exponit, nec ægros moleſtiâ afficit. Sed quænam illa ſint, quibus animadverſis quantitatem ipſius traducis definiamus, jam dicere oportet. Ante omnia autem in conſultationem partes curtas

ducen-

ducendas eſſe nemo non videt, utpote quod earum reſe-ctionem moliamur. Non enim corpus ad veſtem conficimus, ſed veſtem corpori adaptamus. Veruntamen quamvis hoc ſi certiſſimum, non tamen æquè ſuffecerit, niſi & brachii cutim, quæ traducis materia eſt, ad illam normam reducamus. Non enim raro viderunt ii, qui hujus chirurgiæ operationem oculis inſpexerunt, & mente acrius perluſtrarunt, viderunt inquam cutim, poſt ſecundam ſectionem, cum è brachio educta verè propaginis nomen adſciſcit, occulta quadam vi, priuſquam inſeratur, ſenſim decreſcere, & aliquando octavam, nonnunquam ſextam, quandoque quartam ejus partem decedere, & quantum longitudinis ipſius conſumitur, tantum etiam proportione de latitudine deſiderari. Hoc igitur omnium maximè nobis perſuaderet, ne cutim brachii negligamus, ſed cum proximè ad examen curtarum partium virtute accedat, atque ſi non præferatur, certè æquipolleat, eam omni induſtria rectè conſideremus. Quantitas igitur propaginis petenda eſt, cum ex partibus curtis, tum à cutis ipſius, quæ in brachio eſt, natura. Veruntamen, ut id ritè peragamus, quod ſubinde in multis contingere advertimus, explicandæ ſunt nobis hujus decrementi cauſæ, mox an certa futuræ decretionis habeamus indicia, ex notitia cauſarum decerpta, qua velut regula de traducis quantitate, certi quid ſtatuere poſſimus: aut ſi hæc percipere, natura rei vetat, quibuſnam præceptis, & cautelis, ad ſcopum proximè collimare valeamus, & illa effugere incommoda, quæ nobis fuêre dicta à principio. Primum itaque propaginis decrementum, ad illam cauſam videtur rejici, ad quam aut membri alicujus aut totius corporis contabeſcentia refertur. Talis vero eſt, cum alimentum membris, quantum ad vitam expedit, accedere nequit: vel ſi viſcera præcipua, aut parti, aut corpori toti fomenta vitæ non ſubminiſtrent, vel cum confectum probe & tranſmiſſum, eo quod laborent, in partium naturam abire nutrimentum haudquaquam poſſit. Non abſimili ratione in decreſcente cutis propagine accidit, aut quod alimentum elaboratum non accedat; vel ſi accedat, non ſufficiat; aut ſi ſuffecerit, in cutaneæ ſobolis ſubſtantiam converti nequeat. Porro an propaginis noxa, an verò regionis, ex qua educitur, læſione hoc decrementum contingat, ſi partis utriuſ-

que affecta perpendamus, haud difficulter agnoſcimus. Videtur autem regionis vitio, ex qua propago ſecernitur, & quam vivi radicem appellamus, potiſſimum accedere, ne alimentum, ea, qua opus eſt, menſura, & ratione affluat, & traducis noxæ juxta imputandum eſſe, ſi quid ob cætera, erroris in nutritione irrepat. Veruntamen cum in parte illa, cui tradux inhæret, & cujus ubere, velut à matre lactatur, ne ullius quidem vitii veſtigia appareant, quorum occaſione, vel parcius, vel impurius alimentum ſuggeri neceſſe ſit, reliquum certè eſt, ut propagini hæc labes inſideat, cujus culpa à ſcopo ſuo nutritionem aberrare contingat. Alimento enim, quamvis largius ſuppeditetur, tam ob vias interclufas, quàm quod ipſe langueat, tradux uti nequit. Nam nemo iverit inficias, ob ſectiones tantâ violentiâ, & tam repente factas, ab æqualitate ſua diſſectam cutim deturbari, & cum non ſecus ad latera, quàm interna ſuperficie occalleat, ſi modo inſitioni apta futura eſt, ad frigiditatem plurimum devolvi. Quare languente primo actionis organo, & nutritionem non languere, & partem non imminui planè impoſſibile eſt. His accedit, quod viæ omnes præter unam inferiorem, tam ad latera, quam intra, ubi cutis ſubjectis corporibus adhæſerat, præcidantur, quibus interceptis & alimentum, quod antea copioſius erat, deficit, & propago illius defectu contabeſcit. Non minus propaginis decrementum promovent partium illarum deligatio, & ſingularis quædam conditio, quam à generationis primordiis ſecum attulerunt. Illam etenim arctam atque compreſſam fieri neceſſe eſt, qua ſanguinis affluxus, velut fluxus ad ſcopulos impulſus, repellitur: hac verò homines plurimum vel partium tenuitate, & craſſitie, vel laxitate, & denſitate inter ſe diſſident. Nam quæ ex cuti rara, & tenui pendet propago, illa liberalius decreſcit, non æquè verò, quæ craſſior, & denſior eſt: ſic ea, quæ laxior fuerit, valdè imminuitur, è contra quæ compacta eſt atque ſolida, minimè omnium conſumitur. Quemadmodum ſi duo illa priora mutuo convenerint, quàm celerrimè propaginem decreſcere, & uno impetu ſeneſcere videbis, eo quod duorum agentium major efficacia ſit: at minimum à congenea magnitudine decedere experieris, ſi cutim craſſam ſimul & compactam eſſe contingat. Hæ igitur cauſæ ſunt, ob

quas

quas traducem flacceſcere, & à ſua quantitate decedere neceſſarium eſt. Sed numquid hujus decrementi certa notitia haberi poteſt? Certè nil certi præcipi poſſe, in hac conſideratione, vel illud indicium certiſſimum eſt, quod temperiei forma, ex qua ratio decrementi petenda, ejuſque à mediocritate receſſus, haudquaquam nobis cognitus ſit, unde & vires illius, & effectus non ignorari non eſt non impoſſibile. Eodem pacto neque naturales propaginis facultates, neque deligationis momenta, quas decrementi cauſas eſſe retulimus, exactè rimari licet, neque exinde quid futurum ſit, prænoſcere. Veruntamen non deſperandum eſt in hac rerum obſcuritate, nec quicquam remittendum de ſtudii noſtri fervore, dum acrioris ingenii ſolertiâ non ineptè fieri poſſit, ut minus ex præſcripto, ſi ad ſcopum accedamus, quàm minimum tamen ab eo declinemus. *Nam rectum etiam eſt, quod recto eſt proximum.* Et Medicum laudat divinus *Hippocrates*, *non qui nihil aberrat, ſed qui minus delinquit, & proximè ad æqualitatem accedit.* Rarò enim, imò nunquam, quod exactum eſt, attingimus. Hoc autem conſequemur, obſervatâ ritè cutis traducis naturâ. Cùm enim cutis, quâ laxa eſt, quâ ſolida, quâ craſſa, aut quâ tenuis, decreſcat, perſpiciendum, ſi quid horum aderit, acriuſque perpendendum, & ita non præter rationem futurum propaginis ſtatum conjiciemus. Etenim contingit, res laxas, quod raræ ſint, plurimum digeri, ſolidas verò ob corporis denſitatem minus diſſipari, non ſecus ac tenuia, cum exſucca ſint, facillimè contrahuntur, & quæ craſſitiem habent, optimèque enutrita ſunt, ob molem intumeſcunt, & diſtenduntur. Si igitur cutis laxa ſimul atque tenuis fuerit, verebimur certè, ut propago magnoperè imminuatur, cum duæ adſint cauſæ decrementi, eæque vehementiſſimæ, quemadmodum ſi denſa, craſſa & benè compacta ſeſe nobis offerat, nequicquam de imminutione dubitabimus; dummodo poſthac non incautè aberremus. Cùm verò vel craſſam eam, & raram, vel denſam, & tenuem nanciſcamur, ſuſpicabimur æquè decrementum quoddam futurum eſſe, majus quidem, ſi denſa cutis & tenuis fuerit, minus verò, ſi craſſa & laxa ſit. Etenim nihil eſt, quod ad ſubitaneam contabeſcentiam æquè ac tenuitas facere videtur, cum tenuia quamprimum corrugentur & areſcant.

Ut maximè omnium cutis diminuitur, ſi cum tenuitate raritas acceſſerit, quibus nil eſt vel incommodius, vel infelicius, ad deprimendam auctoritatem Medici, & ad obſcurandam hujus artis præſtantiam, quæ ſuo fine, ut decet, potiri nequeat. Quicunque ergo ad hæc, quæ de cutis natura dicta ſunt, reſpexerit, (cætera enim indagari nequeunt), is & decrementi in traduce progreſſus, artificioſâ quâdam conjecturâ aſſequetur, & ad mediocritatem, quæ in traducis eductione circumſpicienda eſt, proximè accedet. Quanto enim vel intenſius, vel remiſſius cutim decreturam fore ſibi perſuaſerit, tanto majori vel minori traduce opus eſſe reſcribet, & modò liberius, modò parcius cutim exſcindet. Hac enim regulâ moderabimur artis noſtræ officia, ut quantum ſatis fuerit, pro curtis reſtaurandis, materiei copia nobis ſuppetat, neque plus, neque minus è brachio reſecabimus, quorum illud moleſtum eſt, hoc verò incommodum. Nam ægros vel ultra modum torquemus, vel fine ſuo artem defraudabimus. Cum autem actiones noſtras tam æqua lance ponderare nequeamus, & difficillimum ſit mediocritatis limites non excedere, quare, ſi nobis ad extremorum alterum deficiendum ſit, copiam potius in eductione traducis amplectemur, & parſimoniam, ceu noxam, fugiemus. Etenim difficilius quid additur, quàm adimitur. Igitur ſi nobis conceſſum fuerit, dum traducem adducimus, curabimus certè, ut eam adhibeamus moderantiam, quam curtorum natura expetit, ſin minus, quoniam id frequentius eſt, ad exceſſum potius, quàm ad defectum inclinemus.

Definitâ hoc pacto, quam ex cauſarum natura adinvenimus, quantitate cutis traducis, reliquum eſt, ut rationem conjungendæ propaginis, cum partibus decurtatis, tandem proponamus. Cæterum neque unum, neque ſimplicem modum eſſe applicandarum partium, neminem eſſe crediderim, cui cognita ſit priſcorum & recentiorum doctrina, qui non noverit. Antiqui enim, quibus juniores conſentiunt, tres modos conjungendi partem unam cum altera nobis reliquerunt. *Nam aut faſciis partes conſtringendæ ſunt, aut fibulis contrahendæ, aut ſuturis connectendæ.* Itaque nunc quodnam horum aptius ſit, & opportunius, quo propaginem cum partibus curtis conjungamus, in præſenti diſquirimus. Qua in re definienda, illud primo nobis objicitur, quænam ſit uniuſcujuſ-

cujuſque natura, & facultas, quæve utendi ratio. Nam perſpectis, quæ his ſubeſſe poſſunt copiis, facultatem eligendi, quod ex re noſtra fuerit, uberiorem multò habebimus. Ut autem à primo exordiamur, ſciendum eſt, *deligationis tres eſſe rationes, nempe, incarnativam, expulſivam, & retentivam.* Fit ergo deligatio *incarnativa*, quæ propriè agglutinatoria dicenda eſt, faſciâ à medio ad principia vulneris circumductâ, facto principio deligationis ex parte averſa, & media loci vulnerati, circumducendo alteram faſciæ oram, verſus ſuperiorem membri partem, alteram verò verſus inferiorem. *Expulſoria* autem fit, ſi faſciam ab altero tantum principiorum revolvimus, incipimuſque ab inferiori parte membri laborantis, quam arctius conſtringimus; exinde verò vinciendo moderatè laxamus, & ſenſim deligando aſcendimus, ſemper autem ſolutius circumplectimur, quouſque eo devenerimus, qua parte erumpenti ſaniei patet exitus. Utimur autem hoc deligationis genere in ulceribus cavis atque ſinuoſis, ut & ſuperiori, ſi vulnus rectà, & æqualiter inflictum ſit, quod labiorum diſſitorum unionem requirat. Quæ verò *deligatio continet*, nullam, quod ſciam, quæ certa ſit, rationem obſervat, ſiquidem iis partibus, quæ minimè conſtringi, & anguſtari poſſunt, ut facies eſt & collum, ſolummodò adhibetur. Itaque pro earum figura, & medicaminum, quæ ex uſu fuerint, natura, varios atque multiplices hujus deligationis modos eſſe, nemo eſt, qui non videt. Verum *infibulatio*, quod ſecundum genus eſt, hamulis quibuſdam utrinque incurvatis, oras plagarum diductas ſenſim adducit, & adductas, quantum poterit, nulla violentia, placidè conſtringit, non ſecus, ac fullones harpaginulis, ad id negotium non ineptis, pannos diſtendere, & abaco ſuo ſolent affigere. Has fibulas dicunt Latini, Græci verò *ἀγκτῆρας ἀπὸ τοῦ ἄγχειν*, quod quaſi ſtrangulent, &, quod in ſynanchicis fit, obſtrictâ gulâ coërceant. *Si igitur in carne, quod hiat, vulnus fuerit, cujus ora difficulter attrahuntur, qua de cauſa ſutura quidem aliena ſit, itaque fibulas imponimus, quæ paulum labia vulneris tantum contrahant, quo minus poſt curationem lata cicatrix remaneat. Diligenter autem hoc loco, perinde ac in ſutura obſervandum eſt, ne prius, quam vulnus rectè purgatum ſit, fibulæ imponantur, ne quid ibi concreti ſanguinis,*
 *guinis,*

*guinis, aut coalitum impediat, aut cum putruerit, inflammationem pariat, aut partes ſubjectas erodat. Apprehendit verò fibula, ut & ſutura, non cutem tantùm, ſed quoddam etiam ſubjectæ carnis, quo validius adhæreat, neque cutim abrumpat: eſt autem earum injectio, neque rara admodum; neque crebra, quorum illud non continet, hoc verò plus juſto torquet.* Sed hic fibularum uſus noſtra tempeſtate penitus interiit. Solemus tandem partes diſſitas *ſuturis conjungere*, atque id triplicis finis gratia, vel ut agglutinentur, vel ut ſanguis ſupprimatur, vel quò labia ad temporis ſpatium adducta perſiſtant. Harum prima adhuc multiplex eſt, eò quod partes, quæ agglutinandæ ſunt, diverſas inciſiones patiantur; aliæ quidem profundas; aliæ breves, aliæ latas, aliæ oblongas, aliæ anguſtas; aliæ ſublatas. Una igitur illarum interſciſſa ſutura ducitur, & tali pacto adminiſtratur. Si inſignis plaga fuerit, utrumque ad medium vulneris labrum acu trajicitur, quæ duplicem funiculum habeat, quibus oras conſtringere, eaſque innodare, & paulo ſupra nodum reſcindere convenit. Hæc ubi facta fuerint, utrinque rurſus interjecta ſpatia transfiguntur, & ſimplici filo, nodoque irretita firmantur. Hoc toties, per ſuccedentia ſpatia, ſi opus fuerit, peragitur, donec vulneris extrema rite commiſſa ſint. Alia ſutura eſt, cum in utraque vulneris ora tot acus, quot opus fuerit, æqualiter diſtantes, altè impingimus, iiſque eo modo, quo ruſticanæ noſtrates ſolent, filum circumplectimur, aliàs quidem decuſſatim, ſed quod magis conducit, in orbem ad formam ovalem. Has in vulnere impactas relinquimus, uſque dum vulnus coaluerit. Utimur autem hoc ſuturæ genere in vulneribus admodum profundis, labiiſque eorum plurimum diſtantibus, quemadmodum & ſuperiori, ſi ferrum oblongè quidem, non tamen altius impactum eſt. Tertius verò agglutinantis ſuturæ modus pinnatus dici poteſt, etiamnum profundis vulneribus deſtinatus, cujus adminiſtratio talis eſt. Utrinque pennas vulneri adaptant, & cum duplici filo acum accipiunt, filorum extrema nodo irretiunt, & vulneris oras transfigunt. Sic funiculo pinnam unam ex una parte, ex altera parte alteram comprehendunt, & innodatis funibus plagæ labia diſſita conſtringunt. Id toties exinde repetendum eſt, quoties id vulneris magnitudo expoſtulaverit. Hoc ſuturæ genus plagis non adeò

deò levibus commodum eſt, ſed maximè profundis & laceris, in quibus periculum eſt, ne funiculi trajecti, & arctius conſtricti, diſrupta cute eludantur, ſitque omnis vulneris conjunctio vana, & inutilis. Quam tamen ſuendi rationem varii variè definiunt, ſed cum ad noſtrum negotium inepta ſit, neque etiam, ut mihi videtur, aliàs in uſum venire poſſit, ideò tractare eam exactius nolumus, ſed ſufficiat ſaltem ejus mentionem feciſſe. His omnibus numeratur ſutura ſicca, adeò elegans, & opportuna, ut nullum dolorem, dum hanc adhibemus, nullam penitus continui diviſionem in parte vulnerata inducamus. Hujuſce in levibus inciſionibus, atque non adeò altis, uſus frequentiſſimus æquè eſt, atque feliciſſimus, & tali pacto ſeſe habet. Parandi ſunt panni linei, iique firmi, triangulares, vel alterius figuræ pro vulneris, aut vulneratæ partis conditione, & linimento, quo pertinacius hæreant, obliniendi, nec non ad latera vulneris utrinque adaptandi, ut minoris digiti ſpatium intercedat. Hos tandem, ubi exſiccati, & validè cuti annexi fuerint, intacto penitus corpore, ingenioſè conſuimus, & ſic vulneris oras perbellè conjungimus. Non minus etiam hoc conſuendi genus ad cicatrices convenit, quas facta vulneris agglutinatione delere, & obliterare volumus. *Sunt præterea, & aliæ ſuturarum rationes, in eum uſum, ut per eas partium vulneratarum fiat agglutinatio, quas inferiori ventri, tam exterius quam interius, peculiares eſſe unuſquiſque videt*, qui Auctores hac de re legerit. Has *γαςροραφείας* Græci vocant, quas oblivioni hoc loco tradere volumus, cum illorum uſus neque in diverſis partibus ab infimo ventre, neque in his, quæ noſtræ operationi ſubjiciuntur, celebrandus ſit. Has itaque ſuturarum ſpecies ad primum illud genus, quo vulnera agglutinari ſolent, omnes referri certum eſt. Sanguinem verò per ſuturas ſupprimimus, cum primùm vulneris oras hinc inde trajicimus, & rurſus ad principium, unde ſuturam exorſi ſumus, recurrimus, rurſuſque prope pertundimus, & denuò regredimur, & ut antea, acus ttansfigimus, illudque eo uſque facimus, donec partes hiantes connexerimus, non ſecus ac pelles, aut telas, aut tale quid conſuere homines aſſolent. Suturæ hujus uſus eſt, ſi quandoque ob ingentem prorumpentis ſanguinis impetum,

dum

dum vulnus amplioribus vaſis inflictum ſit, neque medicaminibus, neque aliis remediis copia conceditur. Poſtremò tandem vulnera conſuimus, ut ad quoddam ſpatium temporis labia vulneris conjuncta permaneant, donec partes illæ, quæ hiabant, perfectè accreverint. Competit ſutura hæc, ſi in carne, aut parte molli vulnus acceptum ſit, & inſigniter partes dilaceratæ ſint, atque nonnihil carnis in iis deficiat. His igitur ſic definitis, ut ad inſtitutum redeamus, manifeſtum eſt, non modo neque fibulis, ſed neque deligatione cutaneum traducem cum partibus curtis conjungi poſſe. Nam connexionem illam, quæ deligando fit, agglutinantem, & quâ frequenter diſciſſæ partes uniuntur, faciei natura penitus reſpuit. Nec fibularum uſum recipit, cum præter vehementes dolorum ſtimulos, inflammatio ſubeat, aliaque affectuum genera, quæ curtorum cum propagine accretionem vel interrumperent, vel omninò everterent. Supereſt igitur ſutura, & illa præſertim, quam interſciſſam vocavimus, quandoquidem non ſolum ſuperficietenus, ſed altius etiam acus impingenda eſt, ut extremæ partium oræ ritè committantur, & fideliter commiſſa ad perfectum uſque coalitum haud difficulter cuſtodiantur. Reliquos conſuendi modos planè rejicimus, quod ad noſtram operationem accedere nequeant, quod qua ratione fiat, unicuique manifeſtum eſt. Verùntamen quo pacto cum propagine curtæ partes per ſuturam committendæ ſint, ſuo loco rectius docebimus.

## *Tabulæ XVII. Explicatio.*

### *Duæ primæ Figuræ exhibent ægros, quorum labium ſuperius & nares decurtatæ ſunt.*

*a. a.* Curtæ nares.
*a.* g. Cutis propago delineata, & ſejuncta à ſubjectis muſculorum corporibus ſecundum domeſticam, ac interiorem illius ſuperficiem.
D. *c.* Pars illius ſuperior.
H. *q.* Pars illius inferior.
B. E. Linteolum.
*g* Labium ſupernum decurtatum.
D. *a. c.* Cutis propago, ex qua labium reſtauratur.

D. Ra-

D. Radix propaginis.
*c*. Apex illius, & pars inſititia.
*a*. Corpus ejuſdem.
*g*. D. H. Area, & locus, unde propago educta fuit.

## *Secunda Figura cùm anticam, tùm dextram partem deligationis oſtendit.*

L. Tradux cutaneus.
*b*. Cutanei traducis apex, ubi adeſt inſitio.
g. Cutanei traducis radix.
*n*.*n*. Areæ vulnus medicamentis obductum, & deligatum.
*a*. *e*. *o*. Faſcia regia.
D. *d*. Faſcia cubitalis.
*c*. *c*. *c*. Faſcia pectoralis.
*m*. Faſcia brachialis.
*b*. *b*. Faſcia aſcillaris.
*o*. *o*. Cucullus.
*n*. *n*. Foramen auriculare cuculli.
*g*. g. Thorax, ſive diplois anterior.
*b*. *b*. Thoracis disjunctio, ſimul funiculis conjuncta.
*a*. *a*. Funiculi, quorum opera faſciæ cum cucullo, vel diploide conjunguntur.

## *Tertia Figura propaginis in ſupernum labium jam inſitionem factam & ejus deligationem demonſtrat.*

C. Cutaneus tradux labio inſertus.
*c*. Inſitio ipſa traducis cum labio.
*e*. Area, unde tradux fuit eductus.
*a*. *e*. *o*. Faſcia regia, cui cæteræ innituntur.
D. Faſcia cubitalis.
B. Faſcia brachialis.
A. Faſcia pectoralis.
*b*. *b*. Faſcia axillaris.
*o*. *o*. Cucullus.
*b*. Foramen cuculli ad aures.
*g*. *g*. Diploidis ſive thoracis pars anterior.
*b*. *b*. Thoracis diviſio, quæ funiculis conſtringitur.

*a*. *a*. Fu-

*a. a.* Funiculi faſciarum.

*Quarta Figura tum poſticam deligationis partem, tum lateralem ſiniſtram exhibet.*

D. Cutaneus tradux.
C. Cutanei traducis radix.
G. Areæ vulnus medicamentis obductum & obligatum.
*a. e. o.* Faſcia regia.
E. Faſcia brachialis.
A. A. Faſcia cubitalis.
F. Cucullus.
*a.* Foramen cuculli ad aures.
H. Thoracis ſive diploidis pars poſtica.
G. Principium faſciæ axillaris.

*Quinta Figura nares monſtrat deligatas pro conſequenda efformatione.*

*a. a.* Centrum deligationis ad nares.
B. Deligatio ſuperior ad occiput.
D. Deligatio inferior ad cervicem.

*Sexta & Septima Figura utriuſque labii deligationem, & eam jam efformatam demonſtrant.*

A. B. C. Faſcia deligans ſupernum labium.
A. Faſciæ baſis.
B. E. Faſciæ ductus ſuperior.
C. F. Faſciæ ductus inferior.
E. Finis & innodatio ſuperioris ductus.
F. Finis & innodatio inferni ductus.
A. F. Deligatio inferni labii uno faſciæ ductu.
*c. e.* Nares configuratæ.
*e.* Area cicatrice obducta. Hæc à priſtina latitudine diſcedit in ſemet contracta.

TA-

# Tabula XVIII.

## *De Siphonibus pus ex ulceratis auribus exantlantibus: de arteriotomia & deligatione arteriarum.*

AUrium ulcera variis ex cauſis oriuntur, vel ex rupto tumore, aut pure, vulnere, acredine humorum, quæ partes internas ad ulcerationem diſponunt; maximè verò originem ſumunt ex caſu, contuſione, percuſſione & ſimilibus, quæ omnia ex dictis ſignis ab ægrotantibus aut adſtantibus deprehenduntur. Et an ulcerum cauſa ex pura bile, vel pituita mixta, ex ratione temporum obſervatur, antequam dolor aut tumor ad ſuppurationem vergat, quia bilis aut bilioſus ſanguis, quamvis acris, citius maturationem promovet.

Hæc recentia & rupta ulcera aurium inveteratis citius curantur, quæ ſua acrimonia partes corrodunt. Et pro varietate cauſarum curatio variat.

Ex contuſione dolore originem ſumente phlebotomia neceſſaria eſt, ut inflammatio & ſuppuratio præveniatur, auri aſtringentia applicantur, niſi vehementia doloris diſſuadeat, in qua ad dolorem ſedandum anodynis utuntur: ut oleo roſarum aceto aut albumine ovi concuſſo, & quidem in ipſo principio, ſed ſi intenſus dolor urgeat, cataplaſma ſequens convenit.

℞. *Album. & Vitell. ovi ſimul agitat.*
*Ol. Chamomill. Violar. ana.* ℥ij.
*Flor. Chamomill. M.* j.
*Farin. hord. M.* ß. *M. F. cataplaſma.*

Si dolor his non placetur; adde *folia Hyoſcyami vel Papaveris.* Quidam Medicus curabat dolorem à percuſſione ortum, calido pane albo, madido melle, auri imponendo. *Thus in lacte dulce maceratum*, donec liqueſcat, guttatim in aures inſtillatum, in momento dolorem ſedat.

Contuſio auris, oſſe læſo, ſecundum *Hippocratem* curationem non admittit, quia dolorem implacabilem purulenta ulceratio ſequitur. Contuſio minor myrrha, thure & acacia, aceto & albumine ovi vel melle mixta,

ta, curatur. Calidus è furno panis ſæpius impoſitus, dolorem mitigat, humores contentos diſſipat & abſumit.

Si vulnere, percuſſione, punctura aut contuſione fiat, phlebotomia curat, & iis utendum eſt remediis, quæ affluxionem humorum avertunt, & ultimò obſervanda ea, quæ in vulnere curando exiguntur.

Contuſio autem auris, abſque contuſione oſſis, curatur myrrha, thure, aloë, ceruſſa, unguento roſaceo, vel myrrha cum carne limacum vel concharum ſubacta, vel aloë & ſapone, unguento roſaceo mixto.

Dolorem ab ictu ortum placat lac muliebre, cum adipe anſeris tepefactum, vel bilis tauri cum prædicto aut caprino lacte, ſi quid ruptum. Sed doloribus non placatis in purulenta degenerant ulcera. Et hinc ulcera auris recentia aut inveterata ſunt ſordida aut munda, quædam tam profunda ſunt, ut in fiſtulam abeant, quædam prope oculum ſeſe demonſtrant, quædam in humidis corporibus, ut puerorum, quædam in ſiccis, ut ſenum, quæ curatio poſtulat annos & pro diverſitate variat. Præter enumeratas cauſas hæc ulcera quandoque proveniunt ex certa materia, quæ ad aurem ob debilitatem delabitur; quæ, quia nec abſumi, nec in nutrimentum mutari poteſt, in pus degenerat.

Tribus de cauſis pus ex aure effluit, vel abſceſſu aut purulenta ulceratione rupta, vel abſceſſu facto ex materia acri mordente & pungente, quæ internas membranas corrodit. Aut calidis ruptis puſtulis, aut non debitè evacuatis ibidem collectis humoribus. Attamen quandoque contingit, ut humor de capite in aurem ſtillet, qui quidem parvam primò moleſtiam, dein verò propter conſuetudinem nullam affert. Notandum hîc eſt, quod auctores *pus* & *materiam* diſtinguant. *Pus* nominant, quod ex maſſa ſanguinea originem habet & probè coctum viſui objicitur. *Materia* verò quæ ex humoribus provenit ad nutritionem inepta. Nam humor, licet ſanguine impragnatus cordis pulſatione à centro ad circumferentias propellatur, ſi in ſe acres, mordentes, acidas, ſalſas contineat particulas, nutritio non perficietur, ſed mutabitur ſecundum qualitatem materiæ in incoctum, aquoſum & ſæpe acrem liquorem, qui delatus ad aures, ut vult *Aëtius*, naturâ cerebri nimiam humiditatem

purifi-

purificante per gyros auris, ob nimiam moram, viarum & anfractuum in purulentam materiam convertitur.

Aures purulentæ ſi ex materia & temperamento frigido oriantur, ſequentibus curantur remediis.

℞. *Fol. Origan. Abſinth. Puleg.*
*Serpill. Salv. Menth.*
*Centaur. min. Malv. Alth. ana.* M. j.
*Flor. Chamomill. Melilot. Stœchad.*
*Aneth. ana P.* j.
*Cinnam. & Caryophill. ana.* ℥ß.
*Decoquantur in æquis partibus vin. & aqu. ſ. art.*

Hâc colatâ aquâ imple ſpongiam, quæ calida auri ſupponitur, bis terve de die iterando.

Vapores hujus colaturæ magno cum fructu in aurem per infundibulum aſcendunt, hoc facto pro cataplaſmate utere calido pane cum ſemine carvi mixto, aut communi ex furno calido pane, vino aduſto macerato. Si vis medicamentum fortius, maſſæ panis ſemen Carvi, baccas Lauri, Juniperi, Nucem moſchatam inſperges, & calidum panem auribus ſubligabis.

Cæparum ſuccus, quæ ſequenti pulvere ſub cineribus aſſantur, eximium ad hos aurium affectus eſt remedium, ſi guttatim auri infundatur.

℞. *Rad. Cyper.*
*Bacc. Laur.*
*Sem. Aniſ. Cumin. ana.* ʒj.
*Caſtor.* ʒß. *pulveriſentur.*
*Ol. rut. q. ſ.*

Si auris inflammata ad ſuppurationem vergat, promovebitur hoc cataplaſmate.

℞. *Medull. panis albiſſim.* ℔j.
*Coquatur in lacte ad pultis conſiſtentiam, addendo*
*Vitell. ovor. No.* ij.
*Ol. roſ.* ℥ij.
*Croc.* ʒij. *F. Cataplaſma.*

Ulcus ad ſuppurationem promoveatur, utile hoc *cataplaſma Victorii Faventini* eſt, quod in hunc modum præparatur.

℞. *Cæpar. No.* j.
*Butyr. rec.* ℥ij.
*Ol. Chamomill.*

*Roſac. ana* ℥j.
*Croc.* ℈j. *F. Cataplaſma.*

Rupto abſceſſu aqua hordei, vel vino melle roſaceo mixto abſterges, ſed malo fortius exigente remedium, liquorem Marrubii, Centaurii, Abſinthii melle mixtum auri impones. Purgabis tamen prius longis filamentis ſpecillo obductis, & hydromelite tinctis, poſtea ad exſiccationem utere horum paſtillorum fumo.

℞. *Thur. Myrrh. ana* ʒj.
*Bacc. Junip.* ʒß.
*Sarcocoll.*
*Ladan. ana* ℈j. *F. pulvis, qui excipiatur Terebinthina & F. ſ. art. Paſtilli.*

Alumen uſtum vino mixtum efficaciſſimam habet virtutem hujuſmodi exſiccandi ulcera.

Si inveteratum ſit malum, à catharro augmentum capiet, hinc interna medicamenta à prudente medico ſunt petenda.

In hoc inveterato malo præſtans topicum *Valeſcus* ſubminiſtrat.

℞. *Mell.* ʒx.
*Acet.* ʒviij.
*Coqu. ad ignem & deſpuma, addend.*
*Virid. æris.* ʒj.

Quibus perſonam, quæ vexata octo annis his ulceribus fuerat, ſe curaſſe gloriatur; dum mane & veſperi aliquas guttas auri infudiſſet, purgato prius hoc decocto.

℞. *Fol. Abſinth.*
*Alth.*
*Agrimon. ana M.* j. *Fiat decoctio in æquis partibus vini & aquæ. Colatur. addendo*
*Oxym. ſimpl.* ℥ß.
*Alum. pulveriſ.* ʒj.

Sic *Galenus*, *Aëtius*, & plurimi Græci & Arabes ferri ſcrobem, tritam & coctam cum acutiſſimo aceto laudant. *Hollerius* tamen in explicatione *Avicennæ* hanc præparationem omnibus præponit, quod prius ferri ſcrobs teratur aceto in lapide Porphirio in minutiſſima corpora, deinde exſicca, & hoc idem ſepties iterandum, tunc in pulverem ſubtiliſſimum redige, & hunc cum aceto fortiſſimo coque, donec conſiſtentiam mellis

lis acquirat; & iterum exſiccare permitte, & uſui ſervato, quando hæc præparata ferri limatura melli, aliiſque liquoribus permiſcetur.

Si fruſtra adhibita remedia ſint, & pus tam profundè in gyris abſconditum deliteſcat, deveniendum ad Chirurgiam, quâ pus extrahitur, ut hîc demonſtratur, in hac operatione, quam *Fabritius Hildanus* fusè deſcribit. Relatu dignum eſt, quod *Arculanus* in ſuis explicationibus in caput nonum *Rhaſes* his verbis refert: Inter mea experta medicamenta, quo præternaturalibus in aurem admiſſis medetur, hoc eſt, ut vivum ſerpentem, aut recenter mortuum capite in aurem intrudamus, & ligemus, ſi tribus horis inhæreat, experiemur, illa, quæ in aure erant, capite ſerpentis agglutinata fore, dum amovemus, hoc expertiſſimum eſt remedium contra omnia non naturalia, in quacunque corporis parte deliteſcant.

FIG. I. eſt Patiens, cujus auris pure repleta, quod per ſiphonem (*a. b*) ope manuum Chirurgi (*e. d*), & beneficio tractoris (*o*), ex aure in pixidem (*b*) trahitur.

*m.* Machinam ſolam demonſtrat, apud Græcos πύυλκος, hoc eſt puris ſipho nuncupatus.

*n.* Similis machina per modum follis facta, per quam materia, aure circum circa obſeſſa pure, trahendo aërem neceſſario ſequitur, & quando cochleare (*a*) ipſi annectitur, in quod pulvis aut oleum, exigente neceſſitate, imponitur, commode folle ad omnes partes difflatur, quæ follis uſui eſſe poteſt in uvulæ procidentia.

*Proſper Alpinus* refert in *libro de medicamentis Ægyptiorum*, ipſos tam arterias intrepidè quam venas aperuiſſe.

Inciſionem arteriarum *Leonardus Botallus*, *Lazarus Riverius*, *Zacutus Luſitanus*, & alii in cephalæa attollunt, quod in momento ſedat, & nullum periculum in apertione arteriarum faciunt, & multis confirmant experientiis; *Horatius Augenius* verò, *Ludovicus Mercatus* & alii opponunt ſe, affirmantes nunquam arteriam conſolidatam ab ipſis viſam fuiſſe. Contrariæ hæ ſententiæ graviſſimorum medicinæ Antiſtitum Practicis ſcrupulum movent, hanc operationem promovendi, & præſcriben-

bendi, ſed ſi vulnera ſecundum doctrinam præcipuorum medicorum idoneis faſciis una cum pulvinaribus, ut docet *Thomas Fienus*, ligentur, tunc ſane ratio & experientia probant apertionem arteriarum non tam periculoſam, quàm ſibi fingunt.

At me experientia caſu obvia docuit, dum anno ſexcentenſimo ſexageſimo ſecundo in cephalæa viduæ Magiſtri *Adriani Slabberiani*, per ſervum Chirurgi *Theodori Vennekool*, ſecundum conſilium *Zacuti Luſitani*, ſanguiſugas temporibus apponi curabam, ſanguiſugam arteriam corroſiſſe experiebar, hinc ingens mox hæmorrhagia cum ſaltu ſequebatur, vulnere ab effuſo ſanguine mundato, & digitis & pollice compreſſo, muſculi labiis primò hoc emplaſtrum applicuimus.

℞. *Maſtich.*
*Thur.*
*Bol. Armeni.*
*Pil. Leporin.*
*Albumin. ovi. ſubigantur ad conſiſtentiam. M. F. Emplaſtrum.*

Quod magnitudine unius ſolidi adhibitum eſt, & ſecundum prædictum *Fienum* pulvinaribus ex lino conduplicatis uſi ſumus, ad cavitates & interſtitia muſculorum implendas, & arteriam comprimendam, ne, ſicut *Cornelius Celſus* indicat, dilatationis daretur anſa.

Applicato emplaſtro uſurpavimus faſciam, novem aut decem ulnarum, & convolutam duplicatis linteis impoſuimus, incipiendo à medio, deinde gyrato nodo comprimendo locum, in quo arteria aperta erat, nodum ſupra modum colligavimus, donec in faſciam nominatam, ut *in Figura* II. depingitur, abſumptus erat; qua de cauſa linea pulvinaria nullo motu à loco dimoveri poterant.

Hæc faſcia ſumit principium ſuum ſemel retro aures (*a. a*), ut *Fig.* II. delineat, uſque ad curvaturam (*b*), extremitatibus ſe invicem interſecantibus, quarum altera ſub mento (*c*) ducitur, cui committitur gyratus nodus (*e*) ubi decuſſatim à ſe invicem ſecedunt, altera naſo & oculo (*d*) imponitur, & altera verſus occiput (*f*) vergit, & in alterâ parte capitis verſus gyratum nodum (*e*) duplicatur.

Hoc ligaculum, niſi caput nimium premat, quatuor diebus

diebus quieſcendum eſt, alioquin ſecundo die laxetur. Et hoc modo Chirurgus ab hæmorrhagia deſperata & arteriarum ruptura ægros liberare poteſt.

FIG. III. IV. & V. exhibent carneas excreſcentias, de quibus in Obſervationibus tractabitur.

# TABULA XIX.

## *De Paracentheſi abdominis & herniarum ſectione.*

FIGURA I. eſt modus educendi aquam per fiſtulam (*a*) in pelvim (*k*) effluentem, unà cum machina.

Summus medicorum *Hippocrates* hydropem in duas diſtinguit ſpecies, in univerſalem & particularem; hæc in propriis conſiſtit partibus, ut capite, pectore, matrice, à quibus Hydrocephalos, hydrops pectoris & uteri mutuantur nomina; illa verò totum occupat corpus, aut abdomen, hanc hydropem *Galenus* in tres diſtinguit claſſes, in aſcitem, tympanitidem, & anaſarcam.

Prima ſpecies, de qua hîc maxime agitur, eſt tumor abdominis ex ſeroſo humore in cavitate ejuſdem collecto oriundus, quamvis quandoque contingat, aquoſum humorem propriis ſuis veſiculis contentum, partes inferiores abdominis diſtendere. Non tamen ſolùm intumefactus ſeſe oſtendit venter, ſed & pedes, ſuræ, coxæ, ſcrotum. Imò aſcites quandoque principium ſimul ex tumoribus pedum ſumit, dum aqua lentè per poros in ipſam cavitatem abdominis aſcendit.

Rectè nos docuit ingenioſus *Argenterius*, medicinam à tribus dirigi principiis, Natura, Medico, & Fortuna. Natura & Fortuna unum habent medium, fruſtra adhibitis omnibus pharmacis, intrepidè ad Chirurgiam deveniendi.

Sic Ruſtica in inſula *Teſſelenſi*, quæ pro nimia aquæ copia rumpi videbatur, aperto umbilico, evacuatis viginti quatuor aquæ amphoris, abſque medicorum ope ſanata fuit. Sic refert *Benivenius*, ſe noviſſe fœminam, quæ hydrope laborans à medicis deſerebatur, deſiderio im-

pulſa ab alto loco ſe devolvit, in qua volutatione lapis matricem tangendo aperuit, è qua omnis aqua effluxit; gravidam octo menſibus illam eſſe antea juraſſes.

Olim magna inter Medicos erat controverſia de Paracentheſi, quorum aliqui hanc operationem inutilem rejiciebant, quia experientia conſtabat, plurimos hac periiſſe; alii majòri prudentià inſtituebant in corporibus, quorum vires evidenter conſtabant. Qui ex hac operatione fructum exſpectat, eam inſtituat, antequam æger in pejorem delapſus ſit ſtatum. Præſertim inſtitui poteſt in corpore juvenili, carnoſo, robuſto, & proba ventriculi concoctione gaudente, prædito bono ſtomacho, abſit aſthma, febris, vel ſi febricitet, intermittens ſola hanc operationem patitur. Nec hydrops originem à bile deſumpſiſſe debet, vel acuto morbo. Nam ſecundum *Hippocratem libro ſecundo præſagiorum : Aqua inter cutem; ſi ex acuto morbo cœpit, periculoſa eſt : neque enim febrem ſolvit, ſed doloribus torquet, atque interficit.* Si hæc omnia aut plurima obſerventur, operatio hæc aliquibus vitam ſervare poteſt.

*Eraſiſtratus* apud *Cornelium Celſum cap.* 21. *libri tertii* aquæ depromptionem damnat, quòd, licet educta ſit, ob debilitatem hepatis de novo regeneretur; ſed ſi hæc operatio inſtituatur, antequam humor aquoſus corruptus, aut putrefactus fuerit, & inteſtina inflammaverit, & vires proſtratæ, æger corpore euchymo, aquæ evacuatio magnum fructum pollicebitur, maximè verò aliquot poſt operationem menſibus mutetur corroborantibus medicamentis, & diæta convenienti; hinc ſi dicta obſervata fuerint, minus eſt periculum, cum natura ſæpe per umbilicum viam monſtrat, & omnia vulnera in abdomine, illæſis inteſtinis, ſanentur.

Aliqui ſcarificationes totius cutis abdominis circa muſculorum gracilitatem præferunt, per quas aquæ paulatim exſudant.

*Galenus, Paulus Albucaſis*, & *Meſuë* propè umbilicum ſectionem faciunt, hinc paracentheſis nomen accepit, ubi muſculi carnoſi admodum non ſunt.

Alii paracentheſin volunt in dextro, ſi hepar, vel in ſiniſtro latere, ſi lien in cauſa ſit; alii in latere, cui accumbit inteſtinum, quod cauſa hydropis æſtimatur.

*Ron-*

*Rondeletius* verò nullam diſtinctionem admittit. Si inteſtinum cauſa oborti ſit hydropis, inciſio fiat quatuor digitorum latitudine, infra umbilicum, ita tamen, ut latus ſpectet.

*Hippocrates* utitur quoque cultro in pueris anaſarcâ laborantibus, imò *Aurelianus* approbatione Veterum paracentheſin magis in ultima ſpecie, quàm in prima prævalere probat.

*Aſclepiades* in anaſarca quatuor digitis ſupra talum cutim aperit, in intrinſeca parte, profunditate venæ apertæ, qui inciſus locus, ſi parum effundat aquæ, coxæ, ſcrotum, manus, brachia tumefacta, docente *Hippocrate*, & *Paulo Ægineta*, inciduntur. Non modò ſumma auctoritate Scriptores inciſiones, ſed inuſtiones approbant in tumefactis, ut phlebotomo aditus præbeatur, & non ſolùm abſcindunt majores venas ſcroti, & deinde ſcrotum ipſum, femora, ſuras, ſed & omnes partes, quas aqua tumefecit, & quandoque terebrâ, quæ trepanon trygleterion nuncupatur, coſtæ perterebrantur, donec aqua erumpat.

Neoterici meliorem & commodiorem habent modum, ruptorio aperiendi, quamvis hoc ſæpe non careat periculo.

Locum quod attinet, nullum alium cum *Benivenio* & *Laurentio* elige, quàm eminentem umbilicum, apertionem in eo facies; ſed ſi abſconditus ſit, ut in hydropicis contingit, apertioni ineptus eſt, in quo caſu locum tribus infra umbilicum digitis elige, non in linea alba, quod ad aliquibus ſumma cum admiratione proponi video, ſed ad latus in muſculo obliquè deſcendente: antequam paracentheſis inſtituatur, prius atramento depinge locum, & parvam inciſionem facies per cutim, muſculos, & peritonæum ad omentum uſque, quod nullo modo lædendum eſt, nec tam facilè periculum eſt, cum aqua impediat.

Cui accuratè paracentheſin inſtituere eſt animus, ſequatur ductum fibrarum, obliquè aliquomodo deorſum, ſecundum *hanc Figuram* ( / ) in ſiniſtro latere, ſecundum *hanc* ( \ ) in dextro.

Quamprimum aquam animadvertes, accipe argenteam, auream, vel plumbeam fiſtulam, habentem ſequentes proprietates: Primò, ut ſit glabra, ſecundò, ut alata vel glo-

globata, tertiò, pertuſa inferius tribus quatuorve foraminibus, quartò, non excedat digiti tranſverſi latitudinem, quintò, in extremitate ſit parum incurvata, ſextò, ut vulneri aptè reſpondeat; talis fiſtula vulneri immittenda, emplaſtro glutinante circumducto, vel recipe ſpongiam, aut quadruplicatum linum, obliga ægrum, & duobus aut tribus diebus quieti committe, deinde ſolve ligationem, & deprome duas, tres, nunquam plures libras aquæ, & hoc tamdiu, indies continuando ſemel aut bis, donec ferè liberatus ſit ab aqua: omnem enim educere non oportet, nam partes omnino frigeſient, & patiens tot malorum tempeſtates perpeſſus in littore occumbet. Fiſtula eximi non debet, ſed toto curationis ſpatio in vulnere hærere, quod denique ſecundum artem conſolidabis.

Ut aſcites aperiatur, hæc tutiſſima, & hactenus uſitatiſſima methodus eſt, quam nobis Veteres tradiderunt, ſed improbus Neotericorum labor meliorem invenit machinam, quâ non modò prædicta commodè pericula fugimus, ſed & deſperatis tutius longiorem procuramus vitam, illos à tenſione, dolore, difficultate, juxta noſtrum arbitrium, & virium tolerantiam liberando.

Hanc præſtantem machinam expertus civitatis noſtræ Chirurgus, Magiſter *Jacobus Block*, ex Italia detulit, quâ ſummo cum patientis commodo uſus eſt.

Hic plerumque locum à nobis præſcriptum eligit, trium digitorum latitudine infra umbilicum, non tamen huic loco ſe tam ſtrictè obligando, cutim, muſculos & peritonæum, ad aquam uſque pertundit, vix una vice ſupra pintam aut duas aquæ ægrotis depromendo.

Deinde machinam extrahit, & facto foramine nil niſi ſiccam turundam & emplaſtrum agglutinans imponit, quibus impedit, ne gutta præter arbitrium elabatur; nam extracto inſtrumento cutis, muſculi, peritonæum, naturali motu facilè eouſque à ſe invicem diſtrahuntur, ut foramina ſibi non amplius correſpondeant.

Hoc ſemel inſtituto juxta vires ægroti procedendum eſt, per duos, aut tres exſpectando dies, antequam operationem hanc repetamus, dum Chirurgus vel factum jam foramen elegit, vel parum ſollicitus novum

novum efficit, ſi in alia parte aqua commodius educi poſſe judicetur.

In hernia aquoſa (hydrocele) dictus Chirurgus tam dextrè ex ſcroto depromendi modum callet, ut altero die foramen omninò aut viæ notari nequeant.

Terebrare incommodius judicamus, hinc Inſtrumentum in tantum mutari curavimus, ut acies non rotundam ſed figuram phlebotomi imitetur, acumine incidente, qua de cauſa cutim & muſculos & peritonæum citius penetrat, ſed ipſius ex argento, hoc autem ex chalibe fabricatur.

Ut hunc noſtrum ſermonem intelligas, dictum Inſtrumentum unà cum machina depromendi aquam *in ſequenti Figura* depinximus.

## *Explicatio Figurarum.*

### FIGURA I. monſtrat Inſtrumentum.

*a.* Argentea fiſtula Magiſtri *Jacobi Block* cnm acumine rotundo.
*b.* Foramen, per quod aqua ex abdomine in fiſtulam effluit.
*c.* Foramen, cui, operatione abſoluta, mandatur ſtylus.

### FIG. II. monſtrat Operationem in ægro Hydropico.

*g.* Lectum in quo ægrotans ſedet.
*h.* Hydropicus.
*i.* Fiſtula in cavitatem abdominis poſita per muſculum rectum, in quo prædictus Magiſter notavit foramen factum prius conſolidari.
*k.* Pelvis ad aquam effuſam excipiendam.

Non poſſumus non ad majorem ſupra dictæ operationis commendationem, quæ ſpem vitæ nobis promittit, Chirurgos adhortari, ut hanc operationem intrepidiore animo ſuſcipiant, ob magnum emolumentum, quod nuper inventa Chirurgia infuſoria in paracentheſi pollicetur, nam ſi arterioſus ſanguis cujuſdam ſani animalis omnia confortantia medicamenta ſuperet, neceſſariò æ-

grotans, in cujus corpus tantum calidi ſanguinis influit, quantum aquæ effluit, cujuſque debilitata viſcera à naturalibus ſpiritibus & calore privata reſtituuntur, juvatur, cum hic ſanguis nullam alterationem ſtomachi, hepatis aut lienis ſubeat, antequam in ſanguinem & ſpiritum convertatur, hinc modum transfundendi ſanguinem tam fuſè deſcripſimus, ut avidi lectoris palato hæc artificioſa operatio grata foret, & ut habitum dictarum operationum acquirant. Paracentheſis procul dubio ægrotantibus utilitatem ſummam afferet, dum hæ duæ operationes in uno ſubjecto inſtituuntur.

FIG. III. Novam methodum Sarcocelem ſectione curandi exhibet. Quam difficilè hæ herniæ curentur, nos doctus *Montagnana* in ſua 227. *Conſultatione* monet; ſi morbus, ait, tempus typi primi longius protraxerit, curatio difficilis, maximè verò dum ad ſtatum pervenit, dum vires partium ſua nimia acceſſione tam ſunt proſtratæ, ut ne quidem ſufficientia topica exſiccantia poſſint exſiccare. Quo tempore repellentia medicamenta nec neceſſaria, nec conveniunt, cum omnis materia eo confluxerat, & morbus augmentationem ſumpſerit, huic malo vix digerentia & evacuantia remedia medentur, ob cauſas prædictas. Quare curatio non debet promoveri calidis, diſſipantibus, & exſiccantibus, ſed quæ urentia ſunt, lentè uſurpari debent, ut paulatim auctas partes imminuant. Multum ſermonis habui de prædictis medicamentis unum poſt alterum uſurpando in *Joanne* fratre *Antonii* Pharmacopolæ monaſterii de Sancto Angelo; ſecundò in nobili *Fautino Bragandio*; tertiò in *Paulo Ruſtico*: quorum herniæ magnitudine caput humanum ſuperabant, in quorum curatione omnia media prædicta incaſſum erant adhibita. Præmiſſis univerſalibus evacuantibus, hoc revellens inguinibus & partibus oſſis Iſchii ſuppoſui.

℞. *Bol. Armen.* ℥ij.
*Terr. ſigill.*
*Amyl. ana* ℥j.
*Farin. volatil. molendini.* ℥jß.
*Sandarach.*
*Maſtich. ana* ʒij. *M.*

cum ſucco Roſarum in mortario plumbeo in linimenti formam redactum.

His

His ſufficienter uſurpatis, ut affluxus humorum averteretur, hoc uſus ſum.

℞. *Sapon. nigr.* ℥ij.
*Auripigment.*
*Sulphur. vivi. ana* ℥ß.
*Chalcant. uſti.* ʒjß. *incorporentur omnia in mortario cum aqua ſalis ammoniaci.*

Hoc corroſivum imponebam inferiori parti oſſis Iſchii, ut eſcharam magnitudine ducati induceret, ſed ſupra affectam partem non debet ultra horam manere, ne nimis corrodat, nam convulſiones facilè & hæmorrhagiæ orirentur. Eſcharâ factâ, emollientibus procedendum eſt, ut butyro recente & adipe, donec eſchara ſeparetur, quâ ſeparatâ vulnus ſanatur unguento Apoſtolorum, hoc enim abſumit & carnem liquefacit, poſtea prædictum corroſivum ſuper & in medio & ad latera apponitur, ut ad minimum ſex aut octo apertiones dentur, & omnibus locis carnem abſumentia apponi commodius poſſint, ſingulis tribus quatuor diebus dicta remedia renovando, dum vides his mediis omnem carnem eſſe abſumptam, (quod ſpatio medii vel integri anni perficitur), accipe conſolidantia, quorum ex auctoribus meliora potes eligere. In hoc malo tamen fortis & patiens ſis. Nam poſtmodum hujuſmodi affectus ob multa & gravia ſymptomata ſuſcipere nolui. Unde propter tædioſum laborem multos ægros, qui me accedebant, dimiſi. Huc uſque *Montagnana*, quare etiam *Ronſeus* ſuadet, ut tales graves inter incurabiles morbos numeremus, & ægros prognoſticis dimittamus.

Cùm autem in caſu urgente anceps remedium juxta doctrinam Romani *Celſi* melius quam nullum, & ægros abſque ope deſerere, cum multi, quos hernia è medio tuliſſet, animo & manu Chirurgi ſervati ſint. Ita ergo herniæ ſectio ſequenti modo, reliquis incaſſum adhibitis, inſtituitur. Si inteſtina circumvoluta & plena excrementis omnia linimenta, cataplaſmata, compreſſiones, ligacula irrita reſpuant, tum ultima remedia arripere cogimur, nempe peritonæi apertionem.

Ut hæc operatio debitè abſolvatur, primò æger in tergo ponendus eſt. Deinde apertio fiat circiter duorum digitorum latitudine ſupra locum, qui anguſtus & clauſus eſt, cùm in ipſa hernia fieri abſque læſione inteſtini non poſſit.

poſſit. Facta ad peritonæum uſque inciſione, in alterum latus vertendus eſt æger, ut inteſtina cedant loco. Ubi inciſio facienda, ibi digitus vulneri eſt imponendus, & modeſtè inteſtinum in ſuum naturalem locum reponatur, unctis manibus butyro recenti aut oleo amygdalarum dulci. Sed ſi inteſtina tantum ex corpore erupuerint, ut cogamur ad majorem inciſionem, ea facienda eſt in ipſo occluſo loco, ſed infra tenendo digitos aut ſpecillum, ad cuſtodiam inteſtinorum fabricatum. Præterea ſi inteſtina flatibus ſint tumefacta, qui operationem impediunt, pungenda ſunt abſque periculo, ut diſſipentur. Ultimò impoſitis inteſtinis, vulnus, ſi factu poſſibile ſit, conſuendum eodem modo, quo dictum in ſutura herniæ, & dein conſolidandum ut alia vulnera, ſed tamen cum hac diſtinctione, ut peritonæum ab una parte intactum relinquatur, & ab altera parte incurvato aut duplicato filo cerâ obducto perforetur, poſtea in ſecunda punctura huic peritonæi lateri parcendum eſt, & altera, quæ omiſſa fuit, de novo perforanda, hæc alternatim facienda ſunt, ut in ſingulis puncturis aliquid carnis extra peritonæum emineat, ratione cujus firmior fit conſolidatio.

*a.* eſt Patiens, qui in menſa multis pulvinaribus circumdatus ligatus aut liber jacet.

*b.* eſt ſervus Chirurgi, qui cutim (*e*) una manu arripit & ſuſtinet.

*c.* eſt Chirurgus, qui cutim (*e*) una manu apprehenſam ſuſtinet, & altera manu ad latus muſculi recti cultro (*d*) tranſcendit, & ſtatim hamunculo (*f*) peritonæum ſublevat & ad ſe attrahit, & intrepida manu ad inteſtina uſque aperit ſpecillo (*g*), ad modum *Pigræi* vel ope cultri (*d*), obtuſo globo (*o*) muniti.

*d.* Culter, quo peritonæum aperitur.

*f.* Hamulus quo apertum peritonæum ad ſe trahit Chirurgus.

*g.* Specillum, cujus globulum *Pigræus* ſupernè verſus peritonæum immittit, in cujus ſinu ſecat abſque ulla cultri dimotione.

*h.* Acus incurvatus duplicato filo per ceram tracto.

*e.* Forceps, cujus una lamina globo munita, quâ peritonæum, facta parva inciſione (*e*), aperitur.

# TABULA XX.

## *De conſuendis vulneribus, & haſtarum, ſagittarumque extractionibus.*

MOdus optimus eſt, hæmorrhagiâ demptâ, vulnera conſuendi: hæc conſuitio æquè in vulneribus carnis quam cutis locum habet: modo nulla adfuerint ſymptomata. Caro ſuturam admittit, modò una parte adhæreat corpori, quâ nutriri poteſt. Vulnera quæ conſuuntur, duobus modis curantur. Nam ſi vulnus in parte molli ſit, peculiariter conſui debet, ut ſi infima auricula vel extremitas naſi, frons, axilla, palpebra, labia, aut cutis circa collum læſa ſint. Sed ſi vulnus in carne ſit, dehiſcunt labia, nec facilè conjunguntur, quo in caſu acus uſui non venit, ſed argentei unci, inſtar fibularum ſupra vulnera in labia ducti, opus abſolvere debent, quæ extremitates ad ſe invicem trahendo tantæ magnitudinis cicatrices poſt ſe non relinquunt. In his facilè patet, quænam vulnera partium, quæ vivo corpori adhærent, acum, aut emplaſtrum agglutinans poſtulant, quorum nullum uſurpari debet, niſi mundato vulnere, ne grumoſus inhæreat ſanguis, qui in pus degenerans inflammationes gigneret, & conſolidationem impediret. Imò unguenta, quæ hæmorrhagiam ſiſtendi gratia infuſa vulneri ſunt, remanere non debent, cum etiam vulneratas incendat partes. Neceſſarium quoque eſt, ut non ſolùm cutis, ſed & caro, quæ ſub cute eſt, acu apprehendatur, ut eo firmius conſuatur, & ne rumpatur cutis.

Optimus modus in duobus hic eſt, qui molli acu fit, quæ non ſit nimium incurvata, ut eo melius corpori ingeratur: hæc ſutura nec nimis propè nec remotè à ſe invicem eſſe oportet, ſi nimis diſtent, vacillat: propinqua nimis parit dolores: nam quo plus acus corpori trajicitur, & quo in pluribus locis hamuli figuntur, eo majores, præcipuè æſtate, producuutur inflammationes. Nam nihil illorum vim exigit, ſed opus eſt, ut cutis ductum manus ſequatur. Attamen hamuli, ut labia vulnerum à ſe dehiſcant, permittunt, ſed acus rectè combinat illa; circa quæ ſemper apertio eſſe opertet, ut liquor, qui influit, exſtillare poſſit. Si vulnus nullam ex his

his operationibus exigat, attamen ſpongiâ aceto repletâ mundari debet, ſi patiens vim aceti ſuſtinere non poſſit, uſurpet vinum. Vulnuſculum ſpongia pura aqua repleta ablui poteſt. Nam ſpongia quocumque liquore imbuta uſui eſt, ſed tamdiu in vulnere non eſt relinquenda, ut adhæreat.

Vulnera conſolidanda ſunt ſine magno remediorum apparatu, ſed qui ordinariis non confidit, varia genera ex obſervationibus petere poteſt.

Quod attinet ad modum conſuendi nervos, magna inter Veteres & Neotericos lis eſt.

*Galenus* in nervis conſuendis magnam difficultatem facit, metu futuræ convulſionis.

*Avicenna* clarè docet nervum, etiamſi abſciſſus eſt, neceſſariò conſuendum eſſe, licet non connaſcatur.

*Galenum* ſequitur expertus ille Chirurgus, *Petrus de Marchettes*, Profeſſor Chirurgiæ in Academia *Patavina*, & alii cum ipſo, ſed ipſius rationes, quas in ſexageſima octava obſervatione contra *Marcum Aurelium Severinum*, qui ſententiam tuetur *Avicennæ*, adfert, meo judicio parvi roboris ſunt. Quamvis experientiâ, quâ, in incauto nervos conſuendi modo à Barbitonſoribus in nervi punctura diverſos convulſionibus, & morte obrutos viderit, neceſſariò non concludit, nam contrarium teſtantur experientiæ *Paræi*, *Lanfranci lib.* 9. *c.* 9. *Doctr.* 3. *c.* 3. & *Chirurg. Parv. c.* 4. *Nicolai Florentini Tract.* 4. *Sim.* 1. *Ser.* 7. *c.* 3. quod non solùm vitam ſed & uſum partis ſervaverint, hinc incertum eſt, an ægrotus hac operatione conſuendi, an aliorum morborum ſymptomatibus, quæ non ab acus dolore, ſed à cachectico corpore provenêre, mortuus ſit.

Ut me ex hac difficultate extricarem, in cane experimentum inſtitui, cujus nervum & tendinem pedis poſterioris prius abſciſſum, deinde communi acu & filo, imbuto tamen oleo Terebinthinæ, conſui, qui tamen vulnere coöperto communi emplaſtro, illæſo inceſſu, intra paucos dies reſtitutus eſt. Sed hac uſus ſum methodo, abſciſſo medio nervo & tendine præciſam medietatem ope acus prius arctè conjunxi, antequam medietatem diſſecuerim alteram, & acum uſurpavi, nullo alio oleo aut emplaſtro, quàm prædicto impoſito: Hoc mihi dubium movit, prorſus abſciſſum nervum melius adnaſci, quàm illum, cujus aliqua filamenta intacta remanſerint; nam

nam planè abſciſſus nullos dolores, convulſiones, aut febres affert, quæ omnia non ſolum agglutinationem impediunt, ſed mortem accelerant: An hæc in homine tali modo inſtitui poſſint, lectoris perſcrutationi committimus.

Nec mirum videbitur, dum conſideremus exſtirpatione membrorum hæmorrhagiam & vulnera arteriarum abſciſſarum citius ſiſti & conſolidari, quàm vulnuſculum arteriæ profundè arte inflictum, imò ferè minora ſymptomata profert, ſi vulnerum proportio ſpectetur, in quo caſu non modò obſervamus naturam circulando ſanguini novas oſtendere vias, ſed & ſibi parare; verùm de futurarum ſpeciebus, fuſius *Tabula* XVII. egimus.

Quod attinet tempus diſſolutionis, de illo certitudo nulla, quia in uno corpore vulnera citius quàm in altero ſanantur, etiam una pars alterâ citius coaleſcit, quare ligationes ſolvendæ non ſunt, donec vulnera eo pervenerint, ut illis non indigeant: ſolutiones quoque diverſimodè inſtitui debent, eo modo, quo ſuturæ diverſæ ſunt: nam expulſiva ſutura inſtitui debet, medium ſeorſim ſcindendo directè ad nodum filum levando ſpecillo, ita diſſolutis affixis filum dicto ſpecillo circa nodum extrahemus, poſito digito ſupra unionem, ne labia à ſe trahantur. Sutura quæ vna vel pluribus acubus perficitur, ut in labiis leporinis, in illis totum præcidemus filum, quod circum acus volutum eſt, modeſtè abſtrahendo, deinde & acum. Hians ſutura diſſectionibus tollitur, ut ſupra dictum fuit, quia unaquæque ſupra nodum ſolvitur, & deinde ſubtili digito filum extrahi debet. Exſiccans ſutura ſolvetur, dum illam oleo, vel aquâ madefecerimus. Sutura pellionum difficillimè deponenda eſt, hæc primò diſſolvi debet ad ſuturam primam, forcipe præcidendo ad ultimam uſque, ſi fieri poſſit, & deinde unumquodque filum extrahendum, apprehenſis ſemper digito labiis, ne hient ob difficilem reiterationem.

FIGURA. I. exhibet modum exſiccantis ſuturæ cum ſuis inſtrumentis.

L L. Rotunda longitudo eſt vulneris, quæ ſe in facie exhibet.

M M. Sunt lintea unguento agglutinatorio tincta, quæ vulneribus ſuperimponuntur.

a. a. a. a.

*a a a a*. Demonſtrant fila per duo lintea tracta, ut contrahantur & nodentur.

N N. Emplaſtra conglutinantia ob oculos ponit, quæ à vulneribus abſtracta ſunt.

*a a a*. Sunt fila, quæ duos fines perforant.

*b*. Acum cum ſuo filo parato.

O. Depingit clauſum Inſtrumentum ad ſuendum vulnus aptiſſimum.

P. Fiſtula eſt, cui acus cum ſuo filo imponitur.

Q. Operculum.

R R. Exhibent rotundas laminas, foraminibus perforatas, in quibus acus cuſtodiuntur.

S S. Sunt duo acus, unus, quo combinantur vulnera, qui quadratus eſt, rotundus alter, quo faſciæ ſuuntur.

Y. Finis præſcriptæ Fiſtulæ, quæ aperta eſt, ut detur tranſitus acui in ſuendo.

1. Vagina ſola inverſa pro faciei vulneribus conſuendis idonea, cum illa ſutura prope naſum inſtitui debet, & aliis partibus, in quibus rectâ fiſtulâ uti non poteſt Chirurgus.
2. Fiſſura, quæ in fine eſt.
3. Incurvatus arcus.
4. Recta fiſtula.

Ut haſtas, ſagittas, globos, ſcalpra, & alia his ſimilia Martis arma, quæ profundè vulneribus inhærent, ſecundum rationis & artis præcepta extrahamus, conſiderandum eſt primò, quo inſtrumenti genere commodius, & exactius cum minimo dolore & periculo perfici poſſit. Modus perfectiſſimus Inſtrumenta talia eligendi conſiſtit in matura, & decenti conſideratione naturæ, diverſarum partium, & locorum, ut & Inſtrumenti lædentis, unde extrahendi modus conſequitur. Hæc quamvis propter diverſitatem vix definiri poſſint, conatur tamen Arabicus *Avicenna*, ad ſex genera reducere: nam arma belli inter ſe differunt, vel materia, forma, magnitudine, numero, figura, & robore.

Quod materiam attinet, tela jaculatoria vel ex arundine, aut ligno, arma belli ex ligno aut ferro, ære, ſtanno, plumbo, cornu, vitro, imo quandoque ex oſſe conſtant: forma verò variat, in quibus rotunda, anguloſa, & acie gemina vel triplici, quorum acumina ferro

ro hamiſque donata ſunt, quæ dum extrahuntur, profundius infiguntur; alia, quorum acumina ſunt prominentia, vulnerant quoque partes, dummodo protruduntur: aliqua ſphæricâ acie noxia ſunt, & lacerant partes, quibuſque modis moventur; alia tam artificioſo ſunt armata acumine, ut faſtigia, quando moventur, à ſeſe diſcedant.

Magnitudo variat, in quantum ſunt longa, brevia, craſſa, tenuia, ponderoſa, aut contra. Numerus, in quantum duplicia, aut ſimplicia. Figura, quatenus illorum acus acuminata, aut contra, arctiori aut laxiori illis affixa vinculo. Robur conſiſtit in eo, quod eadem veneno tincta ſint.

Inſtrumenta armorum fruſta extrahentia apud eundem Arabem numerantur octo.

Primi generis ſunt dentatæ forcipes, quarum extremitates inſtar limæ, à prædicto *Avicenna* inventæ.

Secundum genus dentatas quoque exhibet forcipes, ab *Albucaſi*, ob ſimilitudinem, roſtrorum avium nomine indigitatas.

Tertium genus ſunt forcipes inſtar arundinis, aut calami ſcriptorii, excavatæ.

Quartum genus terebellum inverſum, cujus acumen armis belli interebratur.

Quintum genus longa eſt terebra, oſſa, quibus tela aut haſtæ inhærent, ſeparando.

Sextum genus complectitur protruſoria inſtrumenta, quæ haſtas, globoſque per illæſam carnem trudendo expediunt, quod duplex eſt, excavatum vel ſolidum.

Septimum eſt ſcindens inſtrumentum, vulnera dilatando.

Octavum genus, inſtrumentum eſt ad formam tormenti bellici, quo lapides vel ponderoſos globos projicere conſueverant, à græcis *Baliſta* nominatum.

Hæc belli machinamenta duobus modis è corpore eximuntur, vel trahendo, vel trudendo, circa quod, juxta Medicorum *Hippocratem*, obſervandum eſt. Primò, ſi ſagitta viſui ſe præbeat, extrahenda eſt, ſi verò abſcondita lateat, in eadem poſitura collocandum corpus, in qua fuerat, dum vulnus infligebatur, inveſtigandum quoque ſpecillo, quouſque penetravit ſagitta, aut haſta. Si æger ſtando hæc perferre non poſſet, decumbat, ſi fie-

ri poſſibile ſit, eodem modo. Si prima vice hoc inſtitui non poſſit, differendum eſt, donec caro proxima vulneri mortua, atque putrefacta, tum opus ſecundum artis præcepta iteretur, ita monente *Avicenna* & *Albucaſi*, & non ut alii volunt, vi abſque mora intrudendo. Si patiens armatus ſit, & ſagitta extrahi commodè non poſſit, prius armis denudandus eſt æger, paratis omnibus ad hoc opus inſtrumentis, communi forcipe ſagitta gyrando extrahitur, ſi communis forceps haud ſufficiat, elige fortiorem. Si ſagitta carni profundè inhæreat, ut ſequi non velit commodè, vulnus cultro dilatandum eſt, ut minor fiat inflammatio; quæ major foret, ſi corpus in extrahendo telo laceraretur, ſi apertura in parte adverſa fieri debeat, vulnus majus ſagitta aut globo eſſe oportet; ſed ante omnia animadvertendum eſt cum Romano *Celſo*, ne major vena aut arteria ſcindatur. Si iſtæ ſe viſui præbent, unco detrahendæ ſunt, donec peracta ſit ſectio. Si ſagitta tam firmiter infixa hæreat oſſi, ut nulla vi cedat, vulnus terebello dilatandum eſt. Extractis belli inſtrumentis juxta artem tractando, ut reliqua vulnera, ſolummodo ſanguis, à ſagitta aut globo qualitate immutatus & alteratus, exprimatur, ut vulnus à gangræna præſervetur. Si ingens adſit dolor, vulnus calido oleo perfundendum eſt. Inflammationes, quæ ſequi poſſunt, communibus remediis avertendæ ſunt, aliàs ſtatim ad remedia, quibus in hæmorrhagiis uti ſolemus, eſt confugiendum.

Univerſalibus obſervationibus ita deſcriptis, tranſgredimur ad ſigna, quæ nos docent, an ſagitta protrudi, an extrahi debeat, quod potiſſimum tamen à figura bellici inſtrumenti vel læſæ partis deſumitur. Sagittæ ergo, quia longæ & graciles ſunt, altius corpori injiciuntur, communiter ad alteram detrudi debent partem, maximè verò, dum illarum acies hamulis eſt prædita; ſed commodo loco per carnem tentanda eſt via, Inſtrumento quodam, Græcorum litteræ ψ ſimili, dividendo, donec acumen ſagittæ ſeſe manifeſtet, quæ tamdiu trudi debet, dum ſagitta ab altera parte attingi poſſit. Quamprimum acumen fractum, ferramentum, quod ſolummodo infra cutim hæret, digitis aut forcipe extrahendum eſt. Ferrum quoque terebrâ eximitur per modum fiſtulæ excavatæ, quæ dolia, hoc eſt deliteſcens terebra, nominatur, vel

vel forcipe, quâ dentes evelluntur, vel inſtrumento ferreo, quod Græci propter ſpiculorum extractionem Βελουλκόν, quaſi ſagittarum extractorem, appellant. Si vulnera tantæ anguſtiæ ſunt, & non admittunt inſtrumentum, caro ulterius aperienda eſt. Si ferrum in ſagitta parvum & gracile ſit, communi forcipe eſt frangendum, poſteaque ſagitta ipſa acie privatur, ſi verò acumen majus fortiuſque ſit, denſis calamis, ut docet Romanus *Celſus*, tegi debet, ne in extractione laceraretur.

Si ſpiculum in ambobus lateribus munitum ſit harpagonibus, nullaque parte ſequi velit, cultro propè telum via facienda, modò vena aut arteria non obſtet, & ita dilatatis omnibus propè ferrum abſque ruptione eximetur. Lata ſagitta, ſi in carne abſcondita jaceat, protrudi non debet, ne vulneri magno majus addatur incrementum.

Rotunda belli inſtrumenta, ut grandines, globi, lapides vel ſimilia, quæ fundâ aut tormento bellico ejecta, per cutim carni infiguntur, per idem foramen, dilatatum tamen, quod inflixêre arma, eliciuntur. Si tam altè corpori infixa ſint, ut nec inveniri, nec abſque periculo extrahi poſſint, negotium omne naturæ committendum eſt, donec ſponte ſe protruderint, & viſui ſe præbuerint. Nam experientia teſtatur, globos, & ſagittas, quæ diu in corpore latitaverunt, naturam unà cum pure ejeciſſe. Ita ſcribit ſenex *Albucaſis*, in ſecunda parte ſuæ Chirurgiæ, capite 96. de extractione ſpiculorum: naturam telum in tergo abſconditum, ſanato vulnere ſeptem integris annis, è radice coſtæ ejeciſſe.

Huc uſque de ſignis, à varietate armorum deſumptis egimus, nunc de diagnoſticis, quæ læſam tangunt partem, nobis ſermo erit. Partes, quæ læduntur ab armis ſunt vel caro, oſſa, vel artus, ſi ſagitta profundè corpori non inſideat, nec arterias aut venas majores nervoſque tetigerit, optimus eſt modus, eodem, quo intrarunt, foramine extrahendi, ſed ſi arma eo penetrarint, ut maximam partem carnis perforarint, melius eſt carnem etiam illæſam ſcindere ad aciem haſtæ aut ſagittæ uſque, niſi arteria, vena aut nervus obſtet, itaque extrudi debent, ut melius ab utraque parte vulneri medicamentis provideatur. Si ſagitta haſtaque uſque ad os penetraverit, arma aliquantulum ſunt movenda, donec ſolvantur, tum-

que manu vel forcipe extrahantur, ſed ſi arma firmiter oſſi inſideant, ut manu ſolvi non poſſit os, cultro eximendum (ſi gracile ſit); ſi verò craſſum, terebrâ perforandum eſt. Aliqui poſtquam terebrâ foramen, ad modum Græcorum litteræ ψ, fecerint, os exſcindunt ad limam uſque, ita ut omnes lineæ, quæ dum à ſe invicem trahuntur, ad arma tendant, qua de cauſa neceſſariò ſagitta ſolvi debet. Alii imponunt ſciſſuræ oſſis læſi terebram rectam, quæ relaxatione facilè arma educit. Si ſagitta artus pervaſerit, illæ articulationes, in quibus arma hærent, propè vulnus faſciis ligari debent, quibus membra diſtrahi oportet, ut nervi, tendines, ligamenta à ſe invicem disjuncta ſint, quo ſic ſagitta commodius & minore cum periculo atque læſione evellatur.

Operationes omnes hæ habent etiam locum in armis veneno tinctis, ſed citius inſtitui debent, & caro, quam venenum infecit, mox exſtirpanda eſt, & in puncto cucurbitula ſupponenda eſt vulneri, ſi non adſit, ore exſugendum, ſi Chirurgus abhorreat, precibus & pretio alius eſt emendus, qui idem præſtet. Sed tamen *Giſbertus Horſtius, Amſtelodamenſis* (dum viveret) Doctor in magno Noſocomio Romano, refert, quòd in bello Turcico omnes vulnerati milites ſubitò mortui ſint, donec expertiſſimus quidam ſenex medicus hoc dederit conſilium, ut mala cydonia jejuno ore maſticata unà vulneri imponerentur: quo medicamento omnes milites ſanitati, fruſtra aliis adhibitis, reſtituebantur.

Vidimus lapidem Serpentinum, quem ex India Occidentali attulit expertus Chirurgus *Andræas Voet*, magnitudine & figura ſtyferi, colore fuſco, ſed craſſitie excedente, convexa gemina ſuperficie, qui ibidem & in India Orientali in extremitate caudæ ſerpentis circa internodium ultimum, ubi in acuminatam deſinit figuram, reperitur. Efficacia hujus lapidis magnoperè extollitur ab incolis in morſu & ictibus venenatorum animalium, quam idem Chirurgus ipſemet circa vulneratos ſæpius expertus eſt. Modus applicandi talis eſt, vulnuſculo prius lanceolâ dilatato, ut ſanguis effluat, quò firmius & melius vulneri affixus maneat, nam ſine ſanguine adhæſionem renuit, & exhauſto omni veneno decidit ultrò, quod venenum, mirum dictu, in lacte vel aqua tepida ad oculum

culum evomit; quæ cautio etiam ſemper adhibenda, ut omni prioris veneni labe exuatur.

Cumque multi inveniuntur homines, qui generoſiori animo mortem, quam operationes Chirurgi ſuſtinerent, emplaſtrum magni Arabici *Avicennæ* eſt uſurpandum.

℞. *Ferment.*
*Mell. optim. aut.*
*Alvearium ſorditiei. ana* ℔ß.
*Viſci quercini. part. unam.*
*Ex quibus ſ. art. conficiatur emplaſtrum.*

Quod tantæ æſtimationis eſt *Guidoni*, ut omnia, ferrum, chalybem, ſpinam, vitrum, feſtucam ligni aut lapidis è corpore educat, imponendo læſis partibus.

*Rogerius* teſtatur multis experientiis vidiſſe, radicem arundinis cum melle mixtam omnia, quæ corpori infixa ſunt, ſine dolore extraxiſſe; talis vis abſcribitur *Dictamno*, *Thapſiæ*, *Sagapeno*, *Ammoniaco*, *Ariſtolochiæ rotundæ*, *Ranis combuſtis*.

Quidam Medicus Cæſaris Romani cum adipe talpæ cuncta firmiter corpori inhærentia eliciebat.

FIG. II. exhibet pedem diverſis vulneribus, ut haſtâ, ſagittâ, lanceâ vulneratum.

A. Pars ligni fractæ haſtæ.

B. eſt Forceps ſcindens, quæ lignum hoc amputat.

C. demonſtrat dentatam Forcipem, quâ ferrum haſtæ apprehenditur, & ab altera parte educitur.

D. eſt Haſta, quæ ſola exhibetur, qua ratione tota per carnem trajici aliquando poſſet.

E. Acumen haſtæ, quod in patella frangitur, & manu facile eximi poteſt.

F. Fruſtrum lanceæ, quæ oblique ſuram tranſivit.

G. eſt Forceps dentata, qua acumen lanceæ extrahitur.

*Numeri* 1, 2, 3, 4. diverſas *Figuras* acuminum haſtarum lancearumque depingunt.

FIG. III. dat Siphonem, quo ingens liquoris quantitas magno vulneri injicitur.

# TABULA XXI.

## *De Labiis Leporinis reſtituendis, & methodo conſuendi vulnera arteriarum carotidum.*

FIGURA. I. offert caput hominis labio leporino deforme, qui ſe ſanitatis cauſa curæ tradidit.

E. E. ſunt ambo fines acus.

*a. a.* ſunt labia acus beneficio combinata.

*c. c.* Filum monſtrat, quod circa acum gyratur.

*a. a.* exhibent ſeparata labia.

*b. b.* Locus, qui eſt intermedius.

*o. o.* deſignat loca, quæ perforari debent.

*d. d.* ſunt extremitates labiorum, ſi conjuncta ſint.

*f. f.* Circumvolutionem ſolam fili depingit.

Superiora labia fiſſa deformitatem conciliant homini, ſæpe unum, duos treſve dentes denudando, id in maxilla ſuperiori aſpectu formidabile. Aliquando duplicis fiſſuræ ſunt, cum parvo interſtitio, quæ ſi non ſint calloſæ, ablatione non indigent; ſed ſæpe contingit, ut labia ita connexa ſint maxillis, ut etiam unà cum palato penitus diviſa ſint, tumque impediunt infantibus ſuctionis actum, parte unâ ſuperioris maxillæ magis alterâ extrinſecè cum uno aut altero dente prominente. Si ergo pars aliqua naturæ defectu in ſuperiori maxilla deſideretur, apud nos os leporinum appellatur, propter ſimilitudinem, quam habet cum ſuperioribus labiis leporum, quorum labra ſuperiora fiſſa ſunt, ſed licet in labio ſimplex aut duplex fiſſura ſit, attamen idem nomen retinet abſque diſtinctione. Sed apud *Galenum* & alios, *Curtum* nominatur omne id, quod vitio naturæ deficiebat labiis, auribus, aut naſo, vel etiam ſi pars exſtirpata fuerit ab externa cauſa, aut deſideraretur, nam impoſſibile eſt dare, quod natura negavit: ſed expertiſſimus Chirurgus ſeparata conjungere poteſt, æquè ut ſuperfluum auferre, & ita deformitatem arte emendare, ut vix obſervari poſſit.

Cauſa labiorum leporinorum eſt natura, metu aut forti imaginatione ab intento opere devia. Aliqui pro Oraculo divino æſtimant, nam me non latet Hagæ-Comitis

mitis Polionis cujuſdam uxorem fuiſſe, quæ pauperi poſtulanti eleëmoſynam negavit, hic ut illam moveret ad miſericordiam, truncatum oſtendebat brachium, illa perterrita paucos poſt dies monſtrum peperit truncatâ ulnâ. *Fabritius Hildanus* refert in tertia obſervatione ſecundæ partis aliud exemplum de fœmina, quæ in lucem edidit filium, cujus præputium circumciſum erat, ſolâ vi imaginationis, quod tribus ante partum ſeptimanis modum circumciſionis Judæorum narrari audierat. Quod terror, & vis fortis imaginationis gravidarum maxima monſtrorum ſit cauſa, nos docent quotidianæ experientiæ, & vix aliqui prodeunt abortus, quin hæ cauſæ concurrant: nam in occultis cauſæ facultatibus, quas divinas appellamus, quieſcendum eſt ingenio, nam arcana Dei profunda nimis intellectum fugiunt, exempli gratia: In fide noſtra firmum, & inconcuſſum eſt, nil caſu fieri, ſic ut neque capillus de capite noſtro decidat abſque voluntate patris cœleſtis, ſicque ſimplex imaginatio talem effectum in embryone efficere non valet. Verbi gratia, ſi gravida, proxima partui, ſubitò terreatur ab homine mutilo, vel manu, vel cubito, vel pede carente, & poſt octo vel decem dies eniteatur prolem ferentem hujuſmodi defectum: nonne ſtupendum hoc foret ultimo partus tempore? & ubi pars terrore diſſecta maneret? vel quomodo homo ingenio percipere hanc exſtirpationem poſſet? Quæ tenebræ nimis denſæ ſunt, ut in illis procedamus: vel ſi contraria imaginatio additionem alicujus membri gigneret, quo modò cubitus, vel pes, adnaſci aut fieri abſque nova conceptione poſſet, quod ſane nullo ingenio humano perſcrutabile. At ego judico, hæc monſtra fieri in prima conceptione, vel ab inopia vel nimia copia ſeminis, & quod poſt conceptionem omnia videns Deus miraculoſè gravidis ſuam pœnam prævideat, & hoc terrore quaſi propria admonitione monitas & recordatas eſſe velit. Nam ſi conſideremus primam conceptionem, & tempus maturi partus, fit illa diebus 40. juxta opinionem communem *Hippocratis*, maſculos diebus triginta, & fœmellas diebus quadraginta duobus, abſolvi dicit. Alii quadrageſimum quintum ad ſummum, & trigeſimum ad minimum ſtatuunt. Sed *Laurentius lib.* 8. de generatione, vita & partu embryonis, optimè dicit, *quis primum diem generationis hominis, aut quis ulti-*

*mum novit, niſi ſolus creator, qui creaturam creavit.* Hinc ſæpe ſpatio iſtius temporis perfectus aut imperfectus eſſe debet; ſi inopia ſeminis, imperfectus erit, ſi copia nimia adſit, fieri poteſt, ut fructus gaudeat tribus brachiis, quatuorque pedibus, vel alio modò, ut notavi in prima annotatione hiſtorica primæ partis. Ut collimemus ad ſcopum noſtrum, his ſuperſedemus, & revertentes ad noſtrum propoſitum, ſigna prognoſtica proferemus.

Hæc operatio periculoſior in ſenibus, quàm in junioribus eſt. Attamen peritus Magiſter *Petrus Rogierſe* perſonam vinginti octo annorum feliciter curavit, ſed infantes, quò juniores, eò melius & minori cum periculo ſcinduntur, & quidem tempore lactationis, niſi ægrotent, aut infirmi ſint, præter illos, qui ſugere non valent, hi autem ſunt, quibus maxilla ſuperior unà cum labio fiſſa eſt: Æſtate felicius Hieme ſanantur, quia calor amicus vulnerum; & Vere melius quàm Autumno, modò tempus ſugendi tamdiu differri poſſit.

Quod attinet curationem, modum tractandi breviter proponam, unà cum duabus obſervationibus magnorum labiorum leporinorum, quæ ambo uſque ad ſuperiorem maxillam ſeparata erant; alias annotationes omittendo, quia ſæpius occurrunt, ſpe fretus Lectorem acquieſcere illis, quæ docui. Methodus curandi dictam deformitatem hæc eſt. Primò conſideranda eſt valetudo ſubjecti, an benè nutritus & bonæ ſit temperiei, & an infirmitas aliqua, ut ſcorbutus vel quid aliud morboſi in corpore hæreat, maximè ſi ſit perſona confirmatæ ætatis: an affectus curabilis, vel incurabilis, antequam manum operi admovemus, hoc eſt, an perditio ſubſtantiæ labiorum per combinationem reſtitui poſſit. Hac de re nos certos eſſe oportet, antequam tam periculoſum opus aggredimur, ut melius Chirurgi votis omnia reſpondeant, & non loco honoris ſequatur dedecus, providè hanc inſtituet, nam ſæpe ſuperior maxilla unà cum labio in duas diviſa partes, & à ſe invicem longe diſtant, ſed tamen eodem medio curantur, & ſi reſiduum inter duo labia induruerit, auferri debet, aliàs minimè.

Si ergo labia puerorum leporina ſcindendi adſit hora, eligendus eſt locus lucidus, imponendo patientem gremio alterius, ſervo à tergo caput ſuſtinente, & ægri mani-

bus

bus benè devinctis, obſervandum, ne infans ſpatio decem aut duodecim horarum dormiverit, ut operatione abſoluta melius ſe ſomno tradat; dein providendum de omnibus neceſſariis, inprimis de vitro vini & cardiaco, ut ſi puer ob nimiam hæmorrhagiam animi deliquium pateretur; adſit pelvis plena tepidâ aquâ unà cum duabus ſpongiis: turundæ, ſplenia, ligacula ſint ante operationem parata. Tum culter inciſorius, quo maxillæ ſuporioris labii caro, ut & infra naſum, commodius incidenda; dein acuta forfex, quâ extremitates hiantium labiorum artificiosè, quantum occaſio exigit, auferuntur; parata quoque forceps inciſoria, ut urgente neceſſitate prominens maxillæ portio, quando diviſa eſt, auferatur; quinque aut ſex argenteæ acus, triangulari acie præditæ, quarum capita filo ſerico munita ſint, & quàm primum acus tranſmiſſa ſit, filo combinetur. Labia itaque arctè conjungi debent ope trium acuum, quarum una tranſmittatur, quo poteſt, proxime naſo, cum hæc ſutura minus habeat rupturæ periculum, & terebrando prima acu labium maximè hians, ſecunda inſigetur labiorum partibus maximè muſculoſis, & ſervus, qui inter ſcindendum caput tenuerat, maxillas unà antrorſum naſo admovebit, ut non ſolùm ſutura eò commodius abſolvatur, ſed & minus periculum diſrumpendi adſit. Tertia & ultima ſutura in inferiore parte labiorum perficitur, quâ labia ſibi longitudine reſpondeant. Acus labia ſeparata latitudine calami ad minimum penetrabunt, ut à ruptione liberentur, & ejuſdem latitudinis alterum perforabit, & unoquoque filo cujuſque acus gyrum unum aut alterum duces, ut videas, an ſuturæ ſibi reſpondeant, quod citiſſimè abſolvi debet molli ſpongiâ vino tepido madidâ, & conſtringes decuſſatim ſuturas filis, eodem modo, quo ſartores filo acus circumducunt ſuas in brachialibus. Peracto conſuendi opere acuum eminentes acies incidente forcipe præcides, quàm proximè poſſis, ne eminentes ulcerationem cauſentur, poſt quæ illinies calidè ſuturas oleo Balſamico, & ſic factæ ſuturæ pro turundis uſui veniunt, imponendo tamen turundam planam oleo Balſami madidam, & alterâ maxillâ agglutinante emplaſtro obductâ, quo leniter gena verſus naſum ducitur, & ſplenio naſo appropriato ligatur, altera emplaſtri extremitas oppoſitam partem agglutinat, pro-

videndo etiam in eodem latere ligulâ tenui, ut ligaculum ſupra ſuturam defendatur, & detineatur; cavendo liberam patientis reſpirationem, ne foramina naſi obturentur, dando continuo infanti penicillo aut pluma ſyrupum violaceum, & cibos multum nutrientes: ſi multus in pueri ventriculum, ut plurimum contingit, influxerit ſanguis, propter amiſſas in hac operatione vires, cura prudenti medico committenda eſt. Sequente die ligaculum non removeatur, niſi illud loco motum ſit. Secundâ deligatione faſciarum mutatio facienda eſt, comparando famulum, qui patientem ſuſtineat ac maxillas antrorſum tam arctè comprimat, velut dum infans ſcindebatur, donec nova emplaſtra & ligamenta ſint impoſita, & antea ſolvendo mediæ ſuturæ filum ad medietatem, & aliarum ſuturarum aliquos gyros, ſi nulla exulceratio metuenda ſit à factis ſuturis, nam nimia filorum preſſura eas parit, hinc ſingulis diebus aliqua ſunt laxanda fila, & denudatæ extremitates acuum continuò volſellulâ abſcindendæ.

Tertiâ deligatione media ligatura auferenda eſt, & aliarum tres aut quatuor gyri laxandi, & deligationi, ut ante, providendum eſt.

Quartâ deligationis die, ſi ſub media ſutura non major appareat ſeparatio, ut & ſub inferiori ſpecilli uſu, tunc ſuperior acus ſub naſo extrahenda, ejuſdemque loci accurata eſt habenda cura, &, ſi quinto die parva doloris ſuſpicio infantis agitatione ſit, idem etiam extrahi, vel ſaltem laxari poteſt, nam acus nunquam ad ſextum diem à me permittitur, niſi valdè moroſi ſint infantes, exemptis itaque acubus vulneri dicta ratione providetur: quâ methodo varias, adjuvante Deo, quatuor aut quinque dierum ſpatio curavimus. Hîc ergo juniores Chirurgos monitos velim, ut hanc malam conformationem prius benè perpendant, quo modo ipſi ſuccurrendum ſit, & an etiam curabilis ſit, ne ex malè conformato labio deformius efficiant, nam ad hoc præcipuè attendendum eſt, quod labiorum margines ſatis debitè eximantur, ut nil reſtet, atque mox tam cruenti uniantur; nam ſanguinis expreſſio non eſt neceſſaria, uti *Iſacus Guilhelmi* monet, nam mihi videtur, quod nimia ſanguinis copia nobis invitis effluxerit.

In latere colli *in eadem Figura* exhibetur delineatio,

tio, qua vulnus venæ jugularis aliarumque deligandum,

*c. c.* exhibet quantitatem vulneris.

*f.* eſt præciſa vena jugularis.

*h. h.* eſt prima unio, quæ in cute incipit.

*g. g.* eſt ſecunda unio, quæ intra vulnus fit.

*i.* exiguum ſplenium, quod inter utramque unionem collocandum eſt, paulo infra litteram (*f*), ut ſupra eam ducatur nodus, ne filum cutim nimis cito peforet.

*g. g.* ſunt ambæ fili extremitates, quibus vena jugularis à parte inferiori vincta eſt.

*Reliquæ Figuræ* rariores exhibent tumores, quorum prior horrendum ulcus ſarcoticum eſt, & poſterior apoſtema exhibet à coxis ad calcem uſque, diverſis foraminibus pertuſum, juxta numerum 10, 20, 30, 40, 50, 60, unde integrum crus incurvabatur, & contorquebatur, quod apoſtema *Nicolaus Hamerſtein* aperuit. Niſi noſtro conſilio hæc cava foramina in unam contracta fuiſſent cavitatem, ut *in proxima Figura* ab (*f*) ad (*a*) exhibetur, de quibus tumoribus in obſervationibus agitur, intortum fuiſſet crus.

## TABULA XXII.

### *De diverſis artis Luxatoriæ Machinis.*

FIGURA I. modum depingit, quo luxatus humerus, beneficio communis luxatoriæ machinæ *Hippocratis*, in locum ſuum repoſitus, cuſtoditur.

A. A. A. eſt extenſum brachium.

B. Annulus luxatorii Inſtrumenti.

*c. c. c.* ſunt ſuſtentacula, quæ brachium in pyxide tenent.

D. D. Columna, in qua luxatoria machina quieſcit.

E. E. E. Pedes columnæ.

F. F. F. Cochleæ ſunt, quibus pedes columnæ ſuſtinentur.

G. Machina luxatoria *Hippocratis*, Ambe nominata, diſſoluta.

E. An-

E. Annuli, quibus ſuperior pars brachii interponitur.
I. Extremitas Inſtrumenti luxatorii.
K. Sinus ſeu rima columnæ, cui machina imponitur.
L. Eminens pars Inſtrumenti eſt, quæ in rima quieſcit.
F. Stylus, qui Inſtrumentum & columnam conjungit.
D. Columna.
B. in prima Tabulæ parte machinam ſolam in ſe conclusam demonſtrat.
B. in ſecunda parte Tabulæ machinam oblique dependentem depingit.
Fig. II. delineat, qua methodo luxatus humerus reponatur.

*Aliæ Figuræ* dant trochleas, earumque pyxidem, & ferramenta, quibus rotulæ intrinſecè moventur eodem modo, quo fabri lignarii ſuis utuntur.

## Tabula XXIII.

### *De noviter inventa Luxatoria Cochlea.*

Inter omnium luxatorias machinas, aliàs Gloſſocoma dictas, præcipua & ſecuriſſima atque commodiſſima hæc eſt: cum alia Inſtrumenta ſæpe in ſuis operationibus tepidè procedant, nec iſtarum ſint virium, ſi humerus extra ſcapulam luxatus ſit, aliudve membrum, quod aliis inſtrumentiis haud commodè reſtituitur; attamen palmam obtinent in levioribus luxationibus, in quibus tantæ vires non requiruntur, ut reſtituantur in naturalem ſitum, nam rationi eſſet contrarium, ſi quid levioribus reſtaurabile, velle tantis aggredi machinis.

*Inferior pars Tabulæ* exhibet luxatoriam cochleam, unà cum ſuis neceſſariis ligamentis, ligulis, tabulis, ſed ſub minori forma, ſed altitudo ipſius duos pedes adæquare debet. Latera pyxidis, in qua cochlea hæret, eſt latitudinis duorum pollicum, principium & finis latitudinis unius pollicis & dimidii, axis in totum unius pollicis craſſitiei. Coriaceum ligamentum in totum longitudinis pedalis, & ſex pollicum, duorumque pollicum latitudinis.

Fi-

FIGURA. I. totam Luxatoriam Cochleam depingit, abſque ligulis, ex ferro & chalybe fabrefactam.

A. A. A Totam cochleam exhibet, quâ machina circumgyratur, craſſitiem habentem unius pollicis.

B. Eſt pyxis, cui incluſa eſt cochlea, ut à latere ſeſe oſtendit: craſſitiei ſit duorum pollicum.

*a. a.* Sunt duo diviſi unci, quibus funes appenduntur.

*e. e.* Sunt funes ex denſo cannabe.

C. Globum delineat, quem clavus perforat ad circumgyrandam cochleam.

D. D. Sunt duo globi clavi ferrei.

E. E. Demonſtrat aliam cochleæ machinam, cujus ope luxatoria machina menſæ affigitur.

*o. o.* Cochleam dat.

*b.* Globus eſt, cujus motus à cochlea dependet.

F. Ferreus ſtylus, quo axis circumagitur.

G. G. Sunt cochleæ, quibus appendix cochleæ menſæ firmatur.

H. Eſt mobilis pyxis, qua appendix cochleæ luxatoriæ conjungitur.

FIG. II. oſtendit Capſulam, cum duabus ſuis partibus.

FIG. III. coriaceum Ligamentum, quod brachio aut pedi adaptatur.

A. A. Sunt hami, quibus obligantur funes.

O. Eſt fibula, quâ clauditur vinculum.

FIG. IV. Vinculum extenſum.

A. A. Eſt coriaceum vinculum, latitudinis duorum pollicum.

Hoc debet eſſe longitudinis unius pedis & ſex pollicum, ex denſo & molli conficitur corio, in utraque ſuperficie (*o. o. o.*) perſutum eſt, ut & tranſverſim, ut puncta (*i. i. i. i.*) indigitant, ut eò melius vim cochleæ in extractione ſuſtineat, in quem finem corium, quouſque tranſſutum, duplicatur.

Hæc craſſa puncta, quæ apparent inter lineas ſuturæ, foramina deſignant, quibus ſtyli (1, 2) imponuntur ut ferrei unci firmentur, dum commodè membrum amplexum fuerit.

O. Fibula, quâ conſtringitur.

N. N. Ferrei unci mobiles, quibus laquei funes, quæ cochleæ luxatoriæ annectuntur, alligantur.

FIG. V. eſt Funis.

FIG. VI.

FIG. VI. eſt pyxis, quâ cochlea includitur plano unco, & ſimplici, qui ſecundum aliquos juxta lineas magis parallelas abducit, quàm unci diviſi, quia funes firmius in plano quieſcunt, nec ita vacillare poſſunt, quàm unci diviſi, quapropter ob ſolidam & indiviſam ſuperficiem extremitates æqualius poſſunt diſtendi, hinc magis ordinata tractio producitur; ſic parvo modo inſtrumentum inobediens ſæpe promovetur ad opus melius perficiendum; ſic & vacillatio laminarum ſpeculi matricis clavo corrigi poteſt, quarum Figuram depinxiſſemus, niſi hæc Tabula impreſſa fuiſſet.

*Superior delineatio* ipſam Operationem depingit:

FIG. I. Patiens eſt, cujus luxatus humerus reponitur.

FIG. II. Chirurgus, qui membrum molli linteo, dum cochlea reponitur, lentè in naturalem locum premit.

FIG. III. exhibet Famulum cochleam circumagentem.

FIG. IV. Menſam demonſtrat, aut fulcrum aptum, cui cochlea cum appendice annectitur.

*Numerus* 5. & 6. deſignat modum, quo humerus luxatus cochleæ annectitur.

## TABULA XXIV.

## *De Balneo, quo mediante æger lecto affixus ad ſudores moveri poſſit.*

CUm calor cauſa ſudoris ſit, poros cutis carniſque aperiendo & humores colliquando, hinc ars diverſas methodos invenit, ægrotantibus, occaſione poſtulante, ſudorem movendi, nam ſicut ſudor anxietatem & lipothymiam affert, & in tali caſu mutatio aëris ex Balneo ad lectum tranſgrediendi periculoſum ſit, Balneum hîc delineari curavimus, in quo æger cubans ſudare poteſt, & quod poſt ſufficientes ægri ſudores facili negotio auferri poteſt, ægro in lecto manente, qua methodo quævis pericula, quæ ſubitaneam pororum plerumque ſequuntur conſtipationem, præcaventur.

*Prima pars tabulæ* depingit modum, quo prædictum Balneum cubanti patienti imponitur, atque firmatur, his abſolutis aptis ſtragulis tegitur, & in arcula ignis ſecundum artem inſtruitur.

Hoc

Hoc Balneum A. A. conficitur è planis aſſerculis ſecundum longitudinem corporis, ità ut caput emineat, quæ aſſerculæ parvis tranſverſis in debita diſtantia firmantur, ut hic delineatur.

A. A. eſt Balneum.

*b. b. b.* ſunt aſſerculæ ſecundum longitudinem.

*c. c. c*: tranſverſæ ſunt aſſerculæ.

D. eſt Arcula, quæ balneo conjungitur.

*f.* Uncus, quo mediante arcula, in qua ignis cuſtoditur, Balneo conjungitur, in oppoſito latere ſimili gaudens.

*g.* Janua, per quam ignis immittitur.

FIG. I. offert poſteriorem partem arculæ, cujus A. Oſtiolum eſt, per quod ignis intruditur.

FIG. II. illam partem arculæ demonſtrat, cui apponuntur pedes patientis.

O.O. O. ſunt foramina, per quæ calor ad corpus univerſum perfunditur.

FIG. III. interiorem arculæ depingit partem, lamellis ferreis undique tectam.

D. D. ſunt duæ pelves, repletæ ſpiritu vini accenſo.

FIG. IV. demonſtrat latera dictæ arculæ.

A. Oſtiolum poſterius.

Talia Balnea paucis expenſis ab unoquoque ad ſui corporis formam comparari poſſunt, & uſui veniunt, in multis morborum & infirmitatum generibus, & magno apparatu non indigent, nam patiens ſolummodo ſupinus, pedibus ad foramina arculæ poſitis, ut clarè delineatum eſt, jaceat neceſſe eſt, poſtea aptis ſtragulis cooperiatur, proſpiciendo, ut calor concluſus in lecto hæreat, qui hanc operationem abſolvere debet.

## TABULA XXV.

### *De Balneatorio Inſtrumento ex corio, quo in ipſo lecto utimur, & Lecto artificioſo.*

BAlneatorium Inſtrumentum eſt ex corio denſo, molli tamen, quod aquam contineat, ne effluat. Illo utimur in lecto ipſo, vel in illis, in quibus vires ſunt ita perditæ, ut impediat periculum, ne à lecto amoti deficiant:

ciant: vel in iis, qui verentur, ne vires propter motum labantur, quia revera corpora ad balnea delata languidiora fiunt.

FIGURA *ſuperior* docet uſum Inſtrumenti: Pars ſuperior latior eſt, per hanc balneatoris auxilio intromittitur æger, pedibus primò, mox ſequente reliquo corpore uſque ad humeros, ita tamen, ut æger erecto dorſo decumbat ſuppoſito pulvinari. Quo peracto pars ſuperior Inſtrumenti aliquantulum conſtringitur: deinde aqua tepida, mox frigida, ſi opus ſit, per ſuperiorem tubum infunditur: quâ infuſâ poſt mediam horam plus minuſve aperto inferiori tubo tota illicò evacuatur: inde dilatata parte ſuperiori Inſtrumenti, balneator manus admovet inferiori tubo, quo velut manubrio balneatorium è lecto extrahit: tunc corpus ægri relinquitur quidem madidum; ſed ſi ſemel, vel bis ſe verſet, & pervolvat in partem ſicciorem linteorum, facilè, & commodè ſine ulla virium jactura exſiccatur. Cauſa autem, cur in hecticis, & quamplurimis aliis affectibus ſit abolitus balneorum uſus, eſt, quia ægri ex ſolitis balneis plus incommodi quam adjumenti habent: ex noſtro nihil detrimenti nihilque incommodi: imò non ſemel ſanavimus febre hectica correptos, quos ſpe ademptâ tanquam inſanabiles cæteri medici reliquerant.

Hîc notatur ab *Hugone Senenſi* error quorundam Medicorum, qui mittunt ad balnea ſulphurea eos, qui habent juncturas pituitoſis ſuccis refertas: pituita enim, reſolutâ parte tenuiori à balneo ſulphureo, adeò craſſeſcit, ut in materiam gypſeam faceſcat, unde fit nodoſa podagra, quam ſolvere eſt impoſſibile. Similiter digni reprehenſione ſunt illi Medici, qui utuntur reſolventibus exſiccantibus: quia hac via itidem craſſeſcit materia: oportet enim ſemper uti humectantibus, quæ tamen non habeant vim laxandi; ſed ſolum humectandi & remiſſè admodum reſolvendi.

Nos verò utimur hoc noſtro balneatorio ex corio, de quo ſuperius egimus: quia illorum, qui ex pedibus laborant, dum ad balnea deferuntur, totum corpus & pedes debilitantur, quorum virtus præcipuè eſt conſervanda, infundimuſque in balneatorium aquam dulcem, in qua furfur ebullierit, addita ſexta parte vini nigri auſteri: vel utimur aquâ, in qua ablutæ ſint lanæ ſuccidæ, addito vino auſtero, ut di-

ctum

ctum eſt: ratio eſt, quia materia dura, & craſſa, quæ facilè converti poteſt in pituitam gypſeam, non poteſt reſolvi, niſi per vapores; ſed ſic eſt, quod ex *Ariſtotele quarto meteororum, & alibi*, materia vaporum eſt humiditas, quippe quæ ſi imbibita ſit in materia craſſa, & ſcirrhoſa, ejus vapores non ſolùm elevant materiam humidam, ſed unà duram, & compactam: ſic terræ vapores non ſolùm elevant materiam pro nubibus, ſed etiam pro ventis, pro fulgure, & pro aliis calidis, & ſiccis impreſſionibus, quæ ſine vapore humido elevari non poſſunt. Valeant igitur illi, qui mittunt illos, qui habent juncturas plenas pituitoſis ſuccis, ad balnea, & ad luta reſolventia. Valeant quoque, qui in his utuntur oleis calidis & valdè reſolventibus: tales enim ægroti humectantibus, non laxantibus, ſed moderatiſſimis reſolventibus tractandi ſunt.

FIG. *inferior* eſt Lectus artificioſus, qui præſtat *ſex uſus*, quorum *primus* eſt, quod æger interdiu in lecto ſæpe ſedere poſſit in ſella, & commodè, quia peſſulo A. retracto, ſtatim quædam anaclinterii pars cum linteis & ſtragulis concidit, & unà pedes deorſum inclinant: æger enim ita diu ſemper manens ſtratus, & extenſus in lecto langueſcit, & facultates naturales, & præcipuè animales maximè hebeſcunt, quod in ægro eſt pernitioſum, quod ſedendo interdiu per aliquod temporis ſpatium non eveniet.

*Secundus uſus* eſt commoditas ejiciendi fæces, quia foramini B. ſubeſt vas excrementa recipiens, tectum eſt foramen tegumento molli, ſeu ex plumis confecto, ne ex duritie illius partis aliquid ſuccedat incommodi.

*Tertius*: lectus ad libitum fit penſilis, quia elevatur per inſtrumentum D. ut motu aliquo ſuavi æger invitetur ad ſomnum, & dolores, ſi qui ſint, aliqua ex parte avertantur.

*Quartus*: in parte ſuperna lecti ſunt quatuor globuli ærei, E. E. E. qui, dum lectus penſilis movetur, edunt ſonum ſuaviſſimum, ad conciliandum ſomnum certè aptiſſimum.

*Quintus*: ad ſellam ſub ejus manubriis menſa paratur.

*Sextus uſus*: remotâ ſellâ, quæ peſſulorum nexu lecto adhæret, alius lectus huic æqualiter adnecti poteſt: quia

 hic

hic noſter plus minuſve (cum ſit penſilis) attolli poteſt: æger in lectum huic noſtro æqualem, vel ex noſtro in illum ſe parum verſando facilè transferri poteſt, donec lectus optimè ſternatur, mutenturque lintea, & periſtromata, quod quantum ſit beneficium ægri, qui ſemel manſerunt in lecto non bene parato, optimè ſciunt: ſed de hoc lecto fuſius *Sanctorius* in *libr. de inſtrum. med.*

Lectus præſtat illos uſus, quos propoſuimus, patiens enim interdiu in lecto ſedere poteſt: quia peſſulo A. retracto ſtatim anaclinterii pars cum linteis, & ſtragulis concidit, & ſimul pedes deorſum commodè inclinant: ubi verò eſt B. eſt forica, in qua ſubeſt vas excrementorum. Ubi eſt D. eſt chorda, qua lectus elevatur, & fit penſilis. Demum alius lectus huic æqualiter adnecti poteſt: quia hic noſter plus minuſve, cum ſit penſilis, attolli poteſt: æger in lectum huic noſtro æqualem, vel ex illo in iſtum ſe parum verſando facilè transferri poteſt, donec lectus benè paretur, quod quantæ ſit jucunditatis omnes intelligunt.

Nos quamplurimis ægris maximum commodum, maximumque beneficium ex hujus lecti uſu attulimus: modo enim paralytici, modo podagrà affecti, & ut plurimum viribus poſtrati, utilitatem non ſpernendam receperunt.

A. A. A. A. In *prima parte Tabulæ* eſt Cliſmus.

B. B. Lectus cui æger incubat.

C. Pulvinar dorſo ſuppoſitum.

D. D. Inſtrumentum balneatorium, ſeu coriaceus ſaccus, quo æger clauditur.

E. Superior pars, quæ ligulis munitur ad contrahendum.

F. Inferior pars, cui inhæret fiſtula, per quam aqua effluit.

G. Infundibulum, per quod aqua in ſaccum infunditur, ex ſupra poſita pelvi.

H. Fiſtula ex qua aqua in cupam infra poſitam effunditur.

*Secunda pars Tabulæ* exhibet lectum artificioſum.

O. O. O. O. Columnæ cliſmi.

A. Peſſulus eſt, quo extracto pars inferior decidit.

B. Foramen, per quod alvus excernitur, cui olla annexa

nexa eſt, illique molle pulvinar ſubſterni poteſt.

C. C. Manubria, quibus menſa paratur.

D. Trochlea, quâ lectus elevari queat.

E. E. E. Campanulæ, quæ in vacillatione lecti ſonum edunt.

# TABULA XXVI.

## *De Cucurbitulis corneis ad alimentum in partes attrahendum efficacibus; alioque Cucurbitulæ genère, quæ uno ictu variis foraminibus cutim pertundit.*

O*Ribaſius* numerat tria genera cucurbitularum, quæ Veteres in uſu habuêre, nempe vitreas, æneas, & corneas, quarum duæ primæ ope caloris trahunt, poſtrema verò oris ſuctione agit, quæ licet apud nos exoleverit, ab Indis multum æſtimatur, nam beneficio iſtius flatus inteſtinorum curare callent, nam quamprimum æger colica paſſione apprehenditur, clyſterem injiciunt, ſimulque cucurbitulas corneas in abdomine adhibent, quarum apertionem, quamprimum aërem ore attraxerint, digito obturant, ut cuti adhæreant, & flatus diſſipent atque eliciant.

*Tres ſuperiores Figuræ* tales ſunt corneæ cucurbitulæ, utiles ad arterias & venas gracilitate flaccidas elevandum, nam elevatis ſubſidentibus venis, ſanguis longius & ſpiritus liberè tranſmeare poſſunt, nutrimentum arefactis partibus advehendo, ſed animadvertendum, ut ponantur juxta curſum vaſorum, quæ nutrimentum advehunt. Nec ſufficit una harum applicatio, ſed juxta arbitrium medici & rei exigentiam iteranda.

Apparatus cucurbitularum & conſiſtit in cucurbitulis & partibus, quibus imponuntur; in cucurbitulis imprimis animadvertenda eſt figura, quæ pro varietate morborum & partium variat, omnes concavæ & convexæ ſint, habentes glabras margines, acutæ quidem melius trahunt, ſed majore cum dolore, orificium illarum ferè duorum digitorum, fundus verò quatuor adæquat amplitudinem, altitudo communiter trium digitorum eſt,

eſt. Corneæ cucurbitulæ duo habent foramina, unum latum, quod imponitur parti, alterum anguſtum, ex quo aër extrahitur. In cavitate æneorum tenue filum ferreum trajicitur, quod accensâ candelâ candeſit, dum applicantur dictæ cucurbitulæ. Vitreæ apud veteres erant parvo foramine perforatæ in fundo, inſtar foraminis acus, cerâ obturato, quæ remouebatur, quando detrahendi erat animus. Corneæ molliter trahunt minore cum dolore, nec pavidos, cum igne non indigeant, concutiunt. Æneæ diutius attrahunt vitreis, quia calorem diutius retinent.

Uſus cucurbitularum duo adfert commoda, quorum altero gaudet pars, cui cucurbitula affixa eſt, altero vicinæ partes. Primò locus calefit, intumeſcit, & ſanguine repletur, & illi reſtituitur, quod in proximis partibus contra naturam aſſervatur, ut in hernia inteſtinali, ubi inteſtina ſuctione cucurbitulæ in locum naturalem attrahuntur. Dum Urina obſtante calculo non excernitur, cucurbitulâ renibus impoſitâ elicitur. Sed cavendum ſemper eſt, ne intro lapſa ope cucurbitulæ profundius propellamus, ut illi, qui luxatam vertebram cucurbitulâ reſtituere ſtudent, quæ methodus ab *Hippocrate* ſufficienter exploſa eſt.

Cucurbitula primò hoc præſtat commodum remotis partibus, quod humores propulſos ad indebitas vias repellat, ut in fluxu menſtruo nimio fœminarum, dum cucurbitulâ ſub mammills poſitâ impeditur. Secundò quod non permittat, ut aliquid partem, cui imponitur, præterlabatur, hinc in hæmorrhagia narium laudatur; ſic impedit vomitum, dum fundo ventriculi applicatur.

Cum ergo ſcarificatio, ſuo tempore uſurpata, tantum emolumentum ſanitati corporis humani adferat, ad terrorem Patientis removendum machinam hanc ſcarificatoriam, omnes inciſiones uno ictu facientem, excogitavimus.

B. Operculum pyxidis, quâ prædicta machina continetur.

*b.* Pyxis.

*o. o. o. o.* Orbis, in quo phlebotomi figuntur, prout ſe ab inferiori parte viſui præbet.

...... Puncta indigitant foramina circuli, in quo firmantur phlebotomi.

A. A. A.

A. A. A. Sacrificatoria machina.

*d. d.* Eſt Axis rectus, cui annectitur orbis, in quo lanceolæ hærent.

*f. f.* Lignum tranſverſum.

*b.* Circulus eſt, quem quadratus axis perforat.

*g.* Offendiculum, ne axis ulterius prolabatur.

*b.* Arcus, quo machina deprimitur.

*i.* Foramen, in quo arcûs globus globo axis infigitur.

*k. k.* Duo transverſi ſtyli, qui orbem in æquilibrio tenent.

*b.* Orbis, cui imponuntur plebotomi.

*c. c.* Phlebotomi.

*n. n.* Phlebotomi extra orbem, quorum numerus augeri & minui poteſt juxta arbitrium Medici.

*o. o.* Obſtacula, quibus impeditur, ne phlebotomi profundius ſecare poſſint.

*m.* Arcus extra machinam.

G. Axis.

F. Lignum tranſverſum.

L. L. Styli.

B. *in prima parte Tabulæ* depingit machinam, gangrænatam partem una vice ſcarificantem.

*o. o. o.* Incidentes rotulæ.

C. Clavis, quâ rotulæ circumgyrantur.

A. Operculum.

## TABULA XXVII.

### *De variis Faſciarum generibus.*

OPeræ Chirurgicæ conveniunt faſciæ, vinciendo, fulciendo, extendendo, partim inſerviunt agentibus, partim per ſe aliquid efficiunt, ſive eodem tempore, ſive diverſo utrumque præſtent; eas nunc perſequi propoſitum eſt: primò autem agemus de vinciendo, cujus uſum, apparatum, ac rationem unà cum vinculis unicuique parti idoneis, perſequemur. Maximi igitur uſus, maximique momenti vinculum eſſe, intelligi facilè poteſt ex *Hippocrate*, qui *in Opere de officina medici*, ubi ſolam Chirurgiam deſcribit, plurimum de vinciendo pertractat, ut qui hanc operam qnaſi normam conſtituat aliarum, non ſecus ac pleuritidem morborum acutorum *in Opere de ratione victus*: monſtrat etiam *Hippocrates* maximam

ximam eſſe vinciendi vim, cum *in Opere de fracturis*, ubi ex profeſſo fracta exponit, inſerat luxata nonnulla, veluti pedem, manum, genu, cubitum: idque ob conſortium, quod habent cum fractis: hoc autem conſiſtit in vinciendo, quod eadem ratione vinciantur, quâ fracta: ſimiliter *in Opere de articulis*, ubi propoſitum eſt perſequi luxata, admiſcet quædam fracta, veluti naſum, maxillam, jugulum, coſtam, quod eandem vinciendi rationem admittant, quàm luxata. Tanta igitur eſt vinciendi vis, ut quæ alioquin ſeparata eſſe deberent, ob ejus conſortium combinentur. Ponitur autem vinciendi uſus triplex apud *Arabes*, quos ſequuntur noſtri ſæculi Chirurgi: unus eſt ad retinenda medicamenta; alter ad agglutinandum, & educendum humorem ex loco affecto; tertius ad prohibendam inflammationem, & repellendam ab affecto loco. Hunc triplicem uſum procul dubio vinculum præſtat; ſed hæc magis eſt enumeratio, quam diviſio, cum nulla methodo hæreat, & aliquot uſus relinquat, quos præſtari à vinculis manifeſtum eſt, cum dirigant, conjungant, ſeparent, avertant, & complura alia efficiant, quæ ſub eo triplici genere minimè comprehenduntur. Sequemur igitur *Hippocratem*, qui ut cætera præclarè, ita vinculi uſum, in *Opere de officina medici*, venatur: ſcribit enim aliud per ſe remedium eſſe, aliud iis, quæ remedio ſunt, ſervire: adjiciemus nos uſum medium mixtum ex utroque: ejus ſcilicet vinculi, quod ſimul agit, & inſervit. Dicitur autem inſervire tantum id, quod retinet medicamenta, quæ, ubi ſoluta ſunt, decidunt, neque inhærent, niſi quoddam glutinoſum (ἐχεκόλλα Græce nuncupantur) qualia ſunt, quæ gummi, vel reſinam accipiunt: cadunt reliqua, niſi vinciantur, veluti cataplaſmata: quamobrem ſolet *Hippocrates*, ubi ea imponit, vinculum quoque adhibere. Efficit ſimul & inſervit vinculum illud, quod torporem inducit, quum ſecare partem aliquam ſine dolore volumus, quod continet fracta, & luxata, ubi jam compoſita, & reſtituta fuerint: inſervit, quatenus tuetur, agit, quatenus repellit; illud item quodque injicitur, quum ſecanda vena eſt, inſervit venæ ſectioni, ut ſupra demonſtratum eſt, & ſimul agit, quatenus implet ſanguine venam ſecandam: quod datur ad ſinum, vel abſceſſum, inſervit partibus à natura agglutinandis: agit expellendo humorem ex

ex ore ipſius. Efficit vinculum duntaxat, quum firmat, protegit, repellit, extenuat, implet, avertit, dirigit, conjungit, ſeparat. Firmat vinculum dentes labantes, maxillam fractam, & compoſitam: filo enim aureo inter ſe alligantur duo dentes in utroque caſu: firmat infantes, nec patitur tenera ipſorum membra depravari: firmat latera Aurigæ, manum Pugilis: firmat thoracem in tuſſi, & cordis palpitatione, arterias capitis cum dolore pulſantes: firmat tandem ea, quæ fractis, & luxatis ſuperimponuntur ad fulciendum: id quod non eſt inſervire, ſed efficere: quemadmodum & quum protegit, ut crura venatoribus; & ubi per morſum inſeritur venenum, partem, quæ juxta eſt, ne ipſum poſſit admittere. Efficit vinculum, quum repellit humorem, qui influxit, nec ſinit novum influere: quo nomine vinciuntur oculi, ne vi vomitus exprimantur: vinciuntur & crura, ubi concurſu pituitæ intumeſcunt: ſed quum repellit, ſimul etiam extenuat, ac graciles reddit eas partes, à quibus repellit. Solebant matres vinculo reddere filias graciliores, id quod *Chæreas apud Terentium* teſtatur, quum inquit: *Haud ſimilis eſt virgo virginum noſtrarum, quas matres eſſe ſtudent, demiſſis humeris, vincto pectore, ut graciles ſint.* Sed vinculum, quod implet, quamvis interdum inſerviat, veluti quum ſecanda vena eſt, ut ante diximus; interdum efficit duntaxat, veluti quum implere partem volumus, ſive ut ejus gracilitatem ſanemus, ſive ut ſuccos à contraria parte ad ipſam avertamus. Efficit etiam duntaxat vinculum illud, quod dirigit quæ perverſa ſunt: quod in unum adducit, quæ hiant: quod ſeparat, quæ nimis inter ſe conjunguntur. Multiplex igitur eſt vinculi uſus, nam præſtare hæc omnia poteſt, quæ dicta ſunt, modò rectè adminiſtretur, & ad eum finem, quem maximè res poſtulat: nam ſi erretur vel in conſilio, ad quod datur, vel in ratione dandi, tantum abeſt, ut præſtet id, quod res poſtulat, ut ſæpe contrarium efficiat, & noxam afferat non mediocrem. Nocet interdum non ſolùm, ubi non rectè injicitur, ſed etiam quocunque modo injiciatur: quædam enim vinculum reſpuunt, veluti partes admodum inflammatæ, quum ſub vinculo non modò magis doleant, ſed prohibito perſpiratu interdum incidant in gangrænam; ſi quando autem vinciri debeant, ut retineantur catapla-

ſmata, quæ adhibentur ad pus, leviter vinciantur. Hæc de vinculorum uſu in genere.

Sequitur nunc apparatus, qui pertinet ad ipſa inſtrumenta, nempe ad vincula injicienda: ſunt hæc maxima ex parte faſciæ, quamquam interdum utamur filis, interdum habenis, interdum etiam linteis. Fila tenuiora ſunt, qualia demitti ſolent in foramen acus: fiunt autem ex lino, cannabi, geniſta: interdum etiam ex auro, veluti quum dentes, aut quod vacillant, aut quod maxilla fracta ſit, inter ſe alligantur. Habenæ faſciis anguſtiores ſunt, ferè autem ſunt ex membrana, aut cortice, quibus uti ſolemus agglutinatis ad continendas fractas partes in facie, ubi compoſitæ ſunt. Linteum imponit *Hippocrates* dorſo affecto, quum ſpina icta eſt, nec poteſt homo ob vim doloris ferre faſciarum circuitum. Subjicitur igitur pro faſcia linteum, quod filis ad ventrem deligatur. Sed omiſſo filo, habena, linteo inſiſtamus in faſciis, quibus plerumque utimur non ſolùm ad medicamenta continenda, ſed ad vulnera, fracturas, luxata, ut efficiant, quæcunque præſtari à vinculis diximus. Differunt inter ſe faſciæ, materia, habitu, qualitate, quantitate: de quibus differentiis operæ pretium eſt ſigillatim tractare, ſumpto initio ab iis, quæ ad materiam pertinent. Fiunt igitur faſciæ ex pilis compactis, atque implicatis, quemadmodum nunc fit, quod filtrum appellatur, quo equites in itinere à pluvia defenduntur: faſciis ex hujuſmodi materia uti ſolebant Aurigæ ad latera firmanda: ſed magna ex parte ex tela fiunt, texuntur enim ex lana, lino, aut ſericis filis; his utimur tantum ad ſuſpendendum, nam ad vinciendum nimis adſtringunt, & ſunt maximi ſumptus. Faſciæ ex lana valent ad fracturam cum vulnere, pleræque autem fiunt ex linteis, ſunt enim ad faſciandum commodiſſimæ, ſive ad hunc uſum texantur, veluti illæ, quibus alligantur infantes, & quibus uti ſolebant venatores ad crura defendenda, ſive tela ad alium uſum texta ſcindatur in faſcias: his autem ferè nunc utimur ad morbos curandos; ſcindimus autem lintea in longitudinem rectâ ad ſtamen, nam ſic facilè ſcinduntur, quod minus cederet, ſi ubi ſubtegmen procedit, id tentaretur: adde quod in longitudinem ſciſſæ firmius contineant. Habitu etiam inter ſe faſciæ differunt, cum aliæ glomeratæ ſint, aliæ ſciſſæ;

ſæ, aliæ aſſutæ: fiunt glomeratæ ex linteo in longitudinem ſciſſo, nihilque habent aſſutæ in ſe, aut ſciſſum, cujuſmodi ſunt, quibus devincimus membra fracta: ſciſſæ conſtant ex uno linteo, quod vel extremis partibus, vel alibi ſciſſum ſit, quales ſunt, quæ dantur ad vulnera capitis in quatuor, ſex, aut octo partes diviſæ; aſſutæ componuntur ex pluribus faſciis, varia figura inter ſe junctis, cujuſmodi dantur ad mammas, ad anum. Quod attinet ad qualitatem, non debent faſciæ inter ſe differre, cum omnes aptentur leves, tenues, molles, mundæ, æquales, ſui coloris; non enim conveniunt graves, duræ, craſſæ, immundæ, infectæ, inæquales. Expedit igitur primum eſſe molles, nam duræ premunt, & dolorem faciunt, atque inflammationem concitant: ne ſint tamen ita molles, ut algæ in modum abrumpantur, ſed reſiſtant, quum attrahuntur, atque arctantur. Debent etiam eſſe leves, ne fruſtra onerent affectum locum, id quod graves faciunt. Conveniunt tenues non ſolùm, quia leves ſunt, ſed etiam quia, quum adhibentur, non aſſurgunt in magnam molem: conveniunt æquales, hoc eſt ſine ſuturis, ſine eminentiis, quæ enim prominent in telis, vel dedita opera, vel ob imperitiam textoris cauſa ſunt, cur faſciæ alia parte magis premant, alia laxiores ſint: præſtat igitur faſcias æquales eſſe, ſicut & mundas etiam, non ſolùm ut oculos delectent, ſed etiam ne ob ſordem mordeant, neve humorem, qui perfunditur, admitti non patiantur: ſint item ſui coloris, ut albæ, nam quæ alieno infectæ ſunt, ipſæ quoque humorem, qui perfunditur, minus admittunt; atque ubi purpureæ ſunt, opinionem faciunt ſanguinis fluentis. Ejuſmodi qualitates communes ſunt omnium faſciarum, ſed quod madefiant perfuſæ vino, aut inunctæ cerato liquido, non ita commune eſt omnium: ad eas enim tantum pertinet, quæ dantùr, ubi arcere inflammationem volumus, eas enim aut vino perfundimus, aut inungimus cerato, quod tenue ſit, & ita copioſum, ut ſupernatet. Propriæ autem glomeratæ faſciæ, ut monuit *Hippocrates*, poſtulant extrema dura, æqualia, diſtincta: extrema accipit tam oras in latitudinem, quam capita in longitudinem: debent utraque dura eſſe: id quod fiet, ſi benè arctetur faſcia, quum glomeratur; ſic autem tenuiores circuitus habebit, & commodius poterit obvolvi: eadem

diſtincta eſſe debent, nam ubi circuitus confuſi ſunt, atque impliciti, non poteſt faſcia eleganter circumdari: contra ſi diſtincta faſcia ſit ita, ut habeat omnes partes æquabiliter extentas, non unam ſimplicem, alteram duplicem & implicitam, elegans fieri vinctura poterit. Oportet tandem extrema æqualia eſſe, hoc eſt ſine ulla varietate ſimilia, ita, ut nulla pars durior, vel mollior ſit, latior vel anguſtior, nihil appareat eroſum, nihil prominens, nullibi ſubtegmen ſine ſtamine, aut ſtamen ſine ſubtegmine, ſed utraque perpetuò nectantur à principio ad finem. Hæc de qualitate faſciarum: reſtat quantitas, quæ non modò magnitudinem complectitur, ſed numerum quoque. Debet igitur magnitudo reſpondere magnitudini affectus, & loci, qui curatur: neque enim æqualis convenit, affectui magno, & parvo, membro grandi, & exiguo: differunt autem membra inter ſe, nam alia eſt magnitudo digiti, alia brachii, alia cruris in eodem homine: præterea in aliis alia eſt ſimilium membrorum magnitudo. Debet igitur longitudo faſciarum, quæ glomerantur, tanta eſſe, quanta ſufficiat circuitibus neceſſariis: implent faſciæ longitudinem trium, quatuor, quinque aut ſex cubitorum illius, cui alligantur, ſicut latitudinem totidem digitorum ejuſdem hominis: quanquam quibuſdam partibus aptantur admodum latæ, veluti thoraci; ſed membris convenit latitudo dicta, trium, quatuor, quinque aut ſex digitorum hominis, qui curatur: ſicque major, vel minor pro magnitudine partium. Quòd ſi membra æqualem craſſitiem haberent, commodiſſimè alligaretur faſcia, eatenus lata, quatenus poſſet tota æqualiter complecti: ſed quoniam talia non ſunt, aptior eſt anguſta, quæ rugas minime contrahat, & totius membri, cui circumdatur, ambitum contingat: compenſatur autem numero circuituum, & deductione verſus integrum locum, ſecuritas, quam aufert anguſtia. Aptetur igitur latitudo faſciæ latitudini partis: digito idonea eſt faſcia digitum lata, latiorem amant crura, quàm brachia: quæ nimis anguſta eſt, non benè continet partem: ſed ſpectare quoque vitium oportet, nam ulcera majora latiorem faſciam poſtulant, ne, ſi cingantur quaſi zonâ, doleant, comprimantur, inflammentur. Quod attinet ad numerum, tot eſſe debent, quot neceſſarium eſt ad continendum medicamenta: exempli

gratia ad continenda medicamenta in vulneribus ſufficit una faſcia, ad fracturam dantur plures: aliæ injiciuntur ante fulcimenta, aliæ poſt: ante dantur ab *Hippocrate* ternæ, una, quæ incipiens à fractura ſurſum tendit, altera, quæ à fractura ſimiliter incipiens, deorſum fertur, tertia ab imo membro per fracturam ſurſum porrigitur, & eodem loco, quo prima finitur: *Galenus* pro tertia ſecundam faſciam, rurſus, quum ad imam partem pervenit, ſurſum circumagit. Quæ autem dantur poſt fulcimenta, tot eſſe debent, ut à vitio minimè ſuperentur, ut ferulas comprimere non ſinant, ut onere non lædant, ut inclinationis cauſa non ſint, nec effœminent, quemadmodum *Hippocrates* in *Opere de officina medici* præcepit. Eſt autem perpetuum, ut, qui vinciunt, faſciis abundent, eaſque aptent unicuique affectui, aut parti, quæ maximè idoneæ videbuntur. Hujuſmodi igitur debent eſſe inſtrumenta, nempe faſciæ, in quibus vinciendi apparatum diximus conſiſtere.

At neceſſaria etiam eſt certa ratio vinciendi, ſine qua fruſtra pararentur faſciæ idoneæ; non eſt autem cujuslibet vinculum appoſitè dare, præſertim id, quod efficit: nam id, quod inſervit medicamentis continendis, non multas poſtulat animadverſiones; ſed plurimum refert, qua ratione illud ſuperdetur: nam ſi male injiciatur, tantum abeſt, ut præſtet id, ad quod adhibetur, ut ſæpe contrarium proferat effectum. Quotquot autem animadverſiones vinculum poſtulat, & quod inſervit, & quod per ſe efficit, ad duo genera referuntur ab *Hippocrate*, qui *libro ſecundo de officina medici* alias comprehendit ſub vinculo, quod injicitur, alias ſub eo, quod injectum. Quamobrem nos quoque præcepta, quæ ad rationem vinciendi pertinent, partim ſub vinculo, quod injicitur, partim ſub eo, quod injectum eſt, comprehendimus: quæcunque pertinent ad id, quod reſtat, ubi jam agere deſiit, qui deligat, ſub injecto comprehenduntur: quamvis aliqua videantur quodammodo attinere ad id, quod injicitur, ad quod jam pergimus. Ita igitur injici debet, ut tutò, celeriter, & jucundè injiciatur: tutò adhibetur, ubi juvat, & non nocet: id quod evenit, quum adſtringitur, quantum res exigit, quum incipit, circuit, deſinit, qua parte maximè convenit. Sed cum hæc quatuor, adſtrictio, principium, circuitus, finis, reſtent, proponentur à nobis

bis in iis, quæ de injecto vinculo tractabimus. Ergo ubi hæc commodè adhibentur, juvabunt, & non nocebunt. Sed quia circuitus, dum faſcia attrahitur, aliquid etiam præſtat, & non tantum, ubi jam attracta eſt, & vinculum injectum: idcirco nunc quoque de ipſa attractione agere oportet, in vinculo quod injicitur. Ergo quum attrahitur faſcia, ſecum quoque attrahit partem illam, unde adducitur: quamobrem tutò adhiberi dicetur, juvabitque, ac non nocebit, ſi attrahatur ab ea parte, in quam particula receſſit; ſic enim adducetur ad locum, unde ſejuncta eſt. Atrahere ergo faſciam oportet, vel à dextra parte in ſiniſtram, vel à ſiniſtra in dextram, prout affectus inclinationem in hanc, vel illam regionem deſiderat. Si maxilla à dextra parte affecta eſt, ducatur faſcia manu dextra; ſi ab altera, altera manu: perpetuò autem in contrariam partem inclinandum eſt, ut ſi dextra læſa ſit, in ſiniſtram; in neutram verò, ubi totum membri os tranſverſum eſt perruptum; at ubi res exigit inclinationem in alteram partem, dato capite à latere affectæ partis, reliqua faſcia in contrariam affectæ partis regionem attrahitur, ad quam ubi pervenit, multo minus inclinatur, donec in orbem circumacta, ad ſuum principium revertatur, quod manu tenebamus, cui rurſus faſciæ partem, quæ ipſum continet ſuperpoſitam valenter continemus ſic, ut iterum incipiat circuire ſuper partem violatam, ſimiliter in contrariam partem inclinata: ubi in neutram partem inclinare faſciam volumus, mediam injicimus contra plagam, & in utramque partem attrahimus. Hæc ubi ſerventur, tutò injici vinculum dicetur, juvabitque & non nocebit. Injicietur celeriter, ubi qui aget, præſtò habebit faſcias idoneas, perituſque erit hujuſmodi Chirurgiæ, neque dubitabit, qua parte principium, finis, adſtrictio, circuitus admoveri debeat: ad celeritatem confert etiam dexteritas: ille enim celeriter alligabit, qui benè utetur utraque manu, & ambabus ſimul: utraque prona, ambabus adverſis, illa autem faſcia ambabus manibus circumdatur, quæ à medio orditur: ab utraque verò invicem illa, quæ incipit ab uno capite duntaxat. Jucunditas partim in celeritate conſiſtit, partim in elegantia, partim in vitanda preſſione: celeritas enim plurimum conducit ad jucunditatem; quod celerius expeditur, jucundius eſt; quod diuturnio-

ri

ri tempore præſtatur, tædium, & moleſtiam affert: delectat elegantia, quam præ ſe fert Chirurgus, quum manus admovet, ſed maximè jucunda eſt vitatio doloris, quam adfert adſtrictio: quamobrem vitanda eſt quantum fieri poteſt, ſed cum reſtet, conſideratur in vinculo quatenus injectum eſt, quod nunc ſubjicimus.

In vinculo igitur, quod injectum eſt, duo tantum attenduntur, ſecuritas, & jucunditas: nam celeritas agendi ſpectat ad id tantum quod injicitur. Diceretur igitur vinculum tunc jucundè injectum, quod ſimplex erit, & diſtinctum; ſimplex dicitur, ubi linteum non implicitum eſt, non duplicatum, non rugoſum: diſtinctum verò, quum iterum, ac tertiò obvolvitur, ſive æquales, ſive inæquales eſſe circuitus debeant. Interdum enim ſecundus priori æqualis ad unguem eſt, ita, ut partes faſciæ in latitudinem extremæ eodem loco finiantur, neque ſuperent, neque ſuperentur, ſed in utroque circuitu deſinant non aliter, ac ſi injecta eſſet una faſcia duplicata; eademque ratio ſit tertii, & quarti circuitus: vocatur ejuſmodi vinculum orbiculare, ubi oræ faſciæ ſecundo, & tertio circumdatæ, ſic aliis inſident, ut neque excedant, neque ſuperentur. Sed circuitus diſtincti poſſunt etiam eſſe inæquales, veluti in vinculo, quod datur ad membra fracta, in quo prior faſcia ſurſum fertur, ſecunda prius deorſum, deinde ſurſum ducta deſinit eadem parte, quâ prior: id quod fieri minime poſſet, niſi, quod ſpectat ad latitudinem, ora altera alteram excedat; erit autem diſtincta faſcia, ſi tota in eadem inclinatione perſeveret, quâ à circuitu in orbem recedens orſa eſt: dicetur igitur vinculum diſtinctum, non ſolùm quod æquales habet circuitus veluti orbiculare, ſed etiam quod inæquales. Accommodantur autem ad partes æquales, & ſimiles, circuitus æquales, & ſimiles: ad partes inæquales, & diſſimiles, circuitus inæquales, & diſſimiles. Super humerum, qui ſimilis eſt, & æqualis, ſimiliter & æqualiter faſcia circumdatur: non ita æqualiter, & ſimiliter ſuper crus: minus adhuc ſuper femur, & brachium: at in capite humeri, & coxa, quæ partes diſſimiles ſunt, & inæquales, diſſimiles, & inæquales circuitus requiruntur, cum obvolvant contrarias partes. Ad jucunditatem igitur ſpectat vinculum ſimplex & diſtinctum: refertur ad eandem elegantia, quam efficit cir-

circuituum varietas quædam, affert hæc gloriam medico, expetiturque ſæpenumero ab ægrotante, in gratiam ſui vel aliorum, quibus ſui videndi copiam facit: cavendum tamen, ne vincula varia, atque elegantia onerent, ac comprimant: damnantur enim ab *Hippocrate* talia vincula non abſolutè, ſed quum dantur ſine mente, veluti quum faſciæ ob varietatem inæquales urgent, & inflammationes movent, atque abſceſſus: quæ enim ſuperdantur, ita debent alligari, ut contineant, & non comprimant: quid quod *Hippocrates* interdum utitur variis vinculis, atque elegantibus, ut Aſciâ, Simo, Rhombo, Semi-Rhombo, ad caput humeri, ad femur, ad jugulum: nam cum rectè dantur, jucunda ſunt, & non incommoda. Confert & ad jucunditatem vinculi injecti modica adſtrictio, ita, ut non comprimat, ſed cùm hæc ad ſecuritatem ſpectet, quæ eſt altera conditio injecti vinculi, monet nos, ut ipſam quoque exponamus.

Conſiſtit ſecuritas injecti vinculi in duobus, unum eſt firmitas, alterum eſt effectio illius operis, ad quod datur. Ægro vinculum tunc rectè injectum dicetur, quum ita firmum erit, ac ſtabile, ut benè contineat, quumque citra noxam præſtare id poterit, quod res poſtulat; dicitur autem firmum vinculum, quod per ſe non reſolvitur, ſed manet & fideliter continet. Adhibetur verò, vel ut inſerviat medicamentis continendis, vel ut aliquid efficiat, ut repellat, impleat, deducat, dirigat, conjungat. Comparabitur firmitas, & vis vinculi idonea adſtrictione, idonea collocatione principii, ac finis faſciæ, idoneo circuitu, de quibus ſigillatim nunc tractandum eſt, ac primum de adſtrictione, quæ moderationem quandam poſtulat: nam vinculum, quod laxius eſt, firmitate caret, citòque reſolvitur, nec ſatis efficit ſuum munus: quod nimis arctum eſt, præter moleſtiam doloris, inflammationem affert, prohibet membrum nutriri, & tabidum reddit; non ſinit ſpiritum vitalem ad ipſum ferri, ita, ut emoriatur. Vitanda igitur ſunt vincula valdè ſtricta, niſi ubi, ut pars aliqua ſine dolore ſecetur, ſenſum tollere conſultum fuerit, adſtringendumque ita, ut, quantum fieri poteſt, præſtet vinculum id, quod res poſtulat: quod ſi tantum inſervire debet continendis medicamentis, ne cadant, adſtrictio

vel

vel levis etiam ſufficit: ſin aliquid efficiendum eſt à vinculo per ſe, eatenus arctari debet, ut ſufficiat operi, ad quod datur: ſemper autem aptè inſidere debet, non tamen comprimere; illud verò ignorare non oportet, quod adſtrictio non eadem conveniat ubique, nam differunt homines ab hominibus, partes à partibus, affectus ab affectibus: robuſtiores homines magis ſine noxa adſtringuntur, quam teneri ac delicati: duriores partes majorem ſuſtinent adſtrictionem, quam molliores: magis adſtringimus jugulum, quam coſtam, aut maxillam, magis latum os ſcapularum, quam jugulum. Quod attinet ad affectus, diverſi diverſam poſtulant adſtrictionem, eamque non eodem loco omnes: quæ perverſa ſunt, eatenus adſtringi debent, ut dirigantur: quæ abſceſſerunt, ut conjungantur: ubi repellere oportet, aut exprimere, ut humor repellatur, aut exprimatur. Luxata, & fracta deſiderant vinculum adeò arctatum, ut valeat ad ea, quæ compoſita ac reſtituta ſunt, retinenda, ſed multo laxius eſſe debet, ubi illis vulnus quoque acceſſerit: impendet enim tunc magis inflammationis, & gangrænæ periculum, quæ ſub arctiori vinculo magis excitantur: quamobrem ut illæ vitentur, laxius hoc damus, comparamuſque firmitatem circuituum numerò magis, quàm adſtrictione: ſed quæ ſine ulcere fracta ſunt, aut luxata, validius adſtringimus, ea tamen moderatione, quam ſcribit *Hippocrates*, quum monet, ut homo ſe premi dicat, ubi vitium eſt, magis eo die ac nocte, quo deligatur, poſteriori minus, tertio autem ſentiat vinculum laxius, quo tempore apparere debet in extremis partibus tumor mollis, & pars, quæ ſub vinculo excepta erat, extenuata magis: quod conſpici convenit, quoties reſolvitur membrum, ut intelligamus vinculum ſatis fuiſſe adſtrictum: ſeptimo autem die in conſpectum veniant oſſa graciliora, & facilè tractentur: ubi aliquid horum abſit, vinculum non ſatis arctum fuit; ſi quid ſuperet, major juſto fuit adſtrictio, quam quum intuetur medicus, ubi rurſus alligat membrum, magis vel minus adſtringit tertio quoque die. Tempus, quo magis adſtringere convenit, eſt vel inter initia, vel poſt ſeptimum diem: nam tertio, vel quarto maximè ſolet inflammatio ſupervenire, neque convenit vinculum arctare. Locus, quem magis adſtringere oportet, eſt ille, unde magis exprimere ma-

materiam volumus, hujuſmodi eſt ſedes, ubi fractura eſt, vel luxatum; quamobrem ibi magis faſciam arctamus: at illa ſedes, quæ recipere materiam expreſſam debet, laxius alliganda eſt, ita ubi faſcia deſinit, ibi longè magis laxa, quam aliis partibus, medio autem loco inter eum, unde repellitur materia, & eum, ad quem repellitur, mediocriter arctare vinculum expedit: hiantia minus comprimuntur à parte ſana, & ſubinde magis, ita, ut maxima compreſſio ſit ad ipſas oras, quæ inter ſe committi debent. Adſtrictio igitur ea ratione adhibenda eſt, ut vinculum firmum ſit, & id præſtet, quod requiritur.

Spectat etiam ad utrumque collocatio principii ipſius faſciæ glomeratæ: efficitur principium interdum media faſcia, ut in iis, quæ in utrumque caput attrahuntur, in aliis incipit faſcia ab uno capite, quod principium dicitur: incipimus deligare à media faſcia, ubi in neutram partem inclinare vinculum debet, ſed æqualiter dari ad utramque, alioquin ab uno capite faſcia orditur: plurimum igitur intereſt, qua parte, ſive media faſcia, ſive alterum caput primò collocetur, & propter firmitatem, & propter opus à vinculo præſtandum. Majores ad firmitatem certas ſedes ſtatuerunt in ſingulis partibus, unde vinculum inciperet, ut occipitium in capite ob quamcumque cauſam affecto: alam, quum deligandum erat humeri caput: ilia, ad inguina vincienda: initium manus, ad brachium: initium pedis, ad crus: quo modo, ſi principium collocetur, comparatur firmitas. Sed reſpicere etiam oportet ad opus, quod efficiendum eſt à faſcia: nam magis exprimit inde, ubi primò ſuperinjicitur, ita ut collocandum principium ſit, unde magis expellere humorem oportet, ut in fractis, & luxatis ſuper affectam ſedem, in abſceſſibus, & fiſtulis ad fundum: ubi implenda ſit pars gracilis, ad eam ſedem, quæ ſana eſt; cavendum tamen, ne ſuper ulcus principium faſciæ ponatur: collocari enim debet hinc, vel hinc in eadem longitudine membri, non tamen in eadem latitudine.

Injecto principio conſiderare circuitum oportet, ut decorè, ac rectè injectum vinculum dici poſſit: attenditur decor in ambitu faſciarum jucundo, qualis conſpicitur in Rhombo, Thaide, Scapha, Tholo, Geranide, Auriga, atque aliis ejuſmodi vinculis: ut autem

ſit

ſit rectè injectum, circuitus ad duo ſpectare debet, ad opus ſcilicet ad quod datur, & ad firmitatem: opus multiplex eſt, quanquam ferè ſub duplici genere comprehendatur: unum quod ſeparat, & expellit, alterum quod conjungit, & impellit ad locum illum, cui faſcia poſtremò obvolvitur. Contra ſeparat & expellit ex eo loco, cui primò, & primum obvolvitur, eo igitur incumbendum eſt, quum deligamus, ut primò & plurimum obvolvamus faſciam illi loco, ex quo ſeparare, & reprimere oportet, parum & poſtremò ſuper eum, ad quem impellere volumus, atque adducere; medias partes medio modo complectamur. In ulceribus recentibus materia exprimenda ex plaga eſt ad loca vicina: quamobrem qua parte plaga eſt, ea primò, & plurimum obvolvi faſcia debet: nam ſi carnoſa pars, quæ hinc atque illinc ſana eſt, vinciatur, media non comprehenſa, ac ſine vinculo relicta maximè turgebit, minuſque erit ſui coloris: recipiens enim materiam utrinque expreſſam inflammabitur, pulſabit, onerabitur adjecto cataplaſmate: imperiti autem qui ſic alligant, ut docet *Hippocrates tertiò de fracturis libro*, ubi vident hæc mala ſupervenire, aliud quodvis infortunium cauſantur. Ubi autem conjungenda ſunt, quæ hiant, faſcia orditur à parte ſana, & paulatim proficiſcitur ad ulceratam, ſicque ab ulterioribus partibus aliquid adducit. Quæ nimis conjuncta ſunt, contrario modo alligantur: nam datur primò faſcia ſuper partem affectam, deinde paulatim adducitur ad ſanam: in ſinibus incipit à fundo, & verſus os circumdata ita juxta ipſum finitur, ut exitum relinquat humori, quem exprimit. In luxatis, diductis, perverſis ad duo intendere circuitus debet, ut urgeat ſcilicet locum, in quem os venit, & magis ſolutum relinquat illum, à quo receſſit. In fractura incipit faſcia ab affecto loco, bis terve ſuper ipſum circumdata adducitur verſus ſanum, ut influere ſanguinem prohibeat, & exprimat illum qui jam influxit. Sed cum duæ partes ſint, quæ & recipere aliquid à laborante parte, & tranſmittere ad eandem poſſint, ſuperiores, tum propter multitudinem, tum propter magnitudinem, ad utrumque magis idoneæ ſunt, quam inferiores, quæ ob contrarias conditiones exiguum quid vel tranſmittere poſſunt, vel recipere. Quamobrem *Hippocrates* duarum faſciarum, quibus ad fracturas

utitur, priore quod in laborante ſede continetur exprimit ad partes ſuperpoſitas, reponitque quicquid ex his ad illam confluit: altera verò, quæ primis quidem complexibus ad fracturam datis ad inferiores partes progreditur, ad eas quædam detrudit, & quædam prohibet, ne ex illis poſſint ad fracturam confluere: eandem ſecundam faſciam rurſus ab ima parte ſurſum adducit, ſic, ut eodem loco cum priore finiatur: quo fit, ut aliquid ad ipſum expellat, prohibeatque, ne tranſmittat. Ad firmitatem verò plurimum confert poſtremus faſciæ circuitus, qui minime obliquus convenit, ſiquidem faſcia poſtremò obvoluta, quo valentiſſimè hæreat, vagos debet circuitus continere: nam priores ambitus, ut diverſis locis affectam ſedem involvant, ſæpe neceſſe eſt obliquos duci, ſed poſtremus minimè obliquus priores continet, qui morbi cauſa obliqui ſunt adhibiti: hos itaque conſtat hoc modo contentos immobiles permanere. In crure poſtremus circuitus ſupra, vel infra genu ſervari potius ſine inclinatione debet; quod ſi vel inguen, vel humeri caput alligemus, in quibus ad contrarias partes porrigere faſciam cogimur, extremos circuitus immobiles ſimiliter ſine inclinatione ſervabimus, in orbem circa ilia faſciam dantes, quum deligamus inguina, vel ſub ala, quum humeri caput: commodè enim ab humeri capite faſcia datur ad alteram alam, & ab inguine ad alterum ilium: in crure poſtremus circuitus commodè obvolvitur, ſuper partem, quæ carnoſa prominet, ubi verò ſurſum labatur, ab inferiori parte ſuſpendetur, ubi deorſum, à ſuperiori, ut ad talos, vel ad genu. Si non ſedes contraria, qualis ab humero ad alam contrariam, vel ſi non ſit locus ſuſpendendo idoneus, qualis in crure ſub & ſupra conſpicitur, faſcia continenda eſt, ubi maximè locus æqalis eſt, ut in capite inter frontem & verticem; ubi nullo modo inclinet: quæ autem adjiciuntur ad continendam, vel ſuſpendendam faſciam, ſuperimponenda ſunt, ubi maximè corpus quieſcit, & ubi maximè cavum eſt: ſolent enim faſciis adjici quædam ad continendum, vel ſuſpendendum, ut in vinculo, quod operculum capitis appellatur, ne diducatur, anguſtior faſcia ſub mentum media injicitur, & per malas ab utraque parte attrahitur inter frontem & verticem, inde ſub mentum fertur, & ad occipitium alligatur. Suſpen-

penditur etiam, ne decidat faſcia, quæ datur ad latera, ad thoracem, ad dorſum, additis duabus faſciolis, quæ utrinque juxta humeri caput deligantur.

Finis faſciæ reſtat, qui ſive ſit alterum caput, quemadmodum, ubi ab uno tantum orditur, ſive utrumque, quemadmodum, ubi primum media ſuperdatur, duo potiſſimum poſtulat ad firmitatem, & opus efficiendum, ad quod datur, ut ſpectemus, qua ratione ſtabiliri poſſit, & qua parte debeat deſinere. Stabilitur igitur nodo, habena, filo, aut ſutura. Nodus intelligitur, quum vel utraque faſciæ capita inter ſe vinciuntur, vel alterum ſcinditur, vel habena adjicitur, cujus extrema inter ſe alligantur; ſed firmatur etiam faſcia filis ſubjectis, & inter ſe devinctis, firmatur tandem acu, & ſutura. Ubi nodus adhibetur, mollis ſit, ne comprimat, non magnus, ne oneret, & citò fieri, ac reſolvi poſſit, non parvus, ne minus ſtabilis evadat: ſervet igitur moderationem quandam, non habeat habenas dependentes, ne fruſtra aut cavendæ ſint, aut neglectæ imprudenter attrahantur, atque ita vinculum ſolvant. Vitatur nodus, quum aſſuitur extrema pars faſciæ partibus prius injectis, ſive per idem membrum ferantur, ut in cruribus, & brachiis, ſive dentur ad contrarium, ut in capite humeri, & coxa: quomodocunque autem finiatur faſcia, ſive nodum accipiat, ſive ſuatur, finiri debet ſurſum, non deorſum. Ergo ubi ſuitur acu ab inferiori parte ſurſum trajecta, extrema faſcia cum ſubjectis partibus nectitur: ſimiliter quum capita debent nodum accipere, in ſuperiori parte ipſum accipiant, non in inferiori: neque enim trahenda eſt ſuperior vinculi pars deorſum, ſed adducenda eſt inferior ſurſum, ubi deſinat. Sedes, ubi proprie finitur, non ſit, ubi ulcus eſt, ſed hinc, vel illinc: cavendum enim, ne ſuper plagam nodus, aut faſciæ caput imponatur, quamobrem hinc, vel illinc detur in eadem longitudine, non tamen in eadem latitudine. Videndum præterea, ne nodus collocetur, qua parte innitimur, qua agimus, aut qua locus inanis eſt. Pars qua agimus, eſt articulus, cui innitimur eſt planta pedis, & incubando totum dorſum, præſertim quod extat, ut capitis pars poſterior, ut nates in ſedendo. Vitetur in articulo nodus, propter motum, & mutationem vinculi; inanis autem locus, cujuſmodi eſt ſub po-

 plite,

plite, & ſub alis, non poteſt nodum fulcire, ac firmare: quamobrem alia parte collocandus eſt, ubi ſuſtineatur. Hactenus de vinciendi ratione in genere: quod ſpectat ad opus efficiendum, finiri faſcia debet eo loco, quem laxiorem eſſe volumus.

At non ſatis eſt rectè, ac decorè vinxiſſe, ſed oportet, quod vinctum eſt, opportunè ſolvere, de quo nunc tractabimus. In ſolvendo igitur potiſſimum ſpectare tempus oportet, quod propriè ad artificem pertinet, nam modus cujuslibet eſt, neque ullum poſtulat artificium; qui ſolvere neſcit, prædidat, veluti *Alexander Gordianum* illum nodum, in quo ſolvendi viam non videbat. Ut autem intelligatur tempus reſolvendo oportunum, intueri primò oportet, rectène an malè vinculum injectum fuerit: nam ſi quid in eo fuerit erratum, non eſt cunctandum in ſolutione, ſed ſtatim ſolvendum eſt, & rurſus, ut convenit, injiciendum: at ubi nihil ante erratum fuerit in deligando, debet ſervari, donec præſtet id, quod ab ipſo exſpectatur, modo interim toleretur, & non nimis laxum evadat: duo autem à vinculo requiruntur, ut ſcilicet inſerviat, vel agat, quemadmodum ante monſtravimus: inſervit, quod medicamenta continet: ſervari autem debet, quamdiu illa continenda ſunt, hoc eſt, donec ſuum opus effecerint: aliqua enim tardius, ut Diacalcytheos, quod tertio die reſolvendum eſt: aliqua celerius, veluti adurentia, exedentia, putrefacientia, atque hæc longè citius reſolvi debent; ſi quæ etiam dentur medicamenta, ut morbum ſignificent, veluti atramentum, ut oſtendat fracturam calvariæ latentem, reſolvenda ſimiliter ſunt, quum ſuum effectum præſtiterint: reſolvitur atramentum poſtridie ab *Hippocrate*, quod ſatis hoc tempore poſſit in os fractum penetrare. Relinquenda igitur ſunt medicamenta alligata, donec ſuum opus effecerint: nam ut fruſtra poſtea tenerentur alligata, ſic ante incommodè ſolverentur; impediretur enim ipſorum effectus: in quem errorem ſæpe incidunt recentiores, qui quotidiè medicamenta ferè omnia ſolvunt, ac mutant: debent autem, quæ diuturnum tempus requirunt, diutius retineri, veluti glutinantia, quæ quarto die reſolvuntur à *Galeno*, quo tempore etiam ſolvit arteriam ſectam. *Albucaſis* Arabs hydrocephalum non ſolvit, niſi quinto die poſt Chirurgiam: eſt enim periculum

lum interim, ne ſanguis effluat, ne impediatur opus medicamenti, ne lædatur plaga inſueto aëre, ubi ſæpius reſolvitur, præſertim ſi fuerit in capite. At ubi vinculum injicitur, ut aliquid agat, verbi gratia dirigat, repellat, diducat, conjungat, non prius reſolvi debet, quàm ſuum effectum præſtiterit. Verum ſive inſervire, ſive agere debeat, non ſolùm intueri oportet, an ſuum opus perfecerit, ſed an interim toleretur: multæ enim cauſæ ſunt, cur non feratur, veluti dolor, inflammatio, pruritus, ulcus, humor erumpens: nam ubi dolor fit, veluti nervis violatis, bis terve ſingulis diebus, ac noctibus ſolvere oportet, atque deligare. *Hippocrates* coſtas colliſas quotidie ſolvit veritus dolorem. Quæ inflammatione tentantur, ut ſolent fracta, luxata, vulnerata, longè ſæpius ſolvenda ſunt, quam ſi inflammatione vacarent: hac enim via & dolor quieſcit, & gangrænæ periculum, quod ex diuturniori vinculo impendet, facilè evitatur. Solvi etiam vinculum ſæpius debet, ubi ſit pruritus, ut ceſſet acri vapore exeunte, ſicque homo à moleſtia illa vindicetùr, & cutis defendatur ab ulcere, in quod tunc incidere conſuevit. Cogit tandem humor ex plaga erumpens nos vinculum citò ſolvere, nec patitur ipſum diutius ſervari: nam ſanies, quæ retinetur, deterior fit, affectum locum putrefacit, atque erodit. Quamobrem *Galenus nono libro de ſimplicium medicamentorum facultate*, quum de plumbo agit, præcipit, ut plaga, quæ multam ſaniem fundit, quotidie ſolvatur: ob eandem cauſam fractura, cui vulnus adjicitur, ſæpius reſolvenda eſt, quàm ea, in qua cutis integra ſervatur: quanquam ob dolorem, pruritum, atque inflammationem fractura ab *Hippocrate* ſæpius ſolvatur, neque continetur alligata, uſque dum totaliter ſanetur: ſed interim à principio ſolvitur tertio, quinto, ac ſeptimo die: poſt ſeptimum ex majori intervallo, ut quinto quoque die, cum minor ſuſpicio ſit doloris, atque inflammationis: poſt vigeſimum, ubi nulla ſuſpicio ſupervenerit, ſinitur vinculum deligatum, uſque dum totaliter fractura ſanetur; ubi timemus, ne quod ejuſmodi malum oriatur, medio tempore ſolvimus, ac rurſus deligamus. Sunt qui ſinunt fracturam à principio ad finem perpetuò alligatam, nunquam interim ſolventes, quod interdum benè ſuccedit; ſed tutius eſt ob pericula

 ſupe-

ſuperius expoſita imitari *Hippocratem*, qui quandoque ſolvit, perſpicereque debemus an rectè compoſitum membrum ſit, & ſi quid erratum eſt, corrigere, ac rurſus devincire: nam ſic etiam magis aptè vinculum inſidet, & fidelius continet, cum alioquin diuturnitate temporis nimium relaxetur.

Oriuntur autem ex varia deligandi ratione ſuperius poſita, multa vinculorum nomina, multæque differentiæ, de quibus agere nunc operæ pretium eſt. Ducuntur vinculorum nomina vel à parte, cui dantur, vel à ſimilitudine rerum, quas referunt, vel ab eventu, qui inde oritur. A parte nomen obtinuit Græce μετωπαῖος circuitus, qui frontem ambit, παρειὰς qui malas, γενιὰς qui mentum, ςεφανιαῖος qui coronarum modo tendit inter verticem & frontem, ὀφθαλμὸς qui oculum, ῥὶς qui naſum, βεϐων qui inguen complectitur: quæ nomina omnia Græci vinculis impoſuerunt, ſumpta à partibus, quas devinciunt. Trahuntur & alia nomina à ſimilitudine vel animalium, ut Rhombus, Semi-rhombus, Accipiter, Aries, Lepus, Teſtudo: vel aliarum rerum, ut Spica, quod vinculum ſpicam repræſentet, vel Simum, quod referat locum, ubi planities cum colle conjungitur, quem ſimum appellant, multum enim inclinat ſuo circuitu. Ejuſmodi etiam eſt Aſcia, ſic à veteribus dicta, quod repræſentet Aſciam inſtrumentum, quo fabri ligna incidunt, atque æqualia reddunt; eſt autem extrema parte modicè incurvum: Aſciæ autem vinculi circuitus non adeò inclinat, ut ſimum, ſed paulum, poniturque inter varios, quod relinquat ſpatium nudum ſine faſcia, ubi ſpectantur Rhombi varii; apparet autem lunata figura vinculum hoc, ab una parte ſimum, ab altera gibbum. Poſtremò ab eventu quoque ducuntur nomina vinculorum, unde aliud appellatur operculum, aliud cataphracta, aliud vallum, quod talia ex faſciarum ambitu conſpiciantur.

Differentiarum multa ſunt genera in vinculis, quod alia ſunt uniusſmodi, quædam varia: uniuſmodi eſt orbiculare, quod eodem modo ſemper in orbem progreditur. Varia dicuntur illa, quæ quoſdam circuitus rectos habent, quoſdam tranſverſos, quoſdam obliquos. Sub alio genere differentiarum comprehenduntur ſimplicia, & compoſita vincula: illa conſtant ex uno linteo duntaxat, hæc ex pluribus: utrorumque exempla multa habes

bes in vinculis capitis. Sub alio genere continentur illa, quæ vel certis ſedibus, vel compluribus idonea ſunt: ad certas ſedes accommodantur, veluti ad caput, linteum ſciſſum, operculum, diſcrimen, thais: ad mammas, faſcia aſſuta: ad colem, vinculum ſuſpendens. Ad multas partes accommodatur Rhombus, Aſcia, Semi-rhombus. Poſtremò aliud differentiarum genus eò ſpectat, quod alia ſunt vincula duntaxat, alia laquei ſimul, & vincula. Sunt vincula tantum illa, quæ præbent uſum inſerviendi, vel agendi ſuperius expoſitum, ut continendi medicamenta, exprimendi, repellendi, adducendi: ſed laquei ad extendendum conferunt præter uſum jam dictum. Sunt vincula duntaxat Tholus, Regium, Scapha, Diſcrimen. Vincula ſimul, & laquei, Lepus auritus, quo ſurſum trahimus caput in reponenda maxilla: Paſtoralis, quo utimur ad pedem extendendum. Pateſient autem nomina, & differentiæ propoſitæ omnes ex vinculis, quæ ad unamquamque partem proximè ſubjiciemus.

Adſcribemus igitur in unaquaque parte vincula aliquot, ex illis, quæ à *Galeno*, *Eliodoro Sorano* traduntur: ea autem potiſſimum accipiemus, quæ majoris uſus judicabimus: ad quorum exemplum licebit & nova invenire: ſi quæ autem animadverſiones propriæ deſcribuntur à ſingulis partibus, ſubinde à nobis perſcribentur, quum ad unamquamque veniemus.

Sumemus igitur initium à Capite, quod non poteſt in orbem comprimi, ut membra, quo fit, ut quum perfringitur, neceſſaria ſit ſectio oſſis ad extrahendum humorem collectum in membrana cerebri: neque enim ſub vinculis repelli poteſt, cum cervices, quæ cum capite committuntur, non patiantur circumdari faſciam in orbem, veluti in membris. Quare ſive dextram, ſive ſiniſtram partem occupet vitium, quod vinculum poſtulat, faſciam ſuper affectam ſedem primò datam rectam ducimus ad ſummum caput, inde ad extremam maxillam, tum rurſus ad affectam ſedem: id quod tertio, aut quarto agimus, dum ſatis circumdata finiatur: finitur autem in vertice, is enim locus maximè idoneus eſt, qui fideliter contineat: ubi autem media injicitur, detur primum affectæ ſedi, & utrumque caput æqualiter in contrariam attractum ducatur, ubi firmiter finiatur: poteſt

autem arctari vinculum ad repellendum ſolummodò in fronte, nam ab aiiis partibus non repellit, ſed tantum accommodatur ad tegendum, fulciendum, continenda medicamenta: ſed venio ad exempla vinculorum.

FIGURA I. eſt Linteum ſciſſum ad ſummum caput, & ei proximam regionem. Linteum juſtæ magnitudinis ſcinditur in partes ſex, & medium, qua verticem complectitur, integrum relinquitur, ex partibus verò pendentibus mediæ finduntur è regione aurium (*a*), ac ſub mentum demiſſæ nodo inter ſe vinciuntur. Quo facto altera faſciola anguſta medio occipitio injicitur (*d*), extremaque ad frontem adducuntur, & à latere capitis nodum accipiunt: quatuor verò partium, quas pendere ſinebamus, hæc ratio eſt, poſteriores (*e*) prope nodum anguſtioris faſciolæ, priores ſupra occipitium inter ſe colligantur. Licet item abſque nodo, aliis ſubjectis, aliis ſuperdatis, poſtremæ fibulam imponere.

FIG. II. eſt Linteum ſciſſum ad frontem, & partes vicinas. In quatuor partes ſcindere linteum oportet, medio intacto, ubi fronti circumdatur (*a*), prioreſque partes ſuper poſteriores, quæ dependeant ad occipitium dare (*b*), ibique inter ſe devincire: poſt hæc reliquas duas converſas in ſummo capite ligare (*c*), quæ ſub mentum etiamnum demitti poſſunt (*d*), & ibi nodum accipere. Hoc vinculo ad occipitium quoque utimur, partibus à latere capitis nodo inter ſe deligatis.

FIG. III. eſt Linteum ſciſſum ad totum caput. Linteum ſciſſum in partes octo, ita ut medium integrum ſit, donec tegere caput poſſit, toti capiti obvolvatur: tum ex pendentibus partibus duæ, juxta aures (*a*) fiſſæ, ſub mento (*b*) inter ſe deligentur, è reliquis verò binis à priori parte, quaternis à poſteriori, duæ à poſteriori extremæ (*e*) ſuper alias ducantur ad frontem, alterâ alteri ſubjectâ, ut à ſuperiori contineatur, deinde priores duæ (*d*) ferantur ad occipitium (*o*) ſic, ut æquè alteri altera inſideat: his comprehenduntur, quæ prius fuerunt circumdatæ reliquæ duæ poſteriores (*d*) ad frontem (*e*) attrahantur, altera ſimiliter alteri ſubjecta, extremæque è latere fibula injiciatur. Hæc injiciendi ratio efficit, ut caput ſine nodis involutum defendatur à tædio, quod hi comprimendo afferre plurimum ſolent.

FIG. IV. eſt Cancer ſive vinculum capitis, ſive operculum

culum ſciſſum in partes octo ad caput. Medium amplecti debet univerſum caput, ſic ut quatuor partes à fronte A. rectè dependeant, ab occipitio B. totidem: ex illis exteriores A. ad occipitium porrectæ inter ſe alligantur: ex his exteriores ſimiliter fronti circumdatæ, à latere deligentur, tum ex reliquis, quæ in fronte A. ſciſſæ partes ſunt, ad occipitium B, quæ in occipitio, ad frontem attrahantur.

FIG. V. eſt operculum ex faſciola trium capitum (*σκοτάςρα* dicitur) & ex altera, quæ hanc continet (*κάτοχος* vocatur) & tertia, quæ prohibet, ne totum vinculum diducatur, *καθολικὸς* nominatur. Pertinet ad obvolvendum univerſum caput, dicitur autem *παρασκεπάςρα*; eſt quidem *κάτοχος* faſcia longior (*c*), quæ in orbem faciei, & capiti circumdatur, ut operculum comprehendat, ſed *καθολικὸς* ex faſcia fit longa, adhibeturque eo nomine, ut diduci vinculum non ſinat; quarum hæc ratio eſt. Linteum adhibetur X. ſic latum, ut caput univerſum complectatur, longius quam ut duplicatum hoc efficiat, cujus alterum caput occipitio datur, alterum à fronte dependet: tum anguſtior faſcia (*b. c. d*) ſub mentum media injicitur, & in utramque partem per malas attrahitur inter frontem, & verticem, inde ſub mentum rurſus demittitur: poſthæc alterius anguſtioris faſciæ X. medium fronti injicitur, capitaque in orbem ad occipitium porrecta, ibi & inter ſe, & cum alterius anguſtioris faſciæ capitibus alligantur: at quod à facie pendebat in longitudinem, uſque dum ad ſupercilia ventum fuerit, dividitur in duas partes, quæ in fronte, alterâ ſuper alteram inſidente, ad ſimilitudinem literæ O in orbem ad occipitium ducuntur, atque ibi deligantur. Poteſt autem una faſcia duntaxat longior, & operculum continere, & prohibere, ne tota junctura diducatur, ad hunc modum, ſi inter frontem & verticem ordiatur, capita verò rectâ per malas ſub mentum demiſſa, ibique altero ſuper alterum excedente in ſimilitudinem literæ O, ſub imas aures ad occipitium dentur, ubi rurſus in ſpeciem literæ O, inter ſe adverſa ad frontem ducantur, & nodo à latere deligentur.

FIG. V. eſt Rhombus alter ſimplex, alter *Hippocratis*, de quo nunc aptiſſimum eſt vinculum hoc (ut quidam ſenſerunt) ad ſuturas, ubi dehiſcunt, vel (ut aliis pla-

cet) ad partium, quas vulnus diduxit, adglutinationem, atque ad emittendum humorem, eò quod comprimendi vulneris vim habeat: ſic autem circumire debet. Faſcia à latere capitis orſa, obliquè ducenda eſt ad verticem (*c*), atque alterum tempus (*b*), deinde malis utrinque circumdanda, & obliquæ parti prius obvolutæ adverſa in modum litteræ X ad occipitium demittenda, dein obliqua, ſic ut à priori circuitu diſtet per malas, porrigenda eſt ad alteras malas (*b. c. d*) ac rurſus obliqua ſurſum danda, ut bis X literam repræſentet. Quodque in medio eſt, *Rhombi* figuram accipiat; quo facto ad occipitium ferenda eſt, & fronti (*o*) in orbem injicienda, eatenus autem circumagenda, ut quæ nuda ſunt includantur.

Fig. VI. eſt *Semi-rhombus*, vel Lepus ſine auribus. Huic & illi, cui nomen eſt *Tholus*, in omnibus eadem vis eſt. Ratio adhibendi hujuſmodi eſt. Faſciæ caput occipitio injicimus, eamque ſub infimam auriculam obliquè inter frontem, & verticem (*a. b.*) ad occipitium ducimus, tum inter frontem & verticem priori parti adverſam, ac ſub infimam auriculam ad occipitium attrahimus, poſt hæc fronti circumagimus, ſic ut quod medium eſt, *ſemi-rhombi* (*c. d. e*) effigiem referat, extrema verò faſcia (*e.*) non modo in hoc, ſed in aliis quoque capitis vinculis, fibula à latere vincienda eſt. Poſſumus etiam, ſi ex uſu ſit, faſciam circumducere, non ab inferiori parte ſurſum, ſed contra.

Fig. VII. eſt Vinculum ad calvariam, vel *Scapha*, vel *Tholus*, ſeu *Dioclis*, ſeu *Glaucii*. Maximè idoneum eſt, ubi ſummum caput, & quod inter ipſum & frontem eſt, vincire convenit, hoc autem modo ipſum injicies. Orſus ab occipitio faſciam recta per verticem (*a*) duces ad frontem: ibique ſiniſtræ manus digito indice continebis, & juxta priorem partem rurſus ad occipitium (*b*) demittes: ab eoque tertio ad frontem (*c*) porriges juxta partem priorem, ubi ipſam obvolves per eum ſinum (*e*) qui à digito tenebatur: poſtremò fronti (*d. d*) circumages.

Fig. VIII. eſt Capiſtrum, quod dimidiatum, ad alteram partem ducunt. Expeditiſſimum eſt, ubi maxillam ſeu vulneratam, ſeu prolapſam, ſeu diſtenſionem oris, aliumve morbum oportet ab altera parte vincire. Faſcia

ſcia ab occipitio orſa A. obliqua per verticem, & inter ipſum & frontem per tempus ferri debet ad malas (*b*), inde ſub mento, & ima aure alterius partis ad occipitium, deinde ſub imis auribus ac mento attracta, eodem reverti (*c. d*), atque ad eandem rationem, quoties opus eſt, circuire; tunc verò commodè ita circumdatur, quum à ſuperiori parte deorſum deligandum eſt. Sin ab inferiori parte ſurſum faſcia ab occipitio incipiat, & ſub infimam auriculam, mentumque procedat, tum per malas ducatur, & obliqua inter frontem & verticem ad occipitium, dein ſub mentum circumagatur, poſtremò frontem ambiat (*e. f.*).

FIG. IX. eſt Capiſtrum ad utramque partem. Ad eos pertinet, quibus maxilla vel utrinque ſuo loco mota eſt, vel alio quopiam tenetur ex iis, quæ dicta ſunt in capiſtro ad alteram partem. Faſcia occipitio primum injecta (*a. b. c*) obliquè per verticem, & inter ipſum & frontem ad malas porrigitur, demiſſaque ſub mentum maxillam, & malas ab altera parte amplectitur, inde inter frontem & ſummum caput per partem prius injectam in ſpeciem literæ X ad occipitium revertitur (*d. e.*), & ſub imis auribus ac mento rurſus ad occipitium data noviſſimè frontem complectitur H. I.

FIG. X. eſt eadem ab inferiori parte ſurſum. Ab occipitio ordiatur, & ſub infimam auriculam, ac ſub mentum (*a*) detur ad malas, inde obliquè per ſummum caput ad occipitium tendat (*b. c*), ab eoque ſub infima auricula alterius partis, & ſub mento demittatur, tum ad malas (*d*), poſthæc obliquè inter frontem & verticem (*e*) ad occipitium ducatur, & fronti poſtea circumdetur (*f. g*).

FIG. XI. eſt ſimplex Oculus, vel tenue vinculum ocularium. Faſciam ab occipitio orſam ducimus per verticem (*a*) inter ipſum & frontem, inter ſupercilia (*b*) ad oculum, ſic ut ipſum contegat, inde ſub infimam auriculam ad occipitium (*e*), poſtremò circa frontem E.

FIG. XII. eſt duplex Oculus à ſuperiori parte ductus. Orditur ab occipitio, & per ſummum caput, atque id, quod inter ipſum & frontem eſt, inter ſupercilia fertur ad oculum (*b. c*), cum ſub infimam auriculam alterius

partis

partis ad alterum oculum, inter ſupercilia, inter frontem & verticem ad occipitium (*d. e*), poſtea circa frontem (*f. g*). Poteſt etiam, ſi ad rem magis pertineat, initio (*a*) converti, & ab inferiori parte ſurſum circumdari.

FIG. XIII. eſt Funda ad Naſum ex quatuor capitibus. Scindendum linteum eſt in partes quatuor, mediumque (*b. a. d*) integrum relinquendum, qua vincire debet imum naſum. Ex capitibus verò, quæ ſuperiora (*b. b*) ſunt, pendere deorſum oportet, inferiora (*c. c*) per genas primum ad angulos oculorum (*d. d*) temporibus propiores procedere, inde inter frontem & verticem, ad ſimilitudinem X literæ inter ſe commiſſa, à miniſtro contineri; reliqua duo ſub imas aures ad occipitium demitti, ibique literæ ZIZ ſimilitudine accepta circa frontem (*d. e. e*) agi, & latere inter ſe deligari, tum quæ a miniſtro tenebantur in occipitio deſinere.

FIG. XIV. eſt Linteum ſciſſum ad Naſum. Faſcia eatenus lata eſſe debet, ut naſum complectatur, longa verò, ut duplicata à naribus (*a. b. g. g*) ad occipitium perveniat. Orſam igitur ab occipitio recta per verticem, & inter ipſum & frontem ad medium naſum adducimus (*a*), & quod ex ipſa ſupereſt (*b*) à facie ſinimus dependere, quod rectum in duas partes ſcindimus, uſque dum ventum ſit ad ſuperius labrum: quo facto alteram faſciolam mediam (*z. e. z*) ab imo naſo orſam ſuper eam, quæ ſciſſa pendet à facie in utramque partem, ſub imas aures ad occipitium ducimus ſuper partem (*a*) primo injectam, ſic, ut ibi X literam repræſentet, miniſtroque tradimus: deinde partes ſciſſas à facie (*e. e. e*) convertimus ab utraque parte naſi inter ſupercilia, ut ibi literæ X ſimilitudine accipiant, ac per ſummum caput obliquas ad occipitium porrigimus, & cum priori capite jungimus, ſuper quas deinde capita à miniſtro contenta circa frontem attrahimus, ſic ut à latere nodo, vel fibula inter ſe vinciantur.

FIG. XV. eſt ad aures Linteum ſciſſum in quatuor partes. Medium auriculam complectatur (*a*). Ex partibus verò ſciſſis, quæ ſuper auriculam ſunt, ubi X literæ figuram acceperint, una per frontem, altera per ſummum caput, ad occipitium (*b*) porrigatur: tum quæ per frontem procedebat, qua literæ X ſimilitudo eſt, at-

tra-

trahatur, quæ per verticem ad frontem (*c*) ducatur, & à latere capitis ambæ inter ſe vinciantur: ſed partes ſubjectæ adverſæ inter ſe procedant, & altera per poſteriorem partem, altera ſub mentum detur ad occipitium (*b. c*), ibique nodum accipiant.

FIG. XVI. eſt Auris ex faſcia glomerata. Faſcia poſt læſam aurem prope occipitium orſa, per ipſam ferri debet, ut ex parte eandem includat: inde inter frontem & verticem attrahi non longè à fronte: tum per priorem partem prope alteram aurem (*d*) ac ſub mentum ad aurem affectam, deinde inter verticem & frontem ad poſteriorem partem integræ auris & ſub mentum, atque infimam auriculam ad occipitium, inde circa frontem ac rurſus ad occipitium.

FIG. XVII. eſt Linteum ſciſſum in partes, ſed ad regionem juxta aurem. Medium (*a*) ſuper locum vinciendum injicimus, ex partibus verò aliis à cervice dependentibus, aliis ſuper caput collocatis, eas, quæ à priori parte ſunt inter frontem & verticem (*b*), nodo inter ſe devincimus: medias vero (*c*) in ſummo capite & inter ſe, & cum prioribus alligamus; poſteriores (*d*) ad occipitium adductas, ut X literam referant, circa frontem agimus ſic, ut à latere capitis finiantur.

FIG. XVIII. eſt Funda ad labrum inferius ſciſſa in partes quatuor. Medium quod integrum eſt, injicio ſuper labrum inferius (*a*). Superiores verò partes ad mentum adducito (*b*), atque inde ad occipitium, ibique in ſpeciem literæ X alterâ ſuper alteram excedente ad ſummum caput, & inter ipſum & frontem attrahito miniſtroque tradito, reliquas vero binas partes ſub infimis auriculis ad occipitium porrigito, atque ad formam literæ X ad frontem attrahito (*c*), & quæ à miniſtro continebantur, inter ſe devincito.

FIG XIX. eſt eadem ad labrum ſuperius. Media ſuperius labrum complectitur (*c*), inferiores partes juxta angulos oculorum temporibus propriores adducito (*b*) inter frontem & verticem, ut ibi X literæ figuram accipiant, inde ad occipitium demittito, reliquas duas partes ſub infimas auriculas ad occipitium attrahito, ibique inter ſe adverſas circa frontem agito, & inter ſe devincito.

FIG. XX. eſt junctura ad Mentum. Faſciam ab utro-

que

que capite ſcindentes, ſic, ut medium (*a*), quo mentum comprehenditur, intactum relinquatur, inferiores quidem partes rectâ (*b. c*) per malas inter frontem & verticem porrigimus: ſuperiores (*d. e*) per mentum trunſverſas ab occipitium attrahimus, nodoque inter ſe alligamus: prodeſt autem, quibus devinciri mentum convenit.

*Ad humeri caput, cum non poſſit dari ſuper membrum, in orbe datur faſcia ad alam contrariam.*

FIG. XXI. eſt *Spica Glaucii.* Nomen invenit à ſpica, quam ſuo ambitu imitatur, maximè autem proficit, ubi jugulum fractum eſt, aut humerus excidit, ejus ratio eſt. Napſus lanæ mollis ab ea parte, quæ vincienda eſt, alæ ſubjicitur, donec iſtud cavum compleat: poſthæc faſcia glomerata, quæ longitudinem, & latitudinem habeat proportione ejus, quod alligatur, ab altera ala incipiens (*a*) obliqua per dorſum tèndit, quâ jugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur (*b. c*), inde ſub ala affecti humeri ad eam partem revertitur, qua jugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, ita ut ibi X literam repræſentet: deinceps obliquè per pectus procedit ad alam integræ partis (*d. e*), inde per dorſum obliquè ad jugulum, ita ut parti prius obvolutæ (*f. g*) aliquantulum inſideat, ab eoque ſub ala iterum datur ad jugulum, ſic ut ſecundò ſimilitudo X literæ fiat, poſtremò ad alam integræ partis (*h. i. k*) atque ad eandem rationem circumagitur.

FIG. XXII. eſt *Cuſpis* ſive *Hamus.* Binæ faſciolæ, quæ & longitudinem convenientem habeant, & duorum digitorum latitudinem non excedant, mediæ humerorum capita complexæ dependent, & tam à dorſo, quàm ab umbilico X literæ figuram accipiunt: poſt hæc fibulâ inter ſe junguntur: quo facto obvolvit *Geranis* in ſpeciem fiſcellæ.

FIG. XXIII. eſt *Auriga.* Valet ad latera deliganda, atque in hunc modum injicitur: mediâ faſciâ collum comprehendimus, capitaque obliqua per pectus (*a. a. b*) attrahimus, ibique inter ſe implicata ſub alas (*c*) adducimus ad dorſum, ibi rurſus implicamus, atque ita donec totum thoracem deligaverint, modò à poſteriori modò à priori parte implicamus, extremaque inter ſe devincimus, quo vinculo utuntur aurigæ ad latera continenda.

FIG.

FIG. XXIV. eſt aſſuta Faſcia ad Mammam. Faſciam, cujus longitudo ſit proportione hominis, duplicamus, tum initio facto a medio ejus partis, quæ duplicatur, ſuimus deorſum obliquè tendentes, deinceps omne id, quod ſuper ſuturam eſt, excidimus, ut pilei in modum ſinus fiat, qui mammam, & quod ſuper injectum eſt, capiat. Utrumque hujus faſciæ caput in duas partes ſcindimus, deinde ab altera parte ſinus, quæ contra ſuturam eſt, & veluti labrum lintei, faſciolam latam circiter digitos duos à latere ſuimus, ſic ut alterum caput longius ſit, brevius alterum, quæ faſciola cingulus dicitur. Vinciendi ratio eſt hæc: Sinus datur ad mammam, ut ipſam comprehendat, longius vero cinguli caput per dorſum attrahitur ad integram mammam, & cum breviori nodum accipit: ex capitibus ſciſſis priora duo ſurſum feruntur ad cervices, ita ut dexteriori ſiniſtrum, ſiniſteriori dextrum verſus procedat, pendereque ſinatur, quibuſcum reliqua duo capita ligantur.

## TABULA XXVIII.

### *Certiorem Venam aperiendi & Narium Hæmorrhagiam ſiſtendi methodum exhibens.*

TUtiorem & certiorem ſolito venam ſecandi hîc depingimus methodum, quæ ob trium poſteriorum digitorum apices, laterali muſculo tanquam baſi incumbentes, vix fallibilis eſt, prioribus ab omni tremoris metu liberis, & juxta arbitrium ad omnem motum paratiſſimis, quorum actio alias, cum tota digitorum moles plano innititur brachio, vix ſine trepidatione dirigitur.

1. demonſtrat Ægrum.
2. Chirurgum.
A. A. eſt Brachium ſecandum.
B. Ligaturam exhibet.
I. eſt Vena aperienda.
D. Manum Chirurgi oſtendit.
E. eſt Lanceola.
F. F. ſunt Digiti poſteriores à latere innixi muſculo, ratione cujus certior phlebotomi perficitur directio.

Quæ-

Quæcunque cautiones in phlebotomia conſiderandæ veniunt, brevi abſolvemus compendio: qui totam ejus Hiſtoriam exhaurire contendit, *Promptuarium Valerii Martinii Veneti* conſulat.

Venæſectio eſt, quâ vincit naturæ induſtriam humana ſedulitas. Non alia quavis ratione citior ab ipſo mortis limine revocatur vita. Crederes ipſam ſæpe *Æſculapii* manum admoveri. Non ulla corporis pars, non malum vel præſens, vel imminens ullum, cui non ſubveniat aut præveniat. Univerſum enim ſublevat corpus, elevatque malum. Per inciſum enim vas prorumpit ſanguis, continuataque ſerie ex omnibus elicitur. Externus obex impoſitus effuſionem moderatur: aliàs ipſa purpurea egrederetur Anima, quod Poëtæ dicitur. Nec tamen ullo modo formidabile auxilium, quod à Vena ſecta petitur. Abſit falſa periculi imago; abſit temeritas. Nec hæc, aut illa medicam intercipiat prudentiam. Certè à via ſalutari nunquam deflectendum eſt, quædam etiam vani metus ſpecies occurrat. Effunduntur quidem ſpiritus, ſed ſunt facili negotio reſarcibiles. Nec adeò à defectu illorum Animus fatiſcit. Sed quia venæ nimium inanitæ non ſufficientem advehunt Cordi ſanguinem: Hinc dexter concidit ventriculus; ſiniſter verò conſequenter, ab influente haud ita benè dilatatus ſanguine, non ſufficienter ſe conſtringit. Unde tum alteramen Animo ſenſibile ſuccedit, quia ſanguis undiquaque non expellitur. Suſpenditur ſaltem Animus, ac perplexis ſe tegit ambagibus, quod fallit inexpertos. Veruntamen adhibito moderamine & id præcaveri poteſt. Sanguinis enim effuſio occluſâ venâ ſiſtitur pro arbitrio: & in hoc ſanè præſtat Purgationi Venæſectio. Horum ergò omnium examina benè computata nullo ſuſpectum reddunt periculo hoc genus auxilii. Quin potius tantò id præſtantius eſt, quantò majora momenta complectitur. Ipſa ſalus ſæpe horribili ſubit ſpecie. Pugnandum ergò in mortis imperium, tanquam ſi Hercules ſtaret ad Tænarum. Nihil tamen inconſultò; nunquam temerè. Quare ſemper benè ruminandum.

An Vena ſecanda? Multitudinem ſanguinis demolitur Venæ ſectio: ſimplex medium plurimis deſtinatum, ac ſubveniens malis: ſoli per ſe præſtans ſuam gratiam plenitudini. Secundum abundantis ſanguinis modum magnos,

gnos, parvoſque morbos aufert multos. Ubi verò nulla ſanguinis redundantis communio, ſuperfluum eſt auxilium. Quid enim juvat nulla malorum ſemina quærere? Colliſio vetuſti certaminis, qua res ſeria ferè ad ludibrium proceſſit, nullius eſt operæ. Quemcumque fovet ſanguis morbum, propter eum is extrahendus eſt. Refrigerium, ſicubi aucupatur, caloris fonti illud vena ſecta afflat. Motum impetuoſè ruentium ac à corde impulſorum humorum ſiſtit eadem. Cor quippe dempto ſibi ſuperfluo ſanguine ab immodico ejus impulſu in partes requieſcit. Tranquillitas dein, quâ primum demulcetur cor, toto gliſcit corpore. Nec cordi, nec vaſis inordinatus demitur motus, niſi ſanguini quantitas. Ferventem reſpice lebetem culinarium: fluxum & effluxum humidi ſublata tollit portione coquus. Optimus etiam putredinis averruncus eſt phlebotomia. Quanquam & per inediam hoc excoquatur vitium: quum ſcilicet inutile exſudat per calorem cordis, & aliena procul amandantur. Sic ſæpe conſulta eſt quies, & non movere camarinam ſatius. Veruntamen in febribus omnibus vena ſciſſa utilis eſt. Hæc ſanguinem in corde accenſum refrigerat: hæc motum imminuit: per hanc fuligines melius exhalant: Interiora item pleraque mitigantur, ac deferveſcunt. Hæmorrhagiæ ipſæ ſiſtuntur. Minuuntur pravi ſucci, ut reſiduum cedat facilius medicamini. Minuuntur melius partitim, quam affatim, niſi ſummus regnet æſtus. Excretiones, antequam ſub cutim erumpant, non reſpuunt venæ tuſionem. Nulla enim ad centrum à circumferentia reductio ſanguinis eſt, ſicut nec ad circumferentiam à centro. Nec pervertitur pulcherrimus naturæ curſus in excretione: ebullitio interim humorum inhibetur. In Peſte, Peſtiferiſque morbis aliter ſeſe res habet. Damnoſam ibi phlebotomiam tot Auctorum experimentis confirmatur, ut nullus pateat contradictioni locus. Extremos tum mox numerare ſolent fata dies, niſi quid ſolaminis ab Alexipharmacis, ac robore naturæ. Nec quæ in ſanguine deliteſcit peſtilens venenoſitas patenti exit foramine: ſed per cuniculos, quibus irrepſit. Parcatur ergo huic medio, quando Medici gloriam vertit in dedecus; ſperatamque ægri ſalutem in perniciem. Sed ubicunque ſubtilitas malignitatis horrendum hoc non facit vitium, audacter utendum

ſcalpello: cum ſcilicet ſanguinem demenſum ſupergredi ſuum, ſuſpicio eſt.

Quibus vena ſecanda, reſpiciendum eſt. Temperies ſanè habitus, ætas, & alia, nullam neceſſitati remoram objiciunt. Modificant ſaltem quantitatem evacuandi ſanguinis. Cuique ſuum robur eſt, ſuas quiſque vires habet. Certo annorum numero nulla definiri poteſt ætas. Exigunt quandoque ſcalpellum & puerorum fluxa, raraque corpora, & ſenum effœta tolerantia abſolutè conjectabilis non eſt, ſed cujuſque naturam & conditionem. Nam quod uni robur eſt, aliis ut imbecillitas indicatur: quod verò in his languidum apparet, firmiſſimum eſt robur multis. Non imprægnatio, non ipſum puerperium neceſſitati præponderant. Inanis plerumque abortus formido gravidas torquet: raro fœtui contingit defectus alimoniæ. Sunt, quæ niſi vena tuſa prohibeat, abortire ſolent. Eſt in acutis morbis neceſſitas, quæ prægnanti, etiam cum fœtus periculo, extrahi ſanguinem cogit. Evitanda tamen anſa calumniandi: & ultimis menſibus cautius agendum eſt. Puerperæ ex ſuppreſſis Lochiis acutè laboranti, quid prohibet ex pede demi ſanguinem? Quin imo ſin affectus ſupra cor etiam diu poſt partum è brachio? Sed hæc fuſè ab Auctoribus. Sequitur nunc ordine mittendi ſanguinis quantitas.

Ea ut conjectetur, conferenda cum viribus morbi magnitudo. Quid nunc poſſint vires, quid in futurum debeant, deliberandum eſt. Quæ debiles ex copia humorum gravante, auxiliares has implorant manus: quæ ex reſolutione, detrectant. Conſumit ſæpe aliqualis virium dejectio morbi impetum. In deſperatis ad experimentum cum *Celſo* procedendum eſt. Nunquam tamen ad animi deliquium. Mitiganda ſunt cruda veterum imperia. Fallax ſanè hæc menſura eſt. Nonnulli una vel altera effuſa uncia protinus labaſcunt: multi viſo ſaltem ſcalpello. Sunt alii fortis animi, etſi plus juſto auferatur. Omninò tutius eſt partitis agere vicibus cum tolerantia, quàm ſemel cum periculo. Nec hic fluxionis impetus, nec coloris in ſanguine mutatio attendenda. Quicquid in altera putredinis minera reconditur, non mox exit cum ſanguine, aut exit ſub veſte ſanguinis. Anguibus etiam pulchrum verſicolore tergo datur tegmen. Nil ergo colores inſpicere juvat. Sola eſt virium tolerantia

quam

quam volumus. Rimanda hæc potiſſimum ex pulſu. Hujus conſenſu vel imperio multum vel parum ſanguinis extrahendum eſt. Quæcunque virium vivacem ſenſum comitantur circumſtantiæ, item explorandæ. Fucato nunquam inniti fundamento, aut puſillo devinci animo decet. Quando cum Chronicis longum texat natura certamen, ipſi ut par ſit diu, minus ſubtrahendum ſanguinis, & roboris. In acutis, ſi robur vitale durat, non eadem vincit religio. Morbus quippe gravis, ac magnus haud ita ſontico virium diſpendio præponderat. Semper & ubique præpollet neceſſitas. Secundum hanc & moderanda ſanguinis miſſio, & metienda quantitas. Stata lex præfigi non poteſt: Nihil enim tam ſecuris nititur radicibus, quin ipſo in agendi actu ſuccutiatur ſæpe, & evertatur. Virtus ipſa medica ad fortunæ libidinem examinatur. Unciis duodecim, aut ſedecim ſanguis emiſſus, ſumma quidem videtur emitti quantitate: iiſdem octo vel decem mediocri: quatuor vel quinque minima. Sed unciarum menſura fallere nata: nec ſemper ad earum licentiam deſcendere licet. Suaſit nuper quidam, eximendam mediam maſſæ ſanguinis partem: idque intra ſeptimum, vel decimum quartum diem in continuis febribus. Sed hoc opere mercata calamitas non placet. Gallis, Italiſque deſtinetur hic Æſculapius. Germani, quos vocant voraces, Anglique, quos carnivoros, præcipitarentur in tumulum, ipſæ Parcæ meliora decernerent. Moderamine ſanè ſemper opus eſt. Noſtro tamen phlebotomandi more non facilè peccatur exceſſu. Præterquam quod miſerrimum ſit, quod furere vulgus Medicorum ſoleat, non Jaſonis gratiâ, ſed aureæ pecudis. At horum inconſultæ formidinis turbo omnia decreta medica ſubita ſolet tempeſtate pervertere: nec tamen erat ſubſcribendum alicui indulto: & hæc crudelitas in pietatis parte ponenda.

Quando ſecanda vena, levi brevique digito percurrimus. Pendet ab urgente neceſſitate, ac tolerantia virium occaſio extrahendi ſanguinis. Principium, augmentumque morborum, quos plenitudo, aut humorum in vaſis labes continet, ſubſidium Venæ ſectæ requirunt. Nunc inſolens, tunc obſtat virium jactura: nondum cauſæ invaluêre. Defeſſa ex pugna natura tum non eſt, ſuſpiratque potius ad labores, quam quietem.

Et onere ſublevata tali excludit facilius, ac declinat morboſitatem. Status interim alienus huic medio eſt. Tunc enim natura occultis ſuſpiriis ſupplicat otio, quo caret: Furit etiam, ac ſævit ultra ſolitum morbus. In Criſi tamen, cor exſurgens, quia pellit ad emiſſoria humores attenuatos, ac ſegregatos, alia res eſt. Tum ſi obruat moles, & in opere impediat copia humorum, eximenda eſt: præſertim ubi per hæmorrhagias Criſis exſpectatur. Paroxyſmi quin & Febrium excludunt Venæ ſectionem. Declinandus anticipationis ſcopulus: nec debilitandus ultra modum æger. Ardentes tamen implacabili furore minantes ſæviora, exleges ſunt. In ipſis harum paroxyſmis mitti cum ſucceſſu ſæpe ſanguis poteſt. Quinimò, ſin primis prætermiſſa diebus venæ ſectio, etiam in ſubſequentibus admittenda eſt. Periculum ex effræni plenitudine illud, quod ex tempeſtiva evacuatione ſupergreditur. Poſthabendus ergo ruſticus timor etiam adulto morbo. Semper ſat eſt inſpicere & robur vitæ, & plenitudinem vaſorum, & imminentiam periculi. Curandi affectus quum urgent, præcavendi nondum exſiſtentes: iſtud omni tempore, hoc Vere, & ſin opus, Autumno. Verna aëris temperies vacuandi rationem ſollicitat. Autumnalis huic proxima. Moventur tum plus ſolito humores, ac ſpiritus. Quod Hyeme confluxit, Vere tollendum, ne per Æſtatem fuſum plus debito repleat. Quod Æſtate aduſtum eſt, tollendum Autumno, ne per Hyemem concreſcat, & immobilia introrepat loca. Imbecillum tamen corpus autumnali anomalià non eſt offendendum. Quid quod conſuetudo heic tyrannidem excerceat: ſemper nocet differre paratis. Omnis diei hora non inconveniens venarum tuſioni; vacuus modo ſtomachus ſit. Inanes, ac frivoli Aſtrologorum ſunt calculi. Falſum, peculiarem humorem peculiari ſui motus gaudere hora. Abſurdum id eſt cerebri ex mera barbarie conflati commentum. Nulla veræ rationis ſpecie obumbrari vel palliari poteſt. Febrium certa intervalla id non aſtruunt. Rationem harum ex peculiari humorum natura non haurienda ſuperius dedimus, nunc ergo ſuperſedemus. Protinus quin igitur ad venam ſecandam accurrere licet, requirente neceſſitate: nulla operoſa præmiſſa præparatione. Sola ſufficit primarum præcedat deliberatio viarum. Hæ

quippe

quippe, ſi ſcatent excrementis, damnum conſciſcunt. Sordes ſanè illæ relictæ irruunt venas inanitas, ſanguinemque conſpurcant. Verum hoc caſibus nil derogat repentinis: ibi ſine mora imminenti occurrendum periculo. Plenitudine verò cacochymiæ immixtâ, Venæ ſectio identidem purgationi præmittenda: quandoque tamen etiam hæc illi. Sic ollæ effervescenti vel ignis ſubtrahi, vel ſuperfluus auferri humor poteſt. Citius tamen ebullienti ſuccurrit humori detracta quantitas: purgantis ſic vires ſpatioſius exſeruntur: cor copioſo non obrutum ſucco potentius expellit.

An vena vel arteria ſecanda, perſpicuè tradatur opus eſt. Hæc enim vaſa ſanguinem complectuntur, Venæ & Arteriæ: utriſque extrahi poteſt. Diſcrimen in ſanguine nullum, quod ſpeciem concernat. In Arteriis perpetuò ſaltem alteratur motu, ac ſpiritibus copioſius affluit. Hinc floridior, calidiorque, ſubſultim iiſdem exit, motumque à corde impreſſum ſervat. Sectio interim arteriarum diſtat multùm ab illa, quæ venis infertur. Continuo illarum pulſu difficultas unioni non ſpernenda procreatur. Siniſter cordis ventriculus deficientem arteriis ſanguinem præproperè reſtituturus in opere faciliimè labaſcit. Defectus quippe hinc major cordi eſt. Reliquis quin nec partibus ſufficiens inde ſanguinis appulſus. Arteriæ ergo rariſſimè diſſecandæ. Spes ſucceſſus melioris perplexa eſt: effectuſque minus operoſa. Venæ ſectione idem haberi poteſt. Tempora ſaltem, ubi dolet caput, per diſſectas inibi arterias, largiri videntur levamen. Sanguis tum dolorificus à continuo detinetur influxu, & ſic dolere quandoque ceſſat caput. Hac ſub ſpe quiſquis operi accingitur, ſcindat arteriam ex minimis. Itaque diſcindat, ut pendulæ partes retrahantur ſubcutùm. Verùm ubi tempore mediiſque aliis dolor ſaturari potis eſt, nec implacabilis ejus furor, abſtinendum hoc opere potius. Quartanam ſiniſtræ manus Arteriotomia tolli nondum viſum fuit. Sin factum, aliunde, non hinc abſque ratione depromendus ſucceſſus. Venæ igitur meliori ſecantur auſpicio: felicioribus avibus. Non hic motus, non difficilis obſtat coalitio, nec inſueta multa, quæ circumſtant Arteriotomiam.

Quæ vena ſecanda ſit, & quodnam illarum diſcrimen. Delectum venarum motus refellit ſanguinis. Hæc vel

 illa

illa promiſcuè ſecari poteſt, modo ſatis magna. Cor quippe fons eſt communis, ex quo illi rivuli, & canales. Sanguinem hoc impellit in arterias, ex quibus abſorbetur in venas: maximam hujus partem in maximè vacuas. Pulcherrima hæc cordis diſpenſatio eſt, nullo vel conſilio, vel auxilio indigens. Meta itineris ſanguini non monſtratur: ſua ſponte ruit, ubi vacuum, & quo pellitur. Quid ergo nobis ſupra naturam ſapere expedit? Quid ſumus ingenioſiores ad auxilia, quam illa ad cauſas? Sufficiat cor medium conſtituere totius corporis. Prout infra, vel ſupra illud affectus conſiſtunt, diſpeſcantur venæ. In brachiis quæ ſunt, exhauriunt citius commodiuſque ſuperiora: in pedibus inferiora corporis. Irrequietus ille ſanguinis opifex, ac director cor in medio utriuſque inanitionis eſt particeps. Quæcunque autem in brachiis maximè apparet, ſupponatur ſcalpello. Nullum hic Baſilicæ, Cephalicæ, vel Medianæ privilegium eſt: comes modò nervus, modò arteria vitetur acie. Latus, in quo vena ſecanda, pars affecta monſtrat. Oppoſiti lateris venam ſcindere nulla jubet ratio. Vicina influunt, non remota, niſi conſequenter. Aorta diſpeſcitur in Ramum dextrum, & ſiniſtrum: ubique inveniuntur Anaſtomoſes.

Quomodo Vena ſecanda, verbo tradamus. Semper ligatura ſuperius injicienda, ubi aperiri debet Vena. Arcta quidem, quò & ſubjecta tangatur arteria. Non ſolvenda, niſi pulſus in brachio debilitetur. Terror utcunque ægri avertendus. Aliàs animus ad anguſtias redactus effuſioni ſanguinis obſtat. Nec ſubitò claudenda eſt inciſura, ne Lypothymia ſuperveniat. Sanguis quippe refrigeratus, ſpiritibuſque orbatus, cordi præproperè redditur: unde illud debilitatum fatiſcit. Hic caſus tamen ſi præter ſpem obveniat, corpus ſupinandum: ut & alia adhibenda, quæ remedio ſint. Somnus mediâ poſt V. S. horâ non nocet: præmiſſo vel Julepo vel Juſculo eſt melior. Ligaturæ tamen ſemper habenda ratio eſt. In affectibus uteri, aliiſque infra cor, venæ tali commodè ſcinduntur. Sed non ita multum ſanguinis fundunt, quia parvæ. Pes tum aquæ immittendus fervidæ, vel calefaciendus ſtuphâ: ſic venis per calorem conſpicuis plus affluit ſanguinis.

Sanguinis emiſſi judicium ſtrictim, velut omnia, demus.

mus. Impetuoſè quicunque fluit ſanguis copiam ſui, ac cor robuſtum denotat. In manus ſuſcepti fervor Febrim portendit. Mox vel tardè concreſcens, tenuitatem, vel ſui craſſitiem in apricum profert. Qui ſtillat, debile ſui principium, debilem frontem, infirmumque inſinuat cor. Tribus autem admiſſus pelvibus meliuſculè dignoſcitur. Qui in vitio eſt, non primò exire, nec ultimò, ſed promiſcuè ſolet. Qua data porta ruit, ac turbulentum machinatur exitum. In ſecunda, vel tertia pelvi melior, ac prima, non ob id excluſum vitium omne ſignificat. Remanſiſſe poteſt vitioſus, ac deliteſcere alicubi, vel vagari vaſis. Commiſtio quippe humorum nonniſi in corde eſt. Concreſcit ille, qui moderatum beneficium coctionis habuit. Non ille, qui nimis tum attenuatus, tum calefactus in Febri potiſſimum ardente: nec qui nimium ſeroſus in Menſtruatis ac Ebrioſis: quorum ille magnum, hic nullum periculum portendit. Sic & mala ventriculi coctio, totiuſve depravata nutritio concreſcendi vim ſanguini demunt. Hinc facilis horum malorum conjectura. In concreto conſpiciuntur ſanguine ſerum, rubrum quid, & nigricans. Serum, quod ſanguini vehiculum præſtat, copioſè ſupernatans, pravæ coctionis eſt indicium. Parva ſin adeſt copia, fervor intus abſorpſit, aut pelvis extus imbibit. Quod rubrum, quod nigricans apparet in ſangine, colorem aëri debet. Mutuatus ergo color extraneus nihil ſignificat, & à quovis invertente tolli atque mutari poteſt. Craſſus, & viſcoſus obſtructionibus eſt obnoxius. Craſſus tamen melior eſt tenui. Friabilis ex putredine nullus eſt, quî enim venas exiret? Bullæ comparentes ad latera floccifaciendæ: in medio verò pelvis rubicundæ fervorem in corpore aperiunt: quo denſiores, eo majorem: quæ candidæ, lentorem ſanguinis produnt. Cruſta quandoque alba viſitur in ſuperficie, aut alia viſcoſa tunica. Non hæc corruptela bilis, ſed malè coquentis ventriculi ſoboles eſt. Hunc ergo affici, hunc vitium pati infallibiliter probat. Variegato quando colore tum viridi, tum flavo comparet, corruptelam ſanguinis ulteriorem innuit. Deberi autem hæc portenta Chyloſi depravatæ primariò, facillimè enucleari poteſt. Tranſit Chylus lacteas, commiſcetur ſanguini in vaſis, & elaboratur à corde pro

 modu-

modulo. Sin ita adulteratus, ut eludat cordis obſequium, remanet invincibilis in venis, haſque dat corruptionis notas. Quum vena pedis in aqua calida diſſecta fuit, ſuccus commiſcetur aquæ. Hâc poſt horam effuſâ, in fundo candidum quid, inſtar lanæ carminatæ, invenire eſt. Ea vera eſt ſubſtantia ſanguinis fibroſa: Sola, quæ partes inſtaurat, ac nutrit. Reliquus ad nutriendum inhabilis eſt ſanguis, niſi in has faceſſat fibras. In bove ſanè demortuo, effluentibus ſpiritibus, in carnem effunditur, eamque eſui ineptam reddit. Hæ, quas diximus, fibræ variant boni ſanguinis notas. Si non candidiuſculæ, ſed rubræ, ſed virides inveniantur, concretionem impediri arguunt. Sin gryſeo ſtent colore, coctionem: ubi planè deſunt, emaciationis manifeſtum ingerunt prodigium. Et ſic humor quantitate peccans fuit.

*Altera pars Tabulæ* Methodum ſiſtendi narium hæmorrhagiam exhibet.

FIG. I. Operationem depingit.
A. eſt Patiens.
B. Chirurgi manus.
C. Fiſtula, quæ naribus immittitur.
D. Syringa, per quam frigida trajicitur.
FIG. II. eſt ipſa Fiſtula ſyringæ vel folli annexa.
*o. o.* eſt pertuſa lamina.
*a. a. a.* ſunt aquæ erumpentis radii.
*S.* eſt cochlea, quâ fiſtula ſyringæ connectitur.

Nos ſanguinis fluxum uſu hujus fiſtulæ ſic cohibemus: fiſtula adnectitur folli, quo inflatur pila pugillatoria: folliſque per fiſtulæ foraminula repletur aquâ, quæ deinde cum impetu exprimitur in patientis nares, quo peracto ſtatim ceſſat hæmorrhagia: tum quia aquæ frigiditas ſanguinem fluentem longè repellit: tum quia ex vehementi aquæ impulſione patientes adeò inhorreſcunt, ut ſanguis ad imas partes derepentè retrahatur.

# Tabula XXIX.

## *De Laryngotomia & tribus Inſtrumentis ad dolores ſedandos.*

Laryngotomiam breviter à *Sculteto* deſcriptam in *Tabulæ* XXXII. *Fig.* III. IV. V. *Armament. Chirurg.* hîc obſervationibus *Monavi Guichwicii* locupletare placuit, ad formidinem in caſibus neceſſariis ex practicantium animis excutiendam.

In *prima parte Tabulæ* eſt
A. Ægrotus.
B. Sectio prior cutis.
C. C. Sectio poſterior gutturis.
D. Bronchotomum.
E. Cannula curva.
F. F. ejus Ligaculum.
G. Larynx.
H. Ligaculum Colli.
I. Acus cum filo.

I. „ Mortuus in carcere quiſpiam, deprehendebatur
„ craſſum quendam linteaminis nodum, cui annulus e-
„ rat impactus, deglutiiſſe, inde ſtrangulatus.

Impeditâ nimirum hoc obſtaculo aëris viâ, compreſſam ob epiglottidem, calore cordis non refrigerato ſpiritus ſuffocante, mors ſubſecuta eſt.

Quale fatum & Catus ille *Patavinus* ſubiiſſe cenſendus eſt, qui ante mediam adhuc horam prandens, prorſuſque ſanus, ſubitò ab exitu mortuus concidebat: calenſque adhuc ſectus nodum funis grandem, pinguedinis fortè alicujus illicio nimis avidè deglutitum, in aperto ſtomacho geſtabat.

II. „ In judicio nimis ſeveriter examinatus quadrage-
„ narius alius, ac quieti jam remiſſus, subitò ſupra ſto-
„ ream, judicibus attonitis, mortuus erat. Gulâ ex-
„ ploratâ, cum totius faciei rubore, & evidenti
„ gutturis tumore, elatius ſupra claviculas pectus appa-
„ ruit."

Evidentibus omnibus præcipitis apoplexiæ notis. Col-

lectis ſcilicet carceris tempore plurimorum humorum cumulis, imaginatione ad clarum lumen è tenebris educti eos feriente; qui uno impetu cuncti in guttur delabentes, arterias carotides & nervos recurrentes oppreſſerunt, mutuo ſpirituum commercio ſic impedito.

III. „ Audierat puer quidam annorum quatuordecim, „ non fore noxæ deglutitum aurum. Venditis igitur re„ culis, lucratus novem ſibi ſcutatos Iberos, ne quis for„ tè cleperet, linteamini involvit, ac deglutiit. Pharyn„ gis autem anguſtiis non benè faſciculum capientibus, „ citò deformis & aſpectu horribilis evaſit, ob intume„ ſcentiam & oris nigrorem."

Cum nec detrudi ſic nec extrahi moles quiret, Bronchotomia illicò tentata eſt. Quâ factâ, ſtatim ſe recollegit, tam impetuoſa ab aëris per plagam & ingreſſi & egreſſi vehementia, ut adſtantes etiam paverent, facieique livor & tumor, immiſſà cannâ plumbeâ abſceſſit, cadente in ventriculum bolo, qui poſt octiduum cum alvina fæce diverſis vicibus excretus eſt, auro omni prorſus indemni.

Communis tam ſimilaribus quam organicis partibus ordo ultimus conſtituendus venit.

Quam enim ex magno magiſtro inculcatam audimus ξύμπνοιαν καὶ ξύῤῥοιαν μίαν, utriſque etiam illis competit, vel unionis & juncturæ ope. Etiam heic obtinente Philoſophi trito verbo; diviſionem eſſe ad interitum viam, impedita evidenter actione per fracturas, ulcera, vulnera.

Cui rei evidenter faciet fidem narratiuncula ſubſequens.

IV. „ Puella nimirum, ſeu famula annorum forſitan „ quinque & viginti, devolvens portam ædium infernam, „ pro heri è periculo accurrentis introïtu, quem inſe„ quentes ſclopetorum glandibus petebant, unâ earum „ tacta eſt, indeque fracta larynx, & ejus imprimis car„ tilago thyroides fuit, ejuſque lateris ſuperior pars „ tracheæ, gutture fiſſo & colli muſculis, confringendo „ angulum quoque dextræ homoplatæ inferiorem: glan„ de ſub cute cum plumbeis aliquot granulis reſtite, un„ de exquiſitus muſculorum & membranarum vicinarum „ dolor oriebatur."

Inciſione per Chirurgum ibi facta, & extractis cor-

pori-

poribus noxiis, contraria inſuper inciſio addita, excrementorum vulneris expurgandorum gratia. Tumore autem & inflammatione tanta à vulnere obortis, ut ſuffocatio ſine dubio illicò fuiſſet ſubſecuta, niſi in arteriam aſperam canalis ſtatim plumbeus immiſſus fuiſſet, quo via reſpirationi facta eſt; qui inibi etiam, dum ceſſarent hæc ſymptomata (id quod intra hebdomades tres vix fiebat) relinquebatur.

Quo tempore fracta hæc membra, Thyroides inprimis, à ſuperiore parte quaſi ſeparata, prorſus excidere velle videbantur, dum ligarentur: quæ tamen dextrè & cum ſucceſſu reſtituta ſunt, ægra ſanata quidem, ſed ultra biennium poſtea adeò ſibilabat, ut loquens non audiretur, niſi ejus ori & labris audientis aure prorſus admota: quod tamen malum inde, ubi illa ab admiſſo marito imprægnata eſſet, à partu prorſus evanuit, voce cum loquela integerrimè redeuntibus.

Quæ accidentalis privatio vocis ei oborta haud dubiè ob læſos ſextæ & ſeptimæ conjugationis nervos fuit, induratos & obſtructos partim concuſſione ictus animales ſpiritus terrentis, ut in locum iterum ſuum ii recipere ſe nequirent: partim etiam ob eorum ſubſtantiam inflammatione exſiccatam.

Uxor autem facta, ſub pariendi tempus, gutture per Nixiam inflato, remollitiſque nervis, viam recepit animalis ſpiritus, cujus penè fuerat oblitus, eaque vi legitima naturæ reſtituta actio fuit.

Prorſus, ut Principi Arauſionenſi guſtus totus adeò ſublatus eſt, ut inter edendum & bibendum nihil quicquam ſaporum perciperet, toto reliquo vitæ tempore, ex vulnere in gutture accepto, læſo omninò tertii conjugii pari.

V. „ Videbatur Atrienſi cuidam regio inciſum guttur:
„ eo tamen faſciis ligato, ſublatis à vulnere ſanguinis
„ grumis aceto & aquæ tepidæ ope; inventa eſt jugula-
„ ris ſiniſtra parum inciſa, unde ſanguis ſtillabat; aſpe-
„ ra arteria tranſverſim (quantumvis non prorſus) dupli-
„ ci quoque loco ſecta; nimirum tam propè cricoidem,
„ quam ad duos pollices infra eandem. Vulnus ſuperius
„ ejus erat magnitudinis, ut trachea non niſi poſtica par-
„ te communi ſuo ligamento hæreret, inferius autem
„ vulnus nonniſi anteriore ejuſdem arteriæ aſperæ parte

„ inſi-

„ inſidebat. Oeſophagus verò infectus erat ad ipſam „ uſque medietatem in ſiniſtro latere ; ut non aër tan- „ tum, ſed omnia eſculenta & potulenta egrederentur: „ ac fluxu ſanguinis urgente, difficillima videbatur medi- „ catio, quæ tamen hoc pacto ſucceſſit.

Ligata ante omnia vena jugularis eſt ſupernè & infernè ad vulnus, retento exterius nodo ſupra compreſſam & prenſatam corporis cutem, ſanguine mox ſubſiſtente. Acceptis deinde œſophagi vulnerati labris, & bellè conſutis, plaga tracheæ ſuperiore uno ſolùm puncto conſuta eſt, parte ſui media pariter atque interiore. Cæterum plaga inferior ad ſanationem uſque inflammationis, & ſuppurationem tumoris vetuit in ſuperno gutture, ut cannula plumbea aëris recipiendi cauſa emittenda eſſet. Cannulâ autem remotâ, ut vulnus conſolidaretur, adducta ejus labra ſunt, & continuatis punctis conſuta, perſeverantibus interim medicamentis collecticis, balſamis, unguentis, linimentis, faſciiſque admotis tam retentivis quam compreſſivis, cum decenti victus ratione, æger intra ſeptimanas ſex ſanatus eſt, longè poſt mortuus. Semeſtri tantum ſpatio vocem admodum ſubmiſſam & gracilem ac veluti rauculam fundens, poſthac integerè reſtitutus eſt.

VI. „ Inſuper & adoleſcens vulneribus viginti, ut „ characteribus cauteriatus quiſpiam (jocante Eraſmo „ noſtro) Samius, per enſes, cultros inciſorios inſignitus, in capite, facie, gutture, manibus, brachiis, „ pectore, dorſo, pudendis, ac natibus, nihil ferè in- „ tactum flebili ſpectaculo exhibebat, pleriſque omni- „ bus jam conclamatus.

Tentata tamen ejus cura hunc in modum fuit. Situlâ mediâ calefactâ miſturâ vini & aquæ ablueretur, juſſum eſt: Veſtes undique ob elapſum cruorem viſcidum compactæ, & grumoſo ſanguine planè repletæ, detractæ ſunt: quæ non infeliciter ei ſanguinis fluxum ſtiterant. Supra menſam illi extento lota decenter facies fuit, animadverſo confeſtim ſpumante ſpiritu, certo vitæ indicio: naſus conſutus, frons, ac reliquæ capitis partes faſciis obvolutæ ſunt: pariter cum reliquis deformatis partibus conſuendo & medicando actum eſt, à ſeptima matutina ad primam uſque pomeridianam, geminum adeò per trihorium, opere ſatis fervente.

Circa

Circa verò veſperam deprehenſum eſt, quod ventulo ſuo, ob læſum guttur, & congeſtum ſanguinem deſtitueretur, unde guttur tumefactum eum neci facilè eſſet traditurum, aëre deficiente. Incisâ tracheâ uno vulnuſculo (ſub ea ſtatim arteria, quæ ſupra laryngem eſt) duos inter annulos; illicò reſpiravit, liberè ductâ animâ, & aër ingreſſus eſt ac egreſſus non ſine ſtertore. Vulnus hoc apertum turundâ cannulatâ ſervatum eſt, uſque dum pharyngis plaga detumuiſſet: ſanato & hoc feliciter intra trimeſtre ægro, ſuturis, faſciis, balſamis applicitis: cum bonæ diætæ juſculis, colaturis, pulticulis, gelatinis neutiquam prætermiſſis.

Tam verò nobilis operationis ſive neceſſitas ſive utilitas recto quo conſtet talo; crure ſane utroque, quo tota medici conſiſtere dicitur nobilitas, ratione & experientiâ, ſuffulta eſt.

Experientiam luculentam nobis Veterum veneranda præbet auctoritas: è gente tam *Græca*, unde præter *Galenum l. Introd. c.* 13. & *Æginetam loco allegato* produximus: quam *Maura*, cui ſe debet præter *Filium Zoaris tract.* 10. *l.* 1. *c.* 14. atque *Albucaſim*, de ancilla cameraria ſuperius citatum, ipſum *Sinæ filium* poſtea citandum, ut & *Halyabbam* & *Meſuem* hoc loco ſicco pede præterimus.

A quibus nihil in diverſum abeunt recentioris ævi honoratiſſimi viri: magnus ille, utriuſque Phœbi decor, *Dalechampius*, *Cauliacenſis*, uterque *Fabritius* tam *Aquapendens* quàm *Hildanus*, & protervus illius æmulus, veruſque diſcipulus *Julius Caſſerius*; quorum vitula poſthac alii arant longè forſitan ab eo exercitio remoti, quod ne ipſe quidem ſummus artifex, immane quantum heic à ſolertiſſimis Gallorum noſtrorum Chirurgis ſuperatus, unquam adminiſtravit *Aquapendens*. Ultra quam, non ubique certè ſtultorum magiſtram, quod vulgari dicunt cavillo, en rationum tibi quoque cumulum.

Quas ſane initio ab illa deducentes, juvantia à quibus ut & lædentibus valida depromimus argumenta, auctorem magnum præceptorem ſequimur, utinam adſequamur, *Galenum*, idque luculenta illa, quæ ſuperius legiſti, exempla edocuerunt.

Solerter autem, nihil quicquam *Galenicum* illud, *ἀσφαλῶς* oblitus, rem primò in brutis *Avenzoar* tentavit: poſt

poſt & plena felicitate in famula cubicularia expertus fuit *Albucaſis*.

Id ipſum quoque analogicæ docent operationes, dum vel in dyſuria catheteres veſicali fundo dextrè immittimus, vel filum etiam ingenioſiſſimi *Sanctorii* aureum homocentricum, exoptatiſſimo urinæ eductu: vel in bubonocele, ubi inteſtino in ſcrotum delapſo, inciſis hypogaſtrii tam communibus quam propriis partibus, ſtrangulatum & intortum illud ſedi ſuæ reponimus, ut χύλωσις jam liberè pergat, aliàs miſericordiæ pleno affectu (unde & nomen vulgò ei inditur) ileo, illicò ſubituro.

Rectiſſimè igitur à Clyſtotomia & Bubonotomia ad Laryngotomiam (non ita aptè dictam) vel Bronchotomiam nobis argumentantibus quis obicem poſuerit?

Inſuper & loci ſecandi nulla nos prohibet incommoditas, cum nulla partium primariarum huic adjiciat, quæ metuenda ſit.

Extremis autem malis quum extrema etiam non deneganda ſint remedia; ſubitò certè omnem ſpiritum interclufuræ cynanchæ extemplo hac ope ſuccurrendum eſt.

Neque quiſquam porrò tam ſocors eſt, qui tam ſolidæ experientiæ remedium certæ deſperationi, quæ nullum Æſculapii genium redolet, non voluerit prælatum.

Quæque metuere heic vel maxime queas, inflammationem, aërem frigidulum, cum aliis fortè accidentibus, facilè evitari poſſunt. Illam nullo etiam negotio vel prohibemus vel averruncamus: iſtum verò adeò mulcemus præparando & alterando, ut nullâ moleſtiâ pulmones imparatior feriat, tantum abeſt, ut aliorum ſymptomatum auctor exſiſtat.

Quibus ita conſtitutis, vel irreprehenſibilem collectionem, certam inventæ veritatis nolam τὴν τῶν ἀπορȣμένων λύσιν, cum divino Sopho, eſſe judicamus.

Neque rem melius quam eorum diſcuſſu, quæ obſtare aut objici poſſe videntur, accurataque diſſolutione in conſpectum deducemus: ſicuti ſanè perplexari non nemini placet.

Principiò autem magna nos pompa iſto feriunt argumento, eodemque planè, quo & nos pede ſibi ſtare nonnulli videntur. Experiamur age cum iis partim ratio-

tionis ferro, partim auctoritatis plumbo nobiſcum decernere pugnâ tam animoſâ geſtientibus.

Parti non afflictæ afflictionem addere, & morbum morbo cumulare, inconveniens iis videtur: novum ſanguinis fluxum, doloremque ſpecioſè, ſed in vanum, exaggerantibus: cum nihil in arte novi habeat (febriculâ etiam per eam ſæpiculè magno conſilio excitatâ) malum magnum minore auferri, & morbos morbis quæri, ut cuneum cuneo trudere aſſolent.

Immò inciſa cartilago, pars ſicca & frigida è ſpermaticarum ingenio non renaſcetur ſemel ſecta: unde fiſtulam promptè excitari putant, malum priori forteam etiam deterius. Quinimò verò inquam: cartilaginem nunquam, ſed ſpatium duntaxat, quod intercurrit, & annulos interjacet, qui pulmonum etiam bronchos conſtituunt, hac operatione dividimus: at iſtud ſpatium poſt extractam turundam, & adductas in propinquitatem ac contiguitatem iterum cartilagines, ad invicem facillimè ſuis medicaminibus conſolidatur.

Sed ſpecioſiores adhuc inſtando eſſe malunt, cæſim læſis vaſis, ſtatim hæmorrhagias periculoſiſſimas, imò convulſiones, ſicque mortem ipſam accelerari, cauſſantes. At iniquos, dicente magno Stoico, divinorum munerum æſtimatores; hujus ferè rei gratia denudaſſe eam gutturis partem, divina providentia deprehenditur, loco ſectionis ipſiſſimo & unico, quo nihil vel venæ jugulares, vel arteriæ carotides ſuarum propaginum ſpargunt: inſuper & nervi, à gutturis tantum latere conſpiciuntur, nec inter operandum tanguntur.

Nondum cauſâ cecidiſſe tamen ſe putant, ubi vociferantur; non adeò laborandum reſpirationis cauſa eſſe, in cynancha præſertim extrema, ægris adeò invalidis & defectis, omniqe fermè naturali calore exhauſtis, ut de tranſpiratione potius (velut in hyſtericis) quam reſpiratione, cujus illa valeat eſſe vicaria, ſollicitos nos eſſe, æquum videatur.

Verum neque heic diverſarum iſtarum affectionum indolem ſatis attendunt. Angina enim ſpiritus reſolvit, & hominem, ob calorem naturalem non ventilatum neque à fuliginoſis excrementis cordis expurgatum, jugulat; matrix autem præfocatu non defectu ſpirituum laborat, quum illi ſanè vaporibus hyſtericis miſti ſint, unde volun-

luntarius inde motus ſublatus eſt. Ut planè ab angulo ad angelum, & à baculo ad jaculum colligere, ita argutantes videantur.

Neque ſcopo ſuffecturam, ſi vel maximè tentes, eam operationem rentur: cum angina non difficultatem tantum ſpirandi, cui ea opitulari laborat, ſed imprimis deglutiendi quoque ſecum ferat impedimentum, unde nutrimento ſubtracto, vitam nec ipſam durare poſſe, clarum ſit. At reſpirationem, ajo, tu modò expedias illi, quem cynanche jam jam jugulatura eſt, ne ad momentum quidem ſine ea victuro; cui promptè reſpiranti, ſi vel aliquot dies eſurire coactus eſſet, alimentis liquidis variis modis proſpiciemus, atque per ea ſatis opis allaturi ſumus, quem jejunia dum emaciant, lentam mortem non tam inferunt, quam intentant.

Mira iis videtur medicatio agricolis, ſi medicamenta extra morbi locum applicantur, malo ipſo intacto. Quas inanes bullas non flarent iſti penſi habentes, tantam eſſe quandoque ſymptomatum violentiam, ut vel rupta methodo quavis neceſſitate, iis ſuccurratur cauſæ naturam indutis, quantumvis quà talibus nullam curatelam debeamus. Neque id agentes, vel operati potius, morbum poſtea deſerimus, ſed omnes ejus Indicationes plenè ſoliciteque unà expedimus.

Ac rem tandem confectam rati, obtendunt; à trachea neque panis micam, ſive aquæ guttulam ſine offenſione admitti, eamve à tuſſi non prius ceſſare, donec ea omnia talia ejecerit: per cannulam autem turundam ei intolerabilem fore, tantæ etiam craſſitiei, intruſam. Verùm tuſſim provenire norint, non tam ex exquiſito ſenſu, quam laryngis obſtructione, quæ liberum aëris tranſitum intercipit. Idque accuratè pernorint; neque putent, nos admodum ferire, quod idolum illud σφαλερὸν, dicente ſapientiſſimo Coo, experientiæ nobis obtendant, ſolis auctorum inconſideratis quibuſdam placitis ſuperſtructum.

*Aurelianum* enim & *Aretæum l. 6. c. 7.* ex antiquis fruſtra obmurmurant, quibus Boja magis quam Medicus penes etiam vulgum audit, qui diſſectæ gulæ humanæ poſtulari à quoquam poteſt. At bonis viris ſua ſatis laude & pace conſtante; dies diei ſequentis magiſter evadit, dum vir viro ſuccedit, ubi mali ſucceſſus timor nihil

hil prævaricari poteſt vel debet, præſenti uſu tam ſecurè & gloriosè nunc temporum triumphante.

Iſtæ verò ſequenti omninò abſolvere ſeſe ogdoace valebunt.

Quibus hoc remedii genus deſtinetur, initio quærere ſi placeat, illos tibi nominamus, qui, aêris per laryngem ingreſſu impedito, jam jam ſuffocari videntur, ex Cynancha apprimè, ſive tumore humorali, in arytænoidis muſculis internis ſive clauſoribus contento: vel eos etiam, qui aliquid deglutierunt, quod laryngem comprimendo obturare valet; ut Lutetiæ cuidam oſſiculum coxæ vervecinæ inhianti, ad inevitabilem ſtatim mortem acciderat.

Viribus igitur adhuc conſtantibus, res hæc peragitur, ut jam agonizantes, ad mortem cruenti, apoplectici, peripneumonicique reapſe nobis ſe ſubducant.

Quis vero adminiſtrationi huic ſufficiat, præter Chirurgum doctum & rationalem, rerum Anatomicarum probè peritum, legitimarum Indicationum intelligentem? quibus viris occidentales Europæ noſtræ regiones, ac nobiliſſimæ cumprimis Galliæ abundant: non garrulum barbitonſorem aliquem, quod hominum genus quovis indocto plerumque rudius, quovis avaro iniquius, quovis audaculo confidentius, quovis Thraſone arrogantius & tumidius eſt; facilè vas inſigne aliquod, cum præſentaneæ mortis metu, quod illis quoties etiam in tralaticiis venarum ſectionibus uſu venit, inciſurum.

Ac planè *Fabritium* aliquem nobis optaremus, paria omninò cum illis gentibus fauſtiſſimo ſidere facturum, neque indignus eſt, qui eadem quoque de re videatur, primus Patavinæ Cathedræ Chirurgus *Fallopius*.

Locum autem nonnihil controverſum auctorum nobis vellet facere diſſenſus.

*Sinæ* ſanè *Filium fen.* 9. *l.* 3. *c.* 11. ſi audiamus, *Gargamele* nobis nominatur, vel etiam *Cane*, quæ propriè aſpera arteria eſt, ſub larynge ſita: illa vero Epiglottis, laryngi ſuperimpoſitum operculum. Sed quam ineptè ſic futura ſit operatio, ei ſatis patebit, qui malum inferius hærere perpenderit, quod ſic nullo pacto juvaretur. Ut taceam, ad eam partem tale quid operari, etiam eſſe impoſſibile.

Hinc aliis nimirum non ſupra ſed infra laryngem, adeoque non in epiglottide, laborandum cenſetur: ut *Albucaſi* quidem, & *Guidonis* commentatori viſum eſt *l.* 34. *p.* 169.

Confuſè etiam & indiſtinctè quiſpiam regiorum Chirurgorum non minimus per varias jam linguas docet, quibus utile ſanè interpretamentum eum accommodavit, dum *gutturis nodum* nominat, qui ipſiſſimus omninò larynx eſt, fiſtulæ gutturalis capitulum & apex ſive cyma, ubi hanc certè operationem admittere non poſſumus.

Aſpera autem arteria ſola iſti ſe operi offert, & multa quidem loca oſtendit huic operationi apta. Unde & heic operatores variant, dum alii inter primum & ſecundum annulum, alii inter tertium & quartum incidunt. Qualiter operantem feliciſſimum *Hildanum* lubenter admittimus, cum ita larynx admodum ſecurus maneat & intactus. Quamvis pinguiorum ea potiſſimè ſit, graciliorum & macilentiorum prior, colli etiam hic longioris, ibi brevioris ratio omninò veniat habenda.

Certè quicquid ſit, locus patens & pleniſſimè apertus deligi debet, cui circumjacentium nihil obſtet, minimè omnium toto in gutture periculoſus: qualis omninò fuerit ad gemini pollicis latitudinem à larynge remotus.

Tempus, in quo quæque agere, rerum omnium juxta *Comici* (cujus reconditam ſapientiam de judicio maximi *Joſ. Scaligeri*, etiam doctiſſimorum pauci aſſecuti ſunt) monitum videtur primum, & ipſum accuratè attendendum eſt, tam ante, quam poſt ſectionem, profectò ſuffocatione imminente, nil quicquam procraſtinemur.

Factâ autem inciſione (perforationis vox, fateor, heic non placet) vulneri patulo quidam triduum, alii pluſculum conſtituunt: quod non ita ſtrictè habendum cenſuero, ut præcipitantiâ illâ prævertamus durantium adhuc ſymptomatum ſævitiam. Nam fruſtra toto conatu fuerimus, niſi omnis ſua laryngi actio plenè fuerit reſtituta, omniaque præter naturam obvenientia ceſſarint accidentia: ac nominatim poſt ſublatum tumorem & inflammationem, liberè jam aëre ingre-

gradiente, de gutturis vulnere conſolidando cogitare par eſt.

Quomodo verò rem expedire liceat, potiſſimum figura & quantitas inflictæ plagæ poterunt edocere.

Figurari autem inciſuram hiatus ad inſtar naſalis, vult non contemnendus à Græcis auctor *Ægineta.* Quæ ſanè ratio, quia magnitudine ſatis differre poterat, rem omninò diſtinctius & ſtudioſius conſiderare expedit.

Id quod Inſtrumentum rectè & exquiſitè præparatum ſatis dextrè effecturum eſt: Bronchotomiſtes puta (ſive Bronchotomum potius) ſtylo illi, quo litteras perfindimus, ſimillimus. Vel gladiolus etiam, aut lanceola phlebotomica (caveſis intelligere Phlebotomum Teutonicorum populorum ac Sarmatarum) linteolo mundè & concinnè indita, ut forma plagæ, quam nonniſi tranſverſam eſſe convenit, propter cartilaginum interſtitium, quantitate non ſuperet tranſverſum pollicem: aut pro turundæ, quæ huc accommodanda erit, craſſitie & magnitudine.

Turundam igitur, ſive rectius Cannulam, auream argenteamve, aut etiam plumbeam, ejus convenit eſſe magnitudinis, ut in gutturis cavitatem immitti, & ab ea capi valeat. Quam proinde paululum incurvatam, aliàs planam, concavam, ac teretem eſſe decet; exteriusque capitellum velut habere, oram extimam ſat largulam foramini cyclice circumſpargentem; ne forſitan in vulnus decidere queat: quin ſupra illud firmiter figatur & hæreat beneficio apprimè duarum faſciarum & ligaculorum; quæ ei lateraliter alligari, & collo circumdari, ad nuchamque conſtringi debent. Longitudinem verò eam ejus eſſe oportet, quâ in arteriæ cavitatem penetrare valeat; ne quid oppoſitum membri parietem contingat, unde intolerabilis ſanè, ſingulari induſtria heic vitanda, tuſſis eſſet ſequutura.

Neque circa ſecturæ modum inter ejus adminiſtros pauca oborta lis eſt.

Dicto enim prius loco placet *Paulo*, tranſverſam pellis inciſionem fieri exactam adeò, ut ſubjectum duarum cartilaginum interſtitium præciſè tangat. *Antyllo* etiam ſuaſore, hamulo prenſata cutis (permoleſto ſanè dolore) elevetur, & ſic trachea incidatur poſt iſtam. At *Guidonius commentator l. 4. p.* 169. quandam velut paracen-

teſin attentat, cavetque ne cutis ſuperficies aſperæ arteriæ illam quicquam attingat, ſed ab invicem aliquantulum iſtæ diſtent apparentiæ. Quod utrumque commodè admodum fieri videtur.

Veruntamen duo foramina ſitu differentia moliri non videtur quoque modo quadrare, uti nec inciſionem tranſverſam parilemque arteriæ ipſius fieri.

Quocirca conſtantibus ægro adhuc, pro ſuſtinenda hac medicatione manuali, viribus; totius apparatûs hunc eſſe Chirurgis Gallicis uſitatum tenorem, omnium erit conſultiſſimum. Nempe opus tandem aggredimur ipſum, & medicamentis ſolis non ſufficientibus, rem ferro, jubente præceptore prudentiſſimo, experimur. Sub ea autem ſic procedimus.

Ægrum talem ut nunc, ſellæ duos pedes altæ inſidere jubemus; retrò adſtante miniſtro, cujus pectori admovendum ægri occiput eſt, elevato, quantum potes, mento: præteritis etiam multis ſignationum atratarum crucibus, quas Gallicæ promptitudinis non fert celeritas. Hic miniſter utraque manu colli cutem ſubtus laryngem prenſat, plicamque inter manum utramque efformat ita tranſverſam, ut inter tenentis digitos ea (plica) ad pollicis craſſitiem pateat: moxque ſectu novaculæ, ſcalpelli, aut forficis etiam ipſiſſima fit inciſio; quæ ſanè jam prior eſt, incidendo, rectâ. Semotis à ſecta pelle miniſtri digitis, ſectio in ea pollicis longitudinem æquans apparebit, in cujus medio ſector aut digitis ſuis, aliquo intruſo linteolo, cutim inciſam magis dilatat, ut exactè ſubjacens appareat guttur tranſverſè incidendum. Apparentibus autem tracheæ cartilaginibus, expeditè dextra manu bronchotomum infligat, intra duos earum annulos operator. Quo facto, aëre per vulnus exeunte, cannulatam turundam ei ſtatim immittere opus erit: remque ritè ſic adminiſtratam dicemus.

Poſt verò eam dextrè ita geſtam, ſanando iterum intenti ſumus vulneri, ſuffocationis omni jam periculo ſublato, ne fortè ob nimis validam aëris agitationem, aut nimiam turundæ in vulnere moram, fortè & applicatorum medicamentorum virtutem, ejus labra nimis induruerint. Ubi omninò renovanda forent eadem; oras vulneris gladiolo poſtliminiò refricare & emungere convenit, ſeparatis & diſtentis ab invicem cutis labris, de-

nuò

nuò ad ſe retractis, & prius adhuc duabus quoque cartilaginibus arte ſibi iterum adductis, inciſura prorſus connivente, tumque cutis vel punctu continuo, vel ſeparato etiam & interſtincto conſuenda venit.

In quo iterum opere non omnes conveniunt artifices. Reperias quibus gemina, una muſculorum, altera cutis ſutura non arrideat. Si cui tamen magis probetur, acum labris infixam relinqui, & filo tantum circumducto ſtringi ac intorto, neque id prorſus abnuendum eſt. Acum autem chalybeam potiſſimum ſeligimus, ſi fortaſſe, fortunâ gregem nondum ſupplente, ut canebat *Parthenias*, auream argenteamve nanciſci non liceat, quam tamen utramque illi, cum ſic aurigantis ſortis proventu & ipſo, facilè prætulerimus, ad eum nempe prorſus modum, qui aut in colobomate, aut labro leporino, ut *in pictura* exhibemus, peritis rerum iſtarum Chirurgis uſitatus eſt.

In *ſecunda parte Tabulæ* demonſtrantur tria Inſtrumenta ad dolores ſedandos.

*Primum* eſt fiſtula, quæ adnectitur folli, de qua mentionem fecimus *quæſt.* 104. follisque per fiſtulam pertuſam aquâ, vel ſi mavis lacte actu frigido repletur, quod deinde cum impetu in partem dolentem ſi exprimatur, horum confluxus, & hæmorrhagia ſupprimitur, cauſa eſt, & quia frigida procul à parte dolente repellunt; & quia ob ſubitam, & improviſam frigidæ aſperſionem præcipuè in narium hæmorrhagia patientes adeò extimeſcunt, ut ſanguis ad imas partes è veſtigio retrahatur.

*Secundum Inſtrumentum* eſt veſica aquâ frigidâ repleta, quâ in maximis doloribus tunc utimur, quanda anodyna digerentia, ſeu veluti emplaſtica prius applicita non contulerint. Uſus conſiſtit in hoc, ut partem dolore vexatam cum veſica, ut *in Icone*, velociter tangamus, & ſine mora illicò illam amoveamus, quod bis & ter fieri poterit: tunc dolores magnâ ægri, & adſtantium admiratione confeſtim ſedantur. Cauſam reddit *Hippocr.* 5. *aphoriſm.* 21. dicens: in diſtenſione in juvene carnoſo æſtate media frigidæ perfuſionem calorem revocare, & ſanare: noſtra verò veſica frigidâ referta idem commodius, & ſine ullo detrimento præſtabit: qui commodius revocabit calorem, & ſine detrimento ſanabit. Dicimus commodius, & ſine detrimento; quia partes

 dolen-

dolentes frigidæ perfuſione madefiunt, & non ita facilè exſiccantur, quod incommodum noſtra veſica non affert. Deinde humiditas actualis, quæ à veſica non relinquitur in parte dolente, non leve infert detrimentum: accedit, quod partibus læſis humiditas actualis eſt valdè inſalubris & incommoda.

*Tertium* eſt vas, foraminibus innumeris pertuſum, paratu facile quidem, in quod lac, vel olea Anodyna infunduntur, ac per vaſis foraminula, magni & aſſidui imbris inſtar, ſuper partem dolentem decidunt, unde dolor ſtatim mitigatur; cujus mitigationis ratio eſt, quia in unum concurrunt omnia Anodyna. Primum eſt lac, quod ex *Galeno* eſt anodynum veluti emplaſticum; ſecundum eſt oleum, quod eſt anodynum digerens; tertium eſt effuſio frequens, ſubita, & copioſa, quæ inſervit pro anodyno avertente; quartum, ſi per foraminula ſuper partem dolentem decident anodyna actu frigida, illa inſervient pro anodyno ſtupefaciente. Inſtrumentum medium B. in cujus medio ſtillantia anodyna recipiuntur, plus minuſve conſtringi, vel dilatari poteſt, prout pars dolore affecta eſt magis, vel minus anguſta.

# MEDICO-CHIRURGICÆ OBSERVATIONES

## OBSERVATIO I.

### *De mirabili ſeminum per alvum excretione.*

POlydædala microcoſmi phænomena olim divinum *Platonem* non immeritò in hæc rapuerunt verba: quibus vix perſcrutabilem corporis humani fabricam τῶν θαυμάτων τὸ θαῦμα exclamat, quippe hæc vix ſexpedali circumferentia plura quam univerſa mundi machina immenſo complectitur ambitu, quæ Literati ingenio magis mirari quam aſſequi valent. Quapropter omni ævo magni artis Proceres extiterunt, qui ſemetipſos aliis magis quam ſibi natos judicantes, obvios naturæ rariores caſus prælo conſecrarunt, ut poſteri juxta eorum monumenta, ac Palinuri lineas, curſum ſuum in rarioribus praxeos caſibus dirigerent, haud ſecus ac olim anxii Græci ab Apolline oracula extorquebant. Majorum exemplo non piget in ipſo limine inauditam de multiplici ſeminum per alvum excluſione Hiſtoriam proferre, de qua tot miracula, quot ſemina ſe vidiſſe teſtatur in literis ad me datis excellentiſſimus *Joannes Patin*, modernus Medicorum apud Gallos Coryphæus, his verbis: *Sic enim fruſtra tempus terendo te fatigans nihil promoveo, ſed ignoſcas quæſo mihi, ægri de piis omnibus benè meritiſſimi levamen potius in hoc conſideranti, quam cui loquebar advertenti, quare plura non addens ad gratitudinem me converto, ſummaſque de munuſculo omnibus fortunæ opibus anteponendo, grates perſolvo, illud certè præ facti novitate tot admiratores, quot ſpectatores, in poſterum eſt habiturum, proindeque tunc ſuo momento, tunc largitoris apud me pondere mihi ſemper acceptiſſimum fore polliceor.* Si Chirurgiæ limites tranſcendam, caſus raritas, quæ alioquin forſan ſilentio inareſceret, facilè mihi veniam apud æquos rerum æſtimatores dabit.

*Anna Vos*, annoſa virgo Deo ſacra, ſoror celebris vernaculi noſtri poëtæ *Joannis Vos*, macilento corporis habitu, in calore excedens, novercalibus uteri affectibus paſſim obnoxia, incidit in acutam febrim continuam 29 Julii 1669. ad quam vocatus ſigna, ſymptomata & hemitritææ febris deprehendo typum, cui luctæ uterus ſuam immiſcebat tyrannidem. Hanc ægram legitimo remediorum uſu ab hac furia, cui olim Quirites, teſte *Æliano*, ſacra faciebant, duplicis ſeptimanæ ſpatio liberatam diæteticis tradebam ſubſidiis, quibus paulatim reſtaurata vires quidem indies colligebat, ſed naturâ novum errorem priore pejorem concipiebat. Nam in ipſo diætæ exordio in iſchuriam, lumborum torturâ gravatam, incidit, poſt tridui luctam revocatus moram efficaciſſimis tum pharmacis, tum topicis corrigere ſatago; ſed incaſſum & irritus omnis noſter erat labor in ſeptimam uſque diem, quapropter placuit ſeniorem Collegam *Michaëlem Bono*, inter Luſitanos celebrem Practicum, in conſilium vocare, quod ipſe ob horam veſpertinam in craſtinum differebat mane. Dum ipſius ſuffragia colligere haud licuit, *Hippocratem* conſulo. *Cum quis omnia recta ratione facit, neque tamen pro ratione ſuccedit, non eſt ad aliud progrediendum, ſi manet, quod ab initio viſum eſt. Sect.* 2. *aphor.* 52. Quapropter, ut olim illuſtris *Muſa* in Cæſare *Auguſto* tuſſiente in bechicis, multis licet reluctantibus, perſiſtebat, diureticam itero potiunculam, poſt cujus uſum copioſa ſubſequebatur urina, attamen parum levaminis, quoad doloroſam anxietatem, quod aliam tam pertinacis ſymptomatis cauſam ſuſpicandi & inquirendi anſam præbuit; dum ſignorum examini me accingo, urina cum innatantibus ſubnigris foliaceis laminis ſe prodit, quæ prima facie parum fidei apud me merebantur, ac ſi matula in externo aëre hæc recepiſſet folia; unde matulam & vaſcula probè cuſtodiendi & muniendi provinciam injunximus cuſtodibus, ut certus forem, num hæc foliacea corpuſcula cum urina excernerentur, an extrinſecus admiſcerentur. Clinica dictis obediens ſingulis mane offerebat urinam dicta corpuſcula continentem, quorum judicium mihi ſanè difficilè erat, ad quod facilitandum obſervatores conſulo, in quibus, quamvis varia urinæ prodigia nihil analogi cum hac urinæ ſpecie exſtabat, interea doloroſa anxietas,

quamvis urina liberè flueret, increſcebat. Conſideratis igitur conſiderandis inteſtinalem ſuſpicabar calculum, in quem finem à me, in diureticorum & detergentium uſu perſiſtendum judicante, *terebinthinata* cum *ſale ſuccini* propinabatur potio.

Quâ quater animoſè abſorptâ, bis cum croci granis decem, miſeriæ finem aſſequebatur ægra: tanta enim fiebat naturæ perturbatio per alvum & veſicam cum clangore, ut dormientes in infima domo è ſomno excitaret. Quod mihi domum vix intranti ab hoſpite nuntiabatur, dum ad ægram aſcenderem, circumſtantium quilibet cum ſtupore portentoſam hanc inteſtinorum exploſionem referebat, arenam albam & mucoſum filamentum acus inſtar in ureteribus induratum & efformatum oſtendendo. Hæc omnia obſervatu & admiratione digna non explebant exſpectationem noſtram, quia calculum inteſtinalem animo conceperamus, quapropter alvi fæces examinandas, ægræ quietem & juſculum imperavimus. Veſperi, dum patientis appropinquarem lecto, binas pateras ſeminibus ſemiplenas in menſa conſpiciebam: mulier clinica à me de ægrotantis ſtatu interrogata de his ſeminibus poſtulabat judicium, cum pro præſentaneo calculi antidoto oblatum foret. Hoc viſo ſemine hærebam dubius, aſt animadverſis circumſtantium ſuſurris, ſuſpicabar hæc in alvi fæcibus inventa, quod dum pronunciarem, rem acu tetigiſſe narrabant, & mox horum excretorum ſeminum cauſam, magicamve an naturalem, expiſcabantur. Hujus exactum ex tempore dare reſponſum haud promptus eram, ſed animis rerum naturalium imperitis facilè quidpiam imponebam. Quæ ſemina, à Collega *Godefrido Bloemaert*, Ultrajecti terræ, proprio vaſe collectæ, mandata lolium, burſam paſtoris & naſturtium produxerunt. Verum caſum raritas & quæſtionis gravitas me in altius trahebant examen, unde experientiſſimos *Gerardum Blaſium* & *Michaëlem Bono* in conſilium vocabam, qui viſo ſemine, ægra ac examinatis cuſtodibus portentoſæ hujus excretionis cauſa, æquè laborabant. Verum, dum reverendus Pater *Jacobus Huyſman*, Ordinis St. Franciſci Religioſus & hic miſſionarius, vir ſinceritate & pietate nulli ſecundus, ſub cujus regimine ſpiritualem ducebat vitam, apud me inſtaret, utrum hæc prodigioſa excretio naturæ limites excederet, judi-

cium à ſagacioribus Philoſophiæ & Medicinæ Proceribus extorſi, quorum aliquot hic interſerere non inconſultum videtur, in quibus argumenta, quæ opinionem de poſſibilitate naturæ probabilem reddunt, vel improbabilem, rationis lance æſtimet lector.

*Clariſſime & Experientiſſime Vir.*

CORpuſcula illa, ſemina ſtirpium cortice & medullâ referentia, quæ ad me miſiſti, & ex alvo ſororis *Joannis Voſſii*, Poëtæ Belgici, excreta per ſeceſſum dicis, ſuſpicor ore fuiſſe ſumta, & deinde ano cum fæcibus evacuata. Si verò ore aſſumpta non fuerint: nullam cauſam video, quare non naturaliter talia corpuſcula, ſemina ſtirpium referentia, in corpore humano ex certa particularum inſenſibilium diſpoſitione generari poſſint. Si enim in inteſtinis lumbrici teretes, faſciales, cucurbitini, aſcarides, aliique, & in exterioribus corporis partibus pediculi, pulices, & acari; in quibus omnibus multò majus naturæ artificium, quam in his corpuſculis ſeminis ſtirpium ſimilibus conſpicitur, in corpore humano gigni queant: certè multo facilius hæc corpuſula à te ad me miſſa ibi generantur; cum multo minori naturæ artificio confecta appareant. Magnas tibi ago gratias pro dedicatione ſolidæ tuæ refutationis, pleuritidis ſine phlebotomia curandæ, quam etiam mihi nuper conſecraſti. Vale & amare perge.

*Ultrajecti 15, 25 Auguſti 1660.*

*Omni officio & affectu tuum*

*Henricum Regium.*

*Experientiſſime D. Doctor.*

SEcundam jam tuam legi Epiſtolam, de raris caſibus à te propoſitis, ſed ut verum fatear, ego nullam iis fidem habeo, quippe admodum perverſi ſunt nonnulli homines, qui ex monſtroſa aliqua re nomen, atque aliorum de ſe admirationem conquirere volentes, quaſlibet impoſturas excogitant, ut miri aliquid facere

vi-

videantur. Ego hujuſmodi fictas incantationes non ſemel ſanatas vidi. Leidæ meo tempore puellus quidam parvulus continuò acus & aciculas cacabat, imo à matre ſua in ſedili ſuo pertuſo, præſentibus prætore & ſcabinis, depoſitus talia excernebat: anus quædam ruſtica de faſcinatione hac accuſata, atque etiam in carcerem conjecta eſt. Sed ubi Magiſtratus infantem à matre ſua ſemovit, & ſeorſum in curia ſervari juſſit, talia amplius non cacavit: mater minis increpata fallaciam ſuam, & odium in prædictam anum confeſſa, ac publice virgis cæſa & urbe ejecta fuit. Ante aliquot annos hic Ultrajecti in curia puellum juſſu Magiſtratus inviſi, qui oſſicula, ungues pedum equorum, fragmenta pannorum laneorum, conglomeratos capillos muliebres, aliaque ſimilia alvo excludebat: à parentibus etiam mulier aliqua de faſcino fuit accuſata. Magiſtratus meo conſilio puellum per duas circiter ſeptimanas, à matre ſeparatum in curia ſervari juſſit, quo toto tempore nihil ſimile cacavit: erupit fraus, & parentes privatim in curia virgis cæſi ſunt. Ante paucos annos puellus quidam lateres coctos multos cum urina excernebat, quod pro miraculo habebatur magno: conſilium dedi Magiſtratui, ut puellum aliquandiu à parentibus ſeparatum in curia alerent; quo facto, fraus innotuit. Multa denique alia hujuſmodi incantamenta meo conſilio fuerunt ſanata. Atque ſic etiam facile crederem, ſi illi ſeminum mictores & cacatores, de quibus ſcribis, à Magiſtratu detinerentur ſemoti ab aliis hominibus & à ſuis etiam veſtibus, in quibus talia ſemina occultata ſervare poſſent, illa miracula citiſſimè evaneſcerent; certè nugæ ſunt, mille hujuſmodi vidi fallacias, quibus aliis imponere imprimis ſtudent mulieres, & nonnulli etiam melancholici, ut mirabiles videantur apud alios, noli unquam credere, illud reverâ contingere, quod tibi & multis aliis perſuadetur. Interim tamen incantamenta diabolica ita non rejicio, ut illa nunquam contingere putem: certè ego ipſemet talia aliquoties vidi; ſed illorum admodum doloroſi & horrendi effectus, longè differunt ab hujuſmodi levi aliqua rerum alienarum evacuatione. Verum etſi de dictis caſibus hoc meum ſit judicium, ex multijuga experientia depromptum, tu tamen de iis ſentire potes, quod voles, hoc unum nihilominus rogo, ut in tali-

talibus non facilè cuilibet credas, neque facilè incantamentis talia adſcribas, alioquin millies decipieris. Porrò te Deo opt. max. commendans, manebo ſemper.

*Ultrajecti 16 Augu-ſti, ſtilo loci 1660.*

*Tuus in omnibus*

*J. Diemerbroek.*

*Clariſſime Domine.*

QUartanario mihi à te commendato libentiſſimè ſuccurriſſem, ſi pulveris Peruviani mihi tantillum ſuperfuiſſet. Intellexi hunc Amſtelodami pretio divendi, an verum ſit, ignoro; decreveram inquirere ab illo, qui ſe doſin Amſtelodamo acceptam dixerat, ut locum & hominem deſignare dignaretur, à quo etiam nobis comparare poſſemus; at quoniam abſens eſt, nec rediturus ante finem vacantiarum, tenebimur ipſius adventum exſpectare.

„ Ad ſemina illa ab ægra excreta quod ſpectat, ſi Me-„ gacoſmus in ſe contineat animalia, vegetabilia, & mi-„ neralia, cur Microcoſmus triplici hac Monarchiâ de-„ ſtitueretur? Si lapides & animalia procreentur in corpo-„ re humano, cur non etiam ſemina & frutices ibidem „ produci poſſent? Res inſolita nos rapit in admirationem, quouſque de facto aliquantiſper dubitamus; ubi verò abundè nobis conſtat, rem ſic ſe habere, rationem inveſtigamus, quâ perceptâ ceſſat admiratio. Proinde ſi de facto minus dubitet D. V. rationem ejus facilius aſſequeretur, quam alius quiſpiam, cui rei certitudo non æquè innotuit. Quærit, an caſus naturæ vim ſuperet? Arbitramur quod non; ſed non ſcribit, quo temporis intervallo duarum librarum quantitas excreta ſit, quæ circumſtantia poſſet rem magis vel minus credibilem reddere. Itaque difficile ac tædioſum mihi foret indagare cauſam prædicti caſus, cujus circumſtantiæ mihi non innoteſcunt, nec enim addit, quis hic frutex ſit, quem ex prædicto ſemine proveniſſe ſcribit, nec etiam ad cujus plantæ ſpeciem ſaltem reduci poſſit, inſinuat. Exiſtimo præterea D. V. non ignorare, quanta ſit mulierculárum fallacia, quæ toties Medicis ac peritioribus Theo-

logis-

logis impoſuit; edoctus ſum per caſum illum mirabilem Anni 1649. continuantem uſque ad Annum 1651. ſummâ vigilantiâ ac rigore examinatum, confirmatum & approbatum, quanta requiratur induſtria & cautela in proferendo judicio, quo minus aliquando per vafras fœminarum technas decipiamur, & tandem exiſtimationis noſtræ detrimentum patiamur. Caſus hic notabilis eſt filiæ cujuſdam in Beginaſio degentis, quæ ſub regimine noſtro ſpatio unius anni cum dimidio mira & portentoſa excrevit; ſcilicet lumbricos terreſtres, erucas, lacertas vivas & mortuas, ranarum coxas, aſcarides, quas domi meæ vivas pyxidi incluſas detinui per 30 dies, & 4 lacertas pluribus Medicis & Chirurgis conſpectas; omitto plura non animata ab eadem filia excreta; poſtmodum etiam ſanguinem per oculorum angulos, idque ſæpius, etiam excretionem urinæ ſpatio 24. horarum ad quantitatem 60 ℔. & amplius. Quorum omnium à curam animarum habentibus facta eſt diligens inquiſitio, & à nobis de die in diem plurium menſium ſpatio facta annotatio, cujus etiam cauſa plurimæ ſunt controverſiæ inter Theologos; quorum illi ad cauſas ſupernaturales recurrerunt, hi verò reclamarunt; quæ opinionum diſſidia per plures annos manſerunt indeterminata. Hujus caſus Hiſtoriam inter chartas & annotata mea etiamnum reſervo. His vale. *Delphis* 3 *Auguſti* 1661.

*Cl. D. V. Obſequio paratiſſimus*

*Rolandus Sturmius.*

*Clariſſime Domine.*

PAucis ab hinc diebus accepi gratiſſimas tuas, ex quibus intellexi Hiſtoriam iſtius Fanatici, qui ut Medicorum judicia exploraret, tanto diſcrimini ac incommodo ſeipſum ſubjecit. Exemplum ſanè ſtatuit audacioribus, ut diſcant Juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Ad caſum virginis quod attinet, perpenſis, quas nunc tranſmittis, circumſtantiis, conſideratione dignus eſt, Zizaniæ, Naſturtii aquatici, & Burſæ Paſtoris, prout & aliarum agreſtium ſpontè naſcentium herbarum ſemina,

na, dubitari poſſet in terræ gremio, cui mandata ſunt, prius delituiſſe; ſed quod addis, hæc ſemina fuiſſe permixta fæcibus ſecundum inteſtinorum figuram, ſatis videtur arguere eadem per alvum fuiſſe excreta; quod autem excreta ac terræ mandata germinaverint, etiam rationi conſonum videtur, cùm non ſolùm comperiamus ceraſorum nucleos à pueris devoratos in arbores excreſcere, & uvarum acinos deglutitos ac poſtmodum excretos novellos producere, ſed etiam melonum ſemina multaque alia ab hominibus tranſmiſſa; quia & fabas, avenam, hordeum, aliaque ſimilia à jumentis comeſta in plantas abire quotidiè videre licet, & quanquam objici poſſet, hæc ſemina fuiſſe ſparſa per incuriam ab iis, qui victum porrigunt, quædam tamen fuiſſe ingeſta, egeſta, ac indigeſta, patet non modò ex pecudum & jumentorum, verùm & ex hominum ſtercoribus, quando oleribus, paſſulis, uvis corynthiacis, aliiſque mollioribus referti ſunt; ſi ergo molliora conſpiciuntur indigeſta, cur non & ea, quæ duro veſtiuntur cortice, qualia ſunt ſemina? nullus itaque dubito, quin plurima poſſint ingeri ac rurſus egeri indigeſta, maximè à voracibus.

Sed major difficultas eſt in quantitate excretorum ſeminum, quomodo ſcilicet tanta copia ſpatio 14 dierum excerni potuerit, cum non recordetur filia, ſe unquam integra ſemina devoraſſe, ultra quantitatem digitalis, idque ſemel; quod equidem miror, attamen cum non ignoret D. Tua, non poſſe fieri multiplicationem ſeminum abſque productione plantarum & fructuum, aut inſcia aliquando ſumpſit hujuſmodi ſemina, aut non omnia, quæ fæcibus permixta apparuerunt, vera fuerunt ſemina; aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri. Niſi fortè, ut recte conjicis, à Medicis prius in potionibus exhibita fuerint; nam etiamſi raró præſcribantur in pulveribus & conſervis ſemina integra, interdum tamen contingit, hæc eadem offerri, præcipue ſi minuta ſint; nam ſi devorentur baccæ Lauri, grana Juniperi, Piperis, aliaque majora, cur non facilius & majori copia ingeri poſſint minora? Memini conſilio noſtro fuiſſe præſcripta abſinthii ſemina ſingulis matutinis cum vini cyatho haurienda, non prius macerata, ut amaritiem vitarent, qui abſinthiacum ſaporem averſantur; ſunt qui ſemen leviſtici mulierculis præſcribunt, alii bardanæ ſemen, alii alia

lia porrigunt, qui geniſtæ ſemen in potu ſumunt, idem poſtridiè facili negotio per alvum excernunt, & qui fructus alkekengi comederit, velit nolit eorum ſemina per inferiora reddet; adeò dura ſunt ac contumacia, ut ferè dentium aciem eludant, & ventriculi fermentum reſpuant.

Fruſtulum corticis Peruviani mihi tranſmiſſum contuli cum alio vero & genuino fruſtulo, quod eo fine mihi reſervavi, colore, odore & ſapore quidem accedit, ſed non exactè convenit; confido tamen eſſe eundem, ac ſicut verum Cinnamomum aliud alio acutius & melius eſt, ita hic cortex quamvis verus alterum præcellit, meum fruſtum, ut colore magis fulvo, ita ſapore pollet vivaciori, quod fortè vetuſtati tribuendum; aut ſanè quod arbor non undique cingatur cortice æquè ſano; puto inquam eſſe eundem, ſed non auſim aſſerere. Monſtratus mihi fuit Bruxellis cortex, omnibus notis adeò accedens ad genuinum, ut ſumma difficultate diſcerni potuerit: ſi tales cortices ſimul tundantur cum veris, aut etiam ſi pulvis illorum per ſe vendatur, impoſſibile eſt detegere fraudem niſi per effectus. Opto interim ſcire nomen viri, qui eum venalem habet, ut occurrente neceſſitate nobis illum coëmere liceat, & ſi fortè ejus pretium moderaverit, favorem præſtabit ſimul indicare. D. Scade reciprocam tibi offert ſalutationem, cui meam jungo affectionem, & in ſerviendo animi promptitudinem. Vale *Delphis* 25 *Septemb. Anno* 1661.

*Obſequio tuo paratiſſimus*

*Rolandus Sturmius.*

*Clariſſime Domine.*

DOmum reverſus non potui actutum ad gratiſſimas tuas reſpondere, cum ob abſentiam ægris diu deſideratam operam præmittere coactus fuerim, interim, ut amicitiæ noſtræ ſatisfacerem, horam unam atque alteram nocturnam impendi. Scribis te pulverem tribus exhibuiſſe, quorum duo caruerunt fructu; miror tertio ceſſiſſe curam, cum nec doſin nec formam obſervatam fuiſſe percipiam. Exhibetur in vini generoſi ℥ij. ſecundum inſtructionem ſchedii Romani; poſt tamen impreſſionem libel-

libelli noſtri de eodem pulvere conſcripti, compertum eſt ſufficere ℥j. & ℈iiij. quanquam in majori doſi certius operetur.

Scribis me ſupponere in caſu virginis hæc ſemina fuiſſe ore aſſumpta, vel fraudem ſubeſſe, non autem in corpore generata; ita Herculè opinor, at dum ſeminum multiplicationem abſque productione plantarum & fructuum impoſſibilem aſſero, non modò potentiam divinam excludo, ſed inſuper de regulari & aſſueto naturæ ordine intelligendas velim. Neque quidquam contra me facit *Carteſius*, nec *Democritus*, nec ipſe ſum ab illorum ſententia in hac parte alienus, modò ſenſu proprio id interpretari liceat; cùm facilè mihi perſuadeam, poſſe ſimilia corpuſcula, ſtirpium ſemina referentia, in corpore humano produci, verùm aliud eſt produci, aliud generari; aliud eſt, hæc corpuſcula eſſe vera ſemina, aliud, hæc eadem ſemina tantum referre; non quidquid fulget, aurum eſt. Neque etiam placet comparatio illorum cum lumbricis teretibus, faſcialibus, cucurbitinis, aſcaridibus &c. Quod nimirum egeant majori artificio, ac propterea difficilius efformari queant, quam hæc ſemina, non enim rei artificium arguit majorem vel minorem poſſibilitatem ac facilitatem in naturalibus ſicut in artificialibus.

Inductio quam adfert ex Peripatetico ſatis placet ob diſtictionem logicam, ſed meo judicio tantum concludit ex ſuppoſito. Inquis: *Si hanc quæſtionem, an ſemina multiplicari poſſunt ſine productione plantarum & fructuum, per ratiocinium paulo altius ruminemus, meo judicio affirmativam non omni probabilitate deſtitutam inveniemus.* Non repugno, mihi tamen negativa videtur probabilior. Pergis: *Si enim facimus cum illis, qui ſemen inanimatum ſtatuunt, quare minus materia prima poterit diſponi ad formam hujus vel illius ſeminis, quam ad formam lapidis?* Cum non arbitrer D. T. eſſe ejus ſententiæ, fruſtraneus mihi videtur ulterior excurſus, maximè cum non ignores, ſimile argumentum in illorum ſententia obtrudi poſſe de homine, pariter quærendo, cur non æquè benè materia prima poterit diſponi ad formam bruti quam ad formam hominis? tametſi enim ſciam reſponſuros eſſe ſolam animam hominis increari, non deerunt tamen aliæ difficultates. Quod addit: *Si in lapidibus, metallis, cornu-*

*bus*

*bus &c. imò cum uſu compertum ſit, hederam è cornu cervi viventis enatam eſſe, cur microcoſmum hac Monarchia deſtitueremus?* ℞. Quia microcoſmo deeſt habilitas ſive terra apta, deſunt & microcoſmo cæteræ diſpoſitiones requiſitæ ad generationem herbarum, &c. Et ſi verum ſit, ex cornu cervi viventis productam fuiſſe herbam, tunc illa non ex cornu, ſed ex terra rimis cornuum infixa prodiit, non ſecus ac dum ex lapidibus & metallis in terræ gremio vel extra, ubi non ex ſubſtantia metallorum & lapidum, ſed ex glebis, aut terræ pulveribus iiſdem affixis germinavit. Si quæras, cur non pariter in homine, cum etiam ibidem terra delitescat? ℞. Non fore hanc aptam nec ratione ſui, nec ratione loci. Pergis: *quod ſi vero ſtemus &c.* Deinde, *ſi enim pro anima ſentiente ex putredine in corpore humano conceditur corpus organicum, cur non pro vegetante? Si vero ſentiamus omnes formas & præcipue animas eſſe eſſentias quintas, & ut* Ariſtoteles, *&c.* Ego quidem inficias non eo, ſuborituras non eſſe ullas difficultates, quæſtione tamen quâ quæritur: cur non pro vegetante? ℞. Quia negatur ibidem diſpoſitio pro ſimili corpore vegetante, quæ pro ſentiente conceditur. Quærit, *ſi anima ſentiens poſſit ſe multiplicare ſine productione ſeminis & ſexus commixtione, quid ni & anima vegetans &c.* Ut verum fatear, ſatis ardua videtur hæc quæſtio, ſi tamen ex animo loqui liceat, puto hanc ſupponere falſum, nam animam ſentientem, ſive animal ſentiens poſſe multiplicari ſine alterutro modo, error eſt; neque contrarium probant exempla, quæ adfers de lumbricis & pediculis, cum quæſtio recurrat ex adverſo; quæro enim unde centeni lumbrici? unde inquam milleni pediculi? videris quidem innuere, proveniſſe abſque ſeminis productione & abſque ſexus commixtione, ego autem utroque modo eoſdem in corpore humano provenire poſſe non ambigo; nam pariunt ova tam lumbrici quam pediculi, & tam hi quam illi ſexus mixtione fruuntur, priuſquam ad tam notabilem numerum accreſcant; & niſi epiſtolæ modum excedere vererer, obſervationes non paucas adducerem huic propoſito apprimè convenientes. Fateor tamen me hærere, nec adhuc aſſecutum eſſe primam illorum originem, proinde iis, qui ex putredine produci ſtatuunt, nec contradicere, nec pro iiſdem patrocinium ſuſcipere auſim,

præcipue in ſcriptis, cum agnoſcam in abſtruſioribus ſententias noſtras eſſe mutabiles. Pergo itaque ad alia quæſita, nam vereor hanc quæſtionem, ſi non abrumpam, in infinitum ſe extenſuram.

*Verum cum audeant Auctorem naturæ &c.* Dato quod benè ſentiant de ſupplemento cauſæ primæ ad defectum cauſæ ſecundæ, dato etiam nullum ſcelus à nobis committi, ſi conſequenter loquamur; quæro cui bono, aut cui uſui Auctor naturæ in hoc caſu ſupplebit defectum cauſæ ſecundæ? Si inquam, hæc ſemina non poſſint ſe multiplicare in corpore humano, eò quod non poſſint ob defectum diſpoſitionis tam propriam quam terræ ac etiam loci germinare, cui inquam uſui, Auctore naturæ hunc defectum ſupplente, proferentur hæc ſemina? Quod addit, *neque certò conſtat Deum &c.* Verum eſt, cum nemo conſiliarius ejus fuerit, attamen conſtat ſaltem eundem ordinaſſe alio modo plantas produci, alio hominem, alio bruta animantia, conſtat inſuper diſtinctis ac ordinatis locis productiones generationeſque illorum deſtinaſſe.

*Præterea ſi ad ea reſpiciamus &c.* Diſpar eſt ratio, procedit enim à ſimilitudine corporum ſimplicium cum mixtis, ſimilarium & homogeneorum cum organicis & heterogeneis. Exhalationem quidem eſſe ejuſdem formæ ſubſtantialis cum ipſa terra, & vaporem ejuſdem cum aqua, non modò concludimus ex ſimilaritate & homogeneitate partium, ſed idem patet ex reductione, quando nimirum videmus exhalationes denuò converti in terram, & vapores in aquam. At aliter ſe res habet in corporibus mixtis & heterogeneis; ſed quid opus eſt prolixâ oratione; Seminet quis farinam tritici, & videat, quam meſſem collecturus ſit.

Quod *plerique in animabus imperfectis quantitatem & diviſibilitatem agnoſcant.* Verum eſt, etiam illam agnoſco, & ne quid diſſimulem, videtur mihi hoc argumentum præ cæteris urgere; cui tamen hoc pacto reſponderi poſſe exiſtimo: Sunt quidem omnes animæ corporeæ diviſibiles, ſed non eodem modo; quædam enim illarum diviſæ ſtatim pereunt, quædam illarum permanent, quædam dividuntur in partes propagantes, quædam in non propagantes. Ex. gr. dividitur anguilla in decem partes

&

& conſequenter tot animas, ſed poſt diviſionem pereunt. Dividitur etiam ſalix in plures bacillos, & pariter tot animas, quæ etiam permanent, ac ſingulæ partes ſunt propagantes, nam ſingulæ natæ ſunt producere alias ſalices. Verùm ſemina, quamvis dividi poſſint in partes, vel non erunt permanentes, vel ſi ſint permanentes, non erunt propagantes. Itaque ſi concedatur animabus corporeis quantitas & diviſibilitas (prout exiſtimo concedi debere) non tamen inde ſequetur propagatio, per eorundem diviſionem, cum diviſa perdant vim germinandi; non poſſum igitur aſſequi, quomodo hæc poſſint multiplicari, niſi prius luxurient in plantas & fructus. Si quæratur, cur id fieri non poſſit? aliud non habeo quod reſpondeam, niſi quòd exiſtimem, hanc eſſe naturæ legem, quâ cunctis naturalibus juſſum eſt à ſummo creatore hoc pacto ordine & loco ſe multiplicare; nec propterea dicimus, Deum ſe unico huic pacto adſtrinxiſſe, ſed contra, omnia naturalia ac cuncta creata huic legi ac ordini divino eſſe devincta. Hæc ſunt, quæ mihi inciderunt reſpondenda, ut ſaltem amicitiæ noſtræ debitum explorem, ſi verò animo tuo argumentiſque à te motis non ſatisfaciant, id imbecillitati meæ tribuendum eſt.

In capite aſelli minoris filamenta iſta aurea à te reperta, etiam credo fuiſſe verum aurum: & quòd ex lanugine penes te detenta arguas, aurum non eſſe deglutitum, ſed ibidem generatum, inficias quoque non eo, modo recto ſenſu id interpretemur; exiſtimo enim aquarum colluvie ore aſſumptam eſſe materiam proximè diſpoſitam, quæ interno aſelli calore fota in auri formam tranſiit. Si quæratur, cur id potius in aſellis quam in aliis piſcibus? ℞. etiam aliis piſcibus hanc prærogativam non denegarem, quod tamen aſellis id frequentius contingat, fortè quod talem eſcam præ cæteris eligunt, in qua materia hæc diſpoſita latitat; vel dicendum erit in ſenſu moderno Philoſophorum, latitaſſe in eſca corpuſcula auri imperceptibilia, quæ tandem aggregata in aſpectabile corpus accreverunt.

Ventriculi exulceratio admodum rara, gangræna ipſius mihi nunquam viſa; ſi tamen diagnoſtico ullo perveſtigari poſſit (cùm incurabilem hanc exiſtimem) *Galeni* conſilium commendarem, ſcilicet dato prognoſtico curam non

non attingere, ne contemnantur remedia, quæ aliis fuêre ſaluti. At ſi ſaltem ejuſdem exulceratio tibi cognita ſit, non alia huic debetur cura, quam cæteris exulcerationibus, cum omnes eaſdem habeant indicationes, additis tamen corroborantibus ſpecificis. Si quid D. V. perſpectum ſit, quod ad mores aut doctrinam præfati *D. Borri* ſpectat, pro opportunitate ac otio ſuo tranſſcribere dignabitur.

Jam ab aliquot annis deſtiteram à labore, quem fruſtra inſumpſeram Tincturæ Coralliorum extrahendæ, quam planè pro ente rationis habui, at nunc reſumpto animo videor mihi aliquid deprehendiſſe, quod hucuſque non credidi.

Quæro interim à D. V. an Corallia tincturam habeant? Quæro inſuper ſi illam habeant, an hæc ſeparabilis ſit per artem? Secludo omnes illas tincturas, quæ circumferuntur in libris Chymicorum, quas non admitto pro genuinis, quouſque demonſtraverint, has non procedere à menſtruis ſolventibus, vel ab adjunctis. Vale, inceptoque affectu proſequere

*Delphis 9. Nov. 1661.*

*D. T. addictiſſimum*

*Rolandum Sturmium.*

*Clariſſime Domine.*

QUæ de moribus & ingenio *D. F. Borri* ſcripſiſti, adeò ſatisfecerunt, ut ulterius de ipſius vita ac geſtis inquirere ſupervacaneum putem. Rogo nunc ut de *D. Glaubero* aliquid communices, ſed per opportunitatem, cum ſciam non ſemper integrum eſſe D. V. tantum temporis inſumere rebus, quæ ſoli curioſitati inſerviunt. Quamobrem non requiro, niſi ſuccinctam relationem de prædicto *Glaubero*, an ſcilicet promiſſa ſua præſtet, vel ſaltem iis ſatisfacere laboret, & an aliquem progreſſum fecerit in iis, quæ arripuit.

Ad quæſtionem quod attinet de Corall: tinctura motam, reſponſio veſtra (quia doctrina plena) admodum placuit; non enim, quia cum opinione mea congruit, hanc approbo, ſed quia argumenta valdè probabilia adjunxit, quibus ſententiam ſuam confirmavit; & quod

præ

præ cæteris ex iis annotare juvit, non exigui momenti illud eſt, quod rubedinem in dictis Corralliis, non obſtante eorundem pulvere minus rubro (ob rationes à Cl. V. dictas), non apparentibus, ſed veris coloribus annumeret. Deinde quod ſubjectum aliquod primum ſtatuat, cui color ille per ſe inhæreat; quod quidem primum ſubjectum per ſe ſeparatim exiſtens ipſam Coralliorum tincturam ei conſtituere videtur. Ita planè exiſtimo, quanquam aliter ſenſerim olim ob difficilem hanc ſubjecti ſeparationem, quam aliquando dubitavi eſſe impoſſibilem. Itaque ſive explicato jam modo rubedo illa permanens in ſubjecto primo conſideretur ut accidens & qualitas, ſive hæc eadem ſumatur pro ſubſtantia rubra (quod modernis Philoſophantium animis magis arridet) parum intereſſe exiſtimo. Admiſſa igitur tali ſubſtantia rubra, aut poſito tali colore rubro vero & non apparente, ſupereſt, an ille ſeparabilis ſit à Coralliis, adeò ut etiam amoto menſtruo perſiſtat. Ad præſtantium virorum Obſervationes Hiſtoricas quod attinet:

*Segnius irritant animum demiſſa per aures,*
*Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.*

Magis moviſſent ad credendum, ſi demonſtraſſent, menſtrua ſua non habere vim tingendi ab intriſeco, in quo plerique defecerunt.

Verùm enimverò, cum ſaltem ex ſuppoſitis rectè deducat D. V. non eſſe impoſſibiltatem ex parte coralliorum, ac præcipuam difficultatem ſtatuat in ipſo menſtruo, quod etiam dari poſſe exiſtimat, licet ei incognitum ſit, concludit, hanc tincturam à coralliis eſſe ſeparabilem. Hanc reſolutionem confirmat recens experientia, quæ me noviſſimè ab hoc dubio revocavit, proinde gaudeo, hanc cum rationibus à Cl. V. diſertè allatis congruere.

Addit menſtrua acida ſibi fore ſuſpecta; non video quare, nec rationem addit, fortè quia nuda opinio eſt, quam ſibi firmare non intendit. Per dulce menſtruum rem melius ſuccedere opinatur, non impugno; cum enim neque dulcedo neque aciditas per ſe aliquid poſſit in extrahenda tinctura, ſed peculiaris aliqua energia requiratur, quæ neutro ſapori adſtringitur, arbitror pa-

referre, an hoc menſtruum dulce ſit, an acidum qua tale, in ratione T. V. extrahendæ; quia ſi aciditas vel dulcedo eſſent hujus extractionis cauſæ, tunc magis extraherent, quæ magis talia ſunt, quod in operationibus meis non comperio, cum menſtruum meum quidem acidum ſit, ſed nullo pacto conferendum cum aciditate ſpiritus Salis, Vitrioli, Sulhpuris, Nitri, nec ullius ſpiritus mineralis, imò ne quidem ad acrimoniam aceti deſtillati accedat. Adverti quidem, aciditatem valere in diſſolutione coralliorum, unde obſervavi prædictos ſpiritus minerales corallia quidem ſolvere, prout etiam acetum deſtillatum, quò acrius, eò promptius illa aggreditur, ſed ad tincturæ extractionem omnium prædictorum aciditas aut acrimonia nihil facit.

Requiritur ergo menſtruum, quod non modò ſolvit, verùm etiam quod extrahit, ſed neque hoc ſufficit, ſed inſuper tale ſit neceſſe eſt, quod ab extracta tinctura valeat ſeparari; denique (quod maximè obſervandum) ut ejus naturæ ſit, quod nullam tincturam poſſideat ab intrinſeco. Tale jam me tandem adeptum eſſe ideò confido, quia modum inveni explorandi quodvis menſtruum ſolvens, unde facile conſtare poſſit, an tincturam in ſe contineat, nec ne; proba autem hæc talis eſt: capiantur menſtrui ſolventis ℥iiij. vel v. illudque parvæ retortæ vitreæ inditum pellatur per ignem arenæ uſque ad ſiccitatem; ſi menſtruum tincturam contineat, in ſpirituum tranſitu vel recipiens obnubilabitur colore rubro, ſicut in deſtillatione ſpiritus nitri, vel quod in retorta exſiccatum manet & ad latera ſublimatur, dum vini ſpiritu alcoholiſato diluitur, tincturam prodet; ſi vero neutrum horum contigerit, & corallia nihilominus hoc liquore deſtillato ſolvantur ac tincturam præbeant, nihil dubii ſupereſt, quin vera & genuina dici mereatur. Debet autem hoc menſtruum ſolvens extrahere tincturam ex crudis & integris coralliis, abſque prævia illorum calcinatione, aut alia ſimili tortura, aliàs ne hili quidem facio, quod ex illis extrahitur; ſi enim viva corallia non contribuant tincturam, multò minus hanc mortua & exuſta ſuppeditabunt.

Nunc aliquid de Auro, de cujus tinctura (ſcilicet an per artem ſeparabilis ſit) magis ſemper dubitavi; imò jam poſt multa examina inſtituta, quæ tincturæ falſitatem

tem arguere viſa ſunt, minus ei credo, quam unquam; quia tamen amica diſputatio eſt cribrum veritatis, opto Cl. V. etiam de hac re judicium intelligere. Fundamentum opinionis meæ eſt hoc: quod planè aliter mihi conſtitutum videatur de tinctura metallorum perfectorum ac imperfectorum, eo quòd illa plane fixa ſunt, ac proinde nec reſolubilia, nec deſtillabilia, nec calcinabilia, ſicut cætera imperfecta; intelligo per ignem actualem, quod enim reſolubile ſit aurum & argentuum per appropriata menſtrua abundè ſcio, nec me movet, quod aurum adeò volatile reddi queat, ut etiam per alembicum feratur, quia id non habet ex ſe, ſed ratione adjuncti cujuſdam ſalis volatilis, quo dempto reducitur ad priſtinum aurum æquè ineptum aſcendere quam prius, ſic etiam ponderoſiſſima moles altum petit, modò ejus vehiculum ſit ſufficiens. Ut ergo redeam, varia mihi nota ſunt menſtrua ſolventia, quæ auri compaginem ita diſſolvunt, ut inſtar aquæ tranſparentis rutilans nullam hypoſtaſin faciant, etiam poſt integri anni ſpatium; color huic ineſt elegantiſſimè flaveſcens, ac proinde tincturam ibi eſſe non nego, ſed hanc à corpore ſuo non eſſe ſeparatam dico, quamquam aurum in ſua forma nobis non conſpiciatur. Nuper egregius quidam Chymicus Magdeburgenſis, opinioni noſtræ planè contrarius, tentavit perſuadere, ſe veram tincturam ab auro ſeparare poſſe, viamque aperuit (reciprocè ipſi communicato alio ſecreto, quod à me exigebat) ſed re examinata per probationes rigoroſius inſtitutas oſtendi, non eſſe, niſi corporalem ſolutionem; quamobrem, ubi auri reductionem à me factam vidit, reſipuit.

Erat autem hic proceſſus auri tincturam extrahendi tam veriſimilis, ut pauci de ejus veritate dubitaſſent; dum enim tam lentè ac modeſtè aurum aggrederetur liquor ſolvens, ut non modo ejus tincturam omnem videretur abſorbere, verùm etiam ipſum aurum hac eadem ſpoliatum in forma pulveris albi ad fundum demitti conſpiceretur (quod in pluribus auri ſolutionibus, aliorum menſtruorum beneficio peractis, nunquam obſervavi) amico facilè credebam, aſſerenti hoc corpus album, ſi reduceretur, conſtituere lunam fixam, liquorem autem ſaturatum, ſive tincturam in eo contentam minimè eſſe reducibilem. Quamobrem operæ pretium duxi ſingula

perquirere, an veritati conſona eſſent, quæ mihi præfatus amicus aſſeruerat; & quidem cum jam corpus illud album reduxi, deprehendi illud fuiſſe purum argentum, ad quod ſpectaculum miratus cœpi in opinione præconcepta vacillare, donec tandem & liquorem hunc flavum per evaporationem exſiccavi, & remanentem pulverem Vulcano commiſi, qui in priſtinum aurum converſus eſt. Porrò, ut rei cardinem exactè cognoſcerem, interrogavi Aurifabrum, à quo aurum mihi coëmeram, quomodo illud expurgaſſet, qui reſpondit non per Antimonium, ſed per aquam ſeparatoriam fuiſſe repurgatum, unde mihi ſtatim cauſa totius myſterii ſuſpecta fuit; cum enim ſimile aurum non tam exactè depuratum ſit, quin aliquid argenti contineat, mirum non eſt, illud ipſum in auri ſolutione, dum hoc menſtruum affunditur, ſeparari. Tamen ut majorem dictorum certitudinem acquirerem, præfatumque amicum, jam nutantem, ab eodem dubio levarem, aurum per Antimonium purificatum ſimiliter ſolvi eodem menſtruo, quod ſolam tincturam extrahere affirmaverat, at poſtquam nihil albi ad fundum præcipitatum cognovit, & totum aurum in eodem pondere reductum vidit, faſſus eſt univerſum proceſſum eſſe illuſorium, quem tamen bona fide communicaverat. Quamobrem dixi, ad antiquam opinionem me recedere, quam etiamnum teneo, donec aliquis veriorem demonſtraverit.

Apud antiquos Philoſophos receptum fuit, difficilius eſſe aurum deſtruere, quam idem conficere, mihi aurum deſtruere impoſſibile videtur, videtur & impoſſibile abſque ejus deſtructione tincturam ſeparatam obtinere, ne tamen videar juraſſe in præconceptam opinionem, libenter judicium tuum admittam. Optarem negotia noſtra tantum otii concedere, ut mutuo colloquio gaudere integrum foret, quo caſu alter alterius animum reciprocè valeret oblectare; tametſi enim litteris multa poſſint communicari, quia tamen quædam facilè omittuntur, quæ ampliorem explicationem requirunt, vel etiam ocularem inſpectionem deſiderant, præcipuè in operationibus & inſtrumentis Chymicis, non poſſunt hæc æquè commodè transſcribi, neque etiam omnia ſcriptis tradere conſultum videtur, at quædam coram fideliter communi-

municare ſatius eſt. His vale amantiſſime Collega. *Delphis* 27. *Martii* 1662.

*Clariſſime V. obſequio paratiſſimus.*

*Rolandus Sturmius.*

*Clariſſime Domine.*

Literæ tuæ mihi traditæ ſunt heri veſperi, excuſavit ſe Pharmacopæus, qui eas ex oblivione neglexit; huic ergo mandes, ſi quid rectè curatum velis.

Ad caſum patientis tui quod attinet, memini duos mihi occurriſſe ſimiles, ſaltem ex parte mali apprehenſi, licet ex parte circumſtantiæ aggravantis differentiam facilè percipies.

Prior fuit viri cujuſdam 46 annorum, conquerentis de dolore ſcapulæ & humeri dextri, adeò ut neminem ſalutare valeret, pileum deponendo, niſi ſiniſtram in ſubſidium vocaret, duravitque ipſi hoc incommodum fortè per biennium; cumque nihil proficerent varia à variis tentata remedia, cœpit dubitare de relicto fomite antiqui contagii, quod metuebat ſe contraxiſſe à concubitu ante 24 aut 25 annos; & quanquam eo tempore non recordaretur, ſe aliquid luis venereæ percepiſſe, tamen, quia aliquando in Fernelio legiſſet, hanc diu deliteſcere poſſe, & jam comperiret, dolorem ſuum nullis mitigari remediis, anxius dubitavit, perquiſitis aliis ſignis, ac remota omni ſuſpicione, conſilio noſtro acquievit, ac tandem ad balneum Aquisgranenſe remiſſus perfectè convaluit.

Alter caſus fuit Juvenis cujuſdam 26 vel 27 annorum, qui matrimonium contracturus, veritus, ne puellam illuſtris familiæ inficeret, prius me conſuluit, petiitque, an puſtulæ, quas circa collum & pectus monſtrabat, non arguerent luis venereæ contagium, præcipuè cum non modò hac lue ante biennium ſe infectum fuiſſe confiteretur, ſed inſuper narraret, ſe à Medico quodam Leydenſi tanquam curatum perperam fuiſſe dimiſſum, qui poſtmodum novis ſignis ſuborientibus illum denuò admittere coactus fuit. Examinatus à me præfatus Juvenis deprehenſus fuit carere omni luis ſuſpicione, ac puſtu-

las illas ex calidioris temperamenti conſtitutione, validioriſque exercitii motu, ac vini meracioris uſu prorumpere, dixi, & ſi à venationibus ac compotationibus abſtineret, facilè has cutis efflorefcentias ſua ſponte diſparituras.

Præſcriptis itaque paucis temperantibus ac benignè laxantibus, juſſi eſſe bono animo, eò quod nihil mali lateret, quod meritò deberet apprehendi. Diſceſſit hoc conſilio quietus, percepitque poſt ſeptimanam aut alteram, puſtulas evanuiſſe, ut dixeram; ſed poſtquam rurſum venationibus occuparetur & per occaſionem cum ſociis vino liberalius indulgeret, cœperunt eædem puſtulæ effloreſcere, de quibus denuò conqueſtus non potuit tam facilè ſibi confidere; interim tamen admiſſis rationibus tandem ſibi ſatisfactum credidit. At poſtquam tertiò me accederet, advertens illum adeò firmiter hoc malum ſibi impreſſiſſe, ut difficulter admodum ab hac opinione diverti poſſet, dixiſſetque non parum intereſſe, ſeque mori malle, quam filiam, ſi conjugem duceret, inficere, ſuaſi, ut tranquillitatis ſuæ gratia inſtitueret conſilium duobus aut tribus rei medicæ peritis, ac ſeorſim ab iis judicium expoſceret, quod omninò ipſi placuit, ſed petiit per me ſollicitari ac procurari ſententias, ne variis teneretur aperire ſtatum ſuum, ſeque pluribus ſpectandum præbere. Acceſſi itaque *D. à Straten* Hagæcomitis, & *D. Vroeſium*, qui nunc Mechliniæ degit, & amborum ſententiam ſeorſim ſcriptam collegi, ac prædicto Juveni tradidi, qui, cum videret utramque cum noſtra convenire, optimè ſibi ſatisfactum dixit, juſſitque ſingulis liberaliter compenſari, ac tandem ad matrimonium contrahendum ſine ſcrupulo ſe accinxit. Vivit etiamnum ſanus cum conjuge ſana, ſaniſque prolibus beneficii memor.

Verùm ut facilè advertet D. T. uterque caſus differt à ſuo, eò quod in neutro allegatorum adfuerit mentis alienatio. Melancholici admodum difficulter ab impreſſione ſua diverti poſſunt, proinde vix datur aptius remedium, quam in omnibus ipſis conſentire; ſuaderem itaque omninò confirmari ipſius opinionem, non modò admittendo, ipſum laborare Morbo Gallico, ſed inſuper adderem ipſum adeò graviter eſſe infectum, ut niſi tempeſtivè curam admitteret, miſerè ipſum hoc morbo periturum; at

ſi con-

ſi conſilio tuo vellet acquieſcere & remedia admittere, brevi tempore illum ſanatum iri. Poſſet interea propinatis levioribus ac gratioribus decoctis ex China ſalſa & Guajaco (quæ omnia Balſamica ſunt, nec ullo pacto naturæ inimica) aliquo tempore contineri in conclavi, porrectis nonnunquam laxantibus melanagogis, & iis, quibus mentem ſanari poſſe ſperet. Quæ quidem omnia amicis prius communicanda, ut cum illorum conſenſu ſimilis cura inſtituatur. Si his non cedat malum, tradendus amentium cuſtodibus, juxta Italicos: *Per guarir un pazzo ſene uvol uno e mezzo.* His vale, & amare perge.

*Ex Muſeo noſtro 14 Novemb. 1662.*

*Obſequio tuo paratiſſimum,*

*Rolandum Sturmium.*

## OBSERVATIO II.

### *De multiplici Phlebotomia.*

SAnguis, quem novus naturæ Atlas *Harvæus*, in *exercitationibus de generatione animalium*, partem Microcoſmi maximè principem aſſerit, tam pretioſus eſt ſuccus, ut Univerſi Creator revelaverit homini, brutorum animas in ſanguine conſiſtere; inde forſan *Paracelſiſtæ*, *Helmontiani*, reliquique αἱμοφοῖβοι moti, vel potius vana Pythagoricæ μετεμψύχεως ſuperſtitione ſeducti φλεβότομον, ut inutile & vitæ humanæ ſummè noxium Inſtrumentum, è Medica proſcribunt Republica, quinimò Venæ ſectionis patronos, tanquam inſulſos animarum negotiatores, exſibilant. Quo errore quamvis jam dudum communi hominum experientiâ exploſo, quâ quiſque per ſectam venam infirmitatum percipit levamen, juxta *Hippocratem*: *Si qualia oportet purgentur, conducit, & facilè tolerant, ſi minus, contrarium evenit, itidem & vaſorum evacuatio, ſi qualis debet fiat, conducit, & facilè tolerant; ſin minus, contrarium fit.* Hæc multiplicis phlebotomiæ obſervatio in *Guinanda Andreæ* filia omnem de noxa dubitationem præſcindit. Hæc virgo jam annum ſexageſimum ſecundum egreſſa, habitu mediocri, temperamento ſanguineo, habitat in foſſa Imperatoria in Parthenodochio,

chio, quod à fundatore *Nicolao Regneri* nomen habet, quæ in publico noſtro Parthenodochio educata in juventute ob ventris intumeſcentiam, cujus mole etiamnum laborat, malè audiebat, Uterus, qui à *Platone* & *Aretæo* diſtinctum animal in muliebri cenſebatur corpore, in hac filia mirabiles prodidit operationes; nam ipſa ab anno ætatis nono ad quinquageſimum inordinata paſſa fuit menſtrua; ſed circa annum vigeſimum ſecundum tam enorme profluvium per quadriennium pertulit, quin vix motu corpore ſanguine difflueret, vix nonum ætatis annum egrediebatur, quin dextrum hypochondrium in ſenſibilem ſeſe attolleret tumorem, per triennium increſcendo, donec in ſuperficie apoſtema ſuboriretur, cujus purulenta materia per umbilicalem regionem deſcendendo in epigaſtrio atrocem infirmanti afferebat dolorem, ut Medicis pariter & Chirurgis ratum eſſet ferro aperire viam, per quam natura tantam puris copiam exonerabat, ut unanimi conſenſu pronuntiarent medici, quod materia tumoris in hypochondrio dextro per epigaſtrii hiatum evacuaretur; verum ut hi opinione, ſic infirma ſpe fruſtrabantur. Circa decimum quintum ætatis annum, quando juventus maximè inſanire ſolet, ſociæ puellæ terrorem incutiebat fele, quæ vindictæ memor araneâ, inter quam & hanc virginem ſingularis antipathia erat, tanto pavore percellebat, ut apoplectica concideret; qua morbi ſpecie per novem durante dies liberaliter ſecabatur vena, cui remedio, utpote nimis debili, quadragintæ quinque cucurbitæ juxta dorſi ſpinam ad tibiarum extrema jungebantur, quarum triginta ſex ſcarificatione aperiebantur juxta *Hippocraticam* regulam: *extremis morbis extrema remedia ſunt adhibenda.* Tandem malo ſuperato per varios miſeriarum caſus etiamnum ſpiritum trahit. Admiratione dignum erat, quod remedium ab obſtetrice propoſitum præcipuorum Practicorum, ut *Vopiſci Fortunati Plempii*, *Nicolai Fontani*, & *Verboevii* conſenſu adhiberetur, nimirum, quod omnes pedum digiti lanceolâ tranſverſim ſecarentur, ex quibus tanquam ex decem fontibus ſanguis ad deliquium animi ſcaturiret, ſed incaſſum cum magno virium detrimento. Subinde tam inopinatò ipſam cantantem, edentemve apprehendebat hæc uterina affectio, ut potiori jure magicum quam naturale aſſeruiſſes. Vix evaſerat ma-

inalum, quin conſueta munia ſolita obiret hilaritate, quæ inter animi pathemata præcipuam ad refocillandas vires obtinet virtutem; unde haud immeritò *Cardanus* homines animo maximè tranquillos maximè longævos pronuntiat. Vena itaque ei in hoc vitæ curriculo ſeptingenties & ſæpius juxta computationem Magiſtri *Stephani Vennekool*, Orphanotrophii quondam Chirurgi, ejuſque filiorum *Theodori* & *Adriani*, aliorumque tum quoad curationem, tum præſervationem aperta fuit, non in quantitate trium quatuorve unciarum, ſed duodecim, ſedecim & plurium, & adhuc indies, quamvis propter ætatem parcius & rarius, aperiri debet, ut ſervetur ſanitas. Tantæ ſanguinis copiæ cauſam, quantum ex ſignis colligere licet, auctam Hepatis magnitudinem opinamur, donec poſt mortem ejus cauſam altius rimari liceat. Hæc unica igitur obſervatio luce meridiana clarius *Paracelſi Helmontiique* paradoxum de Venæ ſectione convincit, in qua citius medicamentum univerſale reperies, quam in volatili Mercurio, qui noxiis tandem fumigationibus cerebri, membrorum, crumenæque ſpiritus enervat.

Hac occaſione communicabat mihi Magiſter *Paulus Pilius*, quod per triennium valetudinem certæ Matronæ gemina ſectione quolibet menſe firmam conſervaſſet, juxta *Hippocratis* monitum: nam ubi athletarum valetudo ad ſummum progreſſa, & ad plenitudinis extremum pervenerit, lubrica eſt, cum non poſſit in eodem ſtatu permanere, neque quieſcere, quandoquidem verò non quieſcit; neque jam poteſt in melius progredi, reliquum eſt, ut in deterius delabatur.

## OBSERVATIO. III.

### *De cartilaginoſa cornu inſtar excreſcentia, circa ſuturarum ſagittalis, & coronalis concurſum.*

MArgareta *Joannis Martini Petri* Dorſuarii uxor in Sanctæ Luciæ foſſa, in Æthiopum angiportu, annos 55 nata, gracili, ſed firmo habitu, die decima ſexta Octobris

bris 1665. conquerebatur de ingenti capitis dolore, ad quam vocatus internis remediis cephalalgiam quidem imminuebam, non autem tollebam, cauſam doloris ulterius ſciſcitanti referebat, ſe per plures annos in loco doloroſo habuiſſe duram excreſcentiam; ſed hactenus indolentem, quâ conſpectâ durior cartilago cornu inſtar magnitudine digiti pollicis nobis occurrebat, ut *in Tabula* 18. *Fig*. 3. exhibetur; cujus radix jam inflammata dolorem hunc intulit, per quem fortean natura hoc decorationis vitio liberari voluit. Quæ mali cauſa, dum non internis remediis auferri poterat, cauterio potentiali ſublata, & relictum vulnus ſolitis conſolidatum eſt medicamentis; in qua cura maritus, ob parſimoniam Chirurgi vicem gerens, uxorem breviter & exiguò ſanabat, à qua lue plerique alii viri incurabiles vivunt.

## OBSERVATIO IV.

### *De magno tumore ſarcotico oculum ad genas protrudente.*

INter innumeras oculi plagas non infimum meretur locum iſte tumor, qui in infante clariſſimo *Isbrando de Diemerbroek* ſpectandus offerebatur Anno 1655. in noſocomio praxin explicanti; hæc intumeſcentia, referente matre, initio piſi magnitudinem vix æquans, ſpatio trium quatuorve menſium ad pugni magnitudinem increverat, oculumque ex orbita in genam excuſſerat, ſanguine continuo exſtillante, ad quod ſanguinis ſtillicidium, dum varia incaſſum adhibuiſſet, remedium à dicto Profeſſore petebat, qui tumorem in tam tenella ætate incurabilem declarans, adſtringens præſcribebat collyrium:

℞. *Maſtich.*
*Thur.*
*Troch. de Terr. ſigil.*
*Lap. hæmat* ā. ʒj.
*Aqu. plantag.* ℔ß. *M. F. Mixtura.*

Rogans matrem, ut dignaretur mortem indicare infantis; ut tumoris ſpecies & cauſa ipſi daretur perſcrutanda; dum ergo Deo ter Opt: Max: placuit, animam infantis

ex

ex hoc ergaſtulo ad beatorum vocare ſedes, monuit mater clariſſimum virum, qui *Lamberto Velthuſio*, *Everardo de Sypeſtein*, Med: Doct: jam inclytæ civitatis Ultrajectinæ Senatoribus, me aliiſque convocatis, ſolenniter ad anatomen hujus oculi accedebat; hoc tumore aperto, loco puris carnoſa crudi lardi inſtar ſubſtantia ſeſe offerebat, quæ laminis orbitæ undique firmiter adhærens oculi excuſſerat globum, ut in *Tabula* 28. *Fig.* 5. oſtenditur. Cauſa hujus tumoris judicabatur in partu concepta, quod vel imprudentiâ obſtetricis, vel anguſtiâ vulvæ infantis cerebrum nimis fuerit compreſſum, unde exigua quædam vaſcula nimium compreſſa primam hujus tumoris anſam dederant.

## OBSERVATIO. V.

### *De meliceride ex majori oculi angulo feliciter ferro ſublata.*

JOhannes de Cortenhoef, triginta ſeptem annorum Juvenis, calidioris humidioriſque temperiei, ex Moſcovia redux, inter navigandum incidit Anno 1660. in acutum trabis angulum, quo caſu ligni acies dextrum oculi lædebat canthum; è cujus contuſa caruncula fungoſa primò quædam luxuriabat ſubſtantia; quæ acrioribus irritata remediis humores attrahendo tumorem fovebat, quæ meliceridis ſpecies paulatim in pruni magnitudinem increvit, ut umbra ſua viſionem aboleret. Cæcitatis pertæſus varia à variis octo pluriumve menſium ſpatio fruſtra adhibuit remedia. A me in conſilium vocato exſtirpatio, ut unicum, proponebatur remedium, cui æger jam multo medicamentorum genere defatigatus, nec non viſionis recuperandæ deſiderio irretitus conſentiebat; corpore prius probè purgato, operationem dextrâ *Theodori Vennekool*, experti ſuo tempore Chirurgi, molimur; qui convenienti hamulo tumorem perforando apprehendit manu, alterâ verò mediante forcipe melliceridem cum veſicula ab ipſa pupilla, tunica adnata, & caruncula ſectione ſejunxit, ſine ulla oculi offenſa. Operatione hac feliciter peracta, oculo goſſypium aqua roſacea cum ovi albumine agitatum, crocoque tinctum impone-

ponebatur, & facta debita ligatura per triduum naturæ & quieti commiſimus curam, à qua poſtea collyrio magis exſiccante ex tutia adjecta, intra octiduum cum viſus rectitutione convaluit æger.

## OBSERVATIO. VI.

### *De Fiſtula lachrymali operatione Chirurgica ſublata.*

Filia *Joannis de Court* Textoris, annos nata ſeptem ab incunabulis obnoxia Fiſtulæ lachrymali, multorum curam fruſtra ſubiit, quæ à nobis ſequenti curata eſt methodo *Anno* 1666. Sectâ primum per Chirurgum *Petrum Molenſteen* fiſtulâ, eâque paulatim dilatatâ, loco ſcalpri abraſorii adhibuimus cauſticum cum unguento de Betonica mixtum, quouſque corruptum os ſine dolore ob teneram ætatem eradi poſſet; poſt dictam operationem arida duntaxat filamenta abraſo imponebantur oſſi, ad laudabilis carnis generationem, quâ conſpectâ vulneris cura digeſtivis propriis, & loco ſarcotici unguenti de tutia, propter continuum ichoris fluxum, & denique filamentis ſiccis, emplaſtro de diapalma tantum ſuperpoſito, ad cicatricem perducebatur. Qua methodo poſtea varii feliciter ab iſto Chirurgo curati ſunt; licet inuſtiones, occaleſcente ſinu, ſi admittant infirmi, præferendæ ſint, ob celeriorem oſſis corrupti ſeparationem, nam actualis calor callum atterendo ipſam partem firmiorem reddit.

Obiter hic quorundam auctorum error notandus, qui oſſis perforationem præſcribunt, ut latior puri detur exitus per nares; nam oſſe perforato abſcedente viginti trigintave dierum ſpatio obſtruitur à carne ex ipſo pullulante, quæ cum cuti coaleſcit, atque ita materiæ purulentæ, quæ per puncta lachrymalia habebat exitum, præcluditur via; quapropter hæc methodus eſt tantum palliativa & infida. Nec quævis oſſis corruptio perforationem admittit, niſi illa quæ ad ipſam naſi cavitatem penetrat, ſola enim ſuperficie corrupta aut alterata, ſufficit oſſis corupti laminas ſcalpro abradere, donec pars cuti coaleſcat; quæ conſolidatio nunquam tuta erit, niſi os ſit incolume; atque ex hoc vera veræ curationis ſigna ſumenda ſunt; ſi enim ſpatio

tio diei nulla ſuccreſcat caro, os adhuc corruptum pronuntiato; quapropter iteranda abraſio, donec hoc ſignum omninò appareat. Verùm cum non omnes fiſtulæ lachrymales oſſis corruptionem habeant comitem, duplici curantur methodo, vel ſola inciſione, & calli conſumptione, vel abſente callo, inſtrumento ab *Aquapendente* depicto, qui ea de re cum aliis auctoribus conſulendus.

## OBSERVATIO VII.

### *De portione manubrii flabelli oculo inflicta, quæ tribus menſibus poſt curatum oculi vulnus, ſalva viſione, è palato educitur.*

NObilis Hiſpanus *Anno* 1651. è Parochia *Lovanienſi*, Sancto Petro conſecrata, egrediens importunè compellabatur à mendico de eleemoſyna, qui non obſtantibus variis repulſis æquè audacter inſtabat, quâ ineptiâ exaſperatus nobilis illum impetuosè dextrâ flabello domicellæ, quam ducebat, armatâ arcebat, tanto impetu, ut vulnere majori oculi angulo inflicto, portio manubrii trium digitorum longitudine abrupta in illo hæſerit, oculi orbitam penetrando: mendico ad noſocomium delato, Chirurgi caſum Clariſſimo *Ophemio* Regio Profeſſori denuntiant, qui cum ſtudioſis, è quorum numero tum eram, vulneratum viſitans nihil præter fruſtula extra angulum prominentia deprehendit, quibus forcipe extractis vulnus prius collyriis inflammationem impedientibus, & ventoſis per ſeptem dies jejuno ſtomacho cervici & naribus ſine ſcarificatione appoſitis, apoſtema arcentibus, deinde exſiccantibus cicatrice obductum eſt unius menſis ſpatio, unde mendicus velut ſanitati reſtitutus diſceſſit; at ille poſt trimeſtre ſpatium redux de tumore in palato notabili conquerebatur, quo aperto in conſpectum ſe dabat manubrii portio, quam volſellâ extrahendam Chirurgo dictus mandavit Archiater; & ſic tandem impoſitis filamentis ovi albumine gravidis, globulis melle roſaceo imbutis, brevi illæſa viſione convaluit. Miranda ſanè naturæ in obſcuris detegendis viis providentia, quod manubriolum iſtud per orbitam, illæ-

ſo oculo, cerebrique meningibus, palatum verſus detruſerit.

## OBSERVATIO. VIII.

*De Capitis vulnere ad meditullium penetrante, omnium ſymptomatum ſyndrome comitato, illæſa cerebri membranarumque ſubſtantia, debiſcente nihilominus lambdoides ſutura, & materia purulenta intra eas ſupraque meninges deliteſcente. Cui quædam in curatione vulnerum capitis cum fractura obſervatu digna adjunguntur.*

JOannes *Petri* Sericarius in platea, quæ à Roſis nomen habet, Walo, popularem, qui primo huc è patria appulerat, recreandi gratia in menſe *Majo Anni* 1666. in ſuburbio ad diverſorium duxerat; cerevíſia meroque impraegnati reciprocam contentionis ducebant ſerram, tanto furore, ut hic nuperus Walo ſocii caput puncturâ gladii ad meditullium perforaret, mox ſymptomatibus, ab *Hippocrate* in capitum vulneribus enumeratis, ſubſequentibus, quæ terebram exigebant, & operatione ſecundo die peractâ, membrana deprehenditur inflammata, quæ aptis providetur remediis; verùm, dum meningum depreſſione, ac patientis inhibita reſpiratione, nihil per apertum efflueret foramen, decima quarta obiit die. Diſſecto cranio in loco vulneris meningum, diploïs cerebrique ſubſtantia innoxia ſeſe exhibebat; ſed lambdoides ſutura patulo laxata erat hiatu, auricularis digiti latitudine, exigua puris quantitate intra ipſas ſuturas duramve matrem deliteſcente. Cui ſimilia exempla, quamvis contrafiſſurarum in multis cranii partibus varia, vix apud Auctores proſtant. Circa quæ capitis vulnera obſervata *Petri de Marchettis*, equitis *D. Marci*, in pretio habenda ſunt.

*Primo*, quod ſi contingat, ex aliquo ictu incidere patientem in mentis abalienationem, cum privatione ſenſus & motus, niſi alia ſymptomata ab *Hippocrate* enumerata acce-

accedant, nullum periculum vitæ imminet, ac proinde prætermittenda quæcunque operatio, ſectio ſcilicet, & perforatio ipſius calvariæ: vidi ſiquidem aliquos ex prolapſu, aut ictu læſo capite, apparente ſolo hoc ſymptomate, ſequenti die omninò liberatos.

*Secundo*, eminentiæ rotundæ undique circa vitream laminam, oſſe terebratione educto, ſunt ſignum manifeſtum, aciem modioli non perveniſſe ad membranam ipſam, neque perforationem fuiſſe cauſam mortis ipſi patienti; prout vice verſa, iiſdem non apparentibus, indicium erit membranæ læſæ, ac proinde lethale.

*Tertio* animadvertendum, non ſolum totam abradendam rimam, aut ſedem inſtrumenti ad fundum uſque; verum ſi alterutrum deſcenderit uſque ad meditullium, omninò deveniendum eſſe ad terebrationem, nullo licet alio præſente ſymptomate; hac ratione, quia materia purulenta ex labiis vulneris ad meditullium defluens, per ejus vaſa ad membranam etiam penetrat, inter quam & cranium congeſta, patienti mortem infert, quod in pleriſque obſervavi, qui propterea, adminiſtrata perforatione, omnes convaluerunt.

*Quarto*, præter ſigna ab *Hippocrate* propoſita, obſervandum, quod ſemper alvi fluxus vulneribus capitis accedens, abſentibus licet aliis ſymptomatibus, cerebri læſi ſignum ſit, propter ejus ſcilicet conſenſum cum nervis ſexti paris, qui orificiis ventriculi adnectuntur, quorum ratione inferius laxatur, & alvi fluxus ſtatim ſuccedit. Hi verò ferè omnes moriuntur, ob læſum cerebrum parte interna, quâ in ſpinalem medullam exporrigitur, ubi nervorum ortus; omnia tamen remedia in his caſibus ſtatim adminiſtranda, quæ ad artis opera ſpectant, ab *Hippocrate* propoſita.

*Quinto* obſervavi ſæpiſſimè, quod, quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potiſſimum poſtica & laterali, tunc materia purulenta delabatur ad thoracis, & abdominis cavitatem, quæ longiori mora cum pulmones, tum pleuram, aliquas nempe ipſorum partes erodit, ex quibus multa ſanies emanat, quæ poſtmodum ad abdomen defluit, cum Jecoris, & Lienis labe, in quibus varias puſtulas excitat, quibus diſruptis, perinde ac ex pulmonibus, & pleura, ita & ex his materia

purulenta effluit; quanquam hujus obſervationis ignari exiſtiment, abſceſſus obortos in his partibus, quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitis vulnere, quod ex capite copioſum pus poſſe ad inferna viſcera delabi non ſibi perſuadeant: prout in pleriſque obſervavi, mediam thoracis, & abdominis cavitatem pure fuiſſe refertam. Quam obſervationem multis tum in theatro Anatomico, tum in Valetudinario *S. Franciſci* demonſtravi.

*Sexto* obſervatione dignum, quod muſculus temporalis nunquam ſit ſecandus, contra multorum opinionem, qui audacter id præcipiunt, quotieſcunque vulnus, aut contuſio fuerit cum fractura oſſis, quod rationibus abundè probatur. Primò, quod plerique ſic vulnerati moriantur, *Hippocr.* ſententia, accedente propria experientia, quia obſervavi, muſculo temporali à quibuſdam Barbitonſoribus perperam ſecto, quarta die patientes convulſionibus obiiſſe. Secundo, quod fracto oſſe ſub ipſo muſculo, omnino lethale ſit, ac prinde ſectio hujuſmodi ſit ſupervacanea; quod & ego ſæpe vidi, & publicè, frequenti theatro domonſtravi in quibuſdam, ſolam rimam in oſſe ſubjecto muſculo temporali repentinæ mortis cauſam fuiſſe, cum falſò apoplectici haberentur, ſola præſente contuſione, quæ nonniſi gravis, cum oſſa ſubjecta frangit, & muſculum ipſum, tum partes internas ipſius cerebri, unde certa mors. Quod ſi ex ſymptomatibus nobis innoteſcant hæ læſiones, extra muſculum, parte ejuſdem decliviori ſectio facienda, ibique terebratio adminiſtranda, nec non lato poſtmodum ſpecillo deprimenda membrana ipſa, quo exitus puri pateat; atque ſi aliqua depreſſio adfuerit, vecte elevanda, & urgente quandoque neceſſitate, totus muſculus tranſverſus ſecandus, quamvis periculoſiſſima ſit operatio. Verum hæc propono, quia vidi quoſdam ab hujuſmodi vulnere convaluiſſe, oppoſita parte licet convulſa, cum nec os ipſum multum patefieri potuiſſet: quam tamen operationem nec ſuadeo, nec improbo, licet, ut verum fatear, nunquam eandem fuerim molitus. Verùm poſito, ſed non conceſſo, ægrorum pleroſque, ut dixi, mori, antequam vocetur Medicus, ab illa tamen non me abhorrere profiteor. Si verò vulnus rectè eidem muſculo inflictum ſit, digitis potius, & unguibus, quo commodius fieri poteſt, dilatandum, antequam ad abraſio-

nem,

nem, aut perforatioem deveniamus, & globulis ex filamentis ſiccis potius ſpatium illud conſervandum; quia etiamſi muſculus ſecetur ductu recto fibrarum, ſuboriuntur tamen ſæviſſima ſymptomata, cum vitæ diſcrimine; ut propterea ſatius ſit dilatare modo prædicto.

*Septimo* in vulneribus capitis obſervandum, quod hæc non ſolum periculum minentur ad quadrageſimam uſque diem, ut vulgò creditur, ſed diutius; quin etiam, cum ego ſæpius obſervaverim, quoſdam vixiſſe ultra tres menſes à vulnere inflicto; quidam enim percuſſus ſoleâ equi ferreâ menſe *Junio*, cum maxima contuſione capitis, abſque ullo tamen horum ſymptomatum, quæ in his vulneribus alioquin ſuboriuntur, cui licet ſecto loco contuſo, ſanguis extra vaſa effuſus eductus ſit, atque omnes partes contuſæ expurgatæ medicamentis propriis, vulnere menſis ſpatio anguſtiori reddito: nunquam tamen id ad cicatricem deductum, aliqua portione puris continuò emanante; quamquam læſio nunquam in oſſe apparuerit, nullumque ſymptoma, menſe tamen *Octobri* ſuborta eſt febris, cum rigore, & vomitu, atque quarta die ab his ſymptomatibus obiit æger. Aperto cranio, maxima copia puris inventa fuit ſupra membranas, & intra ſubſtantiam cerebri. Alium etiam vidi leviter vulneratum media capitis parte, non detecto oſſe, & nullo apparente ſymptomate, qui à Chirurgis ſanatus, poſt tres menſes, quibus incolumis ſemper vixit, correptus fuit febre maligna, ſine ullo ſymptomate vulneris capitis; poſt ſeptimam dolor capitis ſubortus, loco vulneris inflicti ante tres menſes, in quo tamen jam ad cicatricem deducto nihil apparuit, ægro decima quarta mortuo. Sectâ calvariâ modo jam dicto, pus ſupra membranas, & cerebrum deprehendi; ut propterea vulgi opinioni credendum non ſit, poſt quadrageſimam diem, in capite vulneratos, ratione vulneris mori non poſſe.

Terebrationem verò capitis quod ſpectat, video contradictionem in libro *Hippocratis* de vulneribus capitis; hic ſiquidem capite vigeſimo ſecundo ſcribit, facta abraſione, ſi opus fuerit, *deveniendum ad perforationem ipſius cranii ante triduum*, tempore calido potiſſimum; cum vigeſimo nono ejuſdem expreſſe dicat, quod ſi à principio fuerimus vocati, perforationem oſſis uſque ad membranas non eſſe tentandam; quæ manifeſta eſt contradictio, quia,

quia, ſi opus fuerit terebrare, quod patet ex ſymptomatibus vulneri ſtatim ſupervenientibus, membrana detegenda ante triduum, quò vapores calidi ab imminente inflammatione elevati exhalare poſſint, atque ejuſdem ſuppuratio prohibeatur, quæ neceſſariò, neglecto hoc præſidio, ſuboritur, quæ & membranas, & cerebrum corrumpit, cum vitæ diſcrimine. Accedit, quod non detectâ membranâ, cum nempe totum os non educitur, quamvis parum moveatur, ut inquit *Hippocrates*, ſignis apparentibus læſionis partium internarum, fruſtra fuerit terebratio illa, uſque ad vitream tantum, dum os ſponte ſuâ abſcedit, quia pus ſupprimitur, ſuccedentibus poſtmodum jam dictis ſymptomatibus: cum terebrationis nullus alius ſit uſus, quam ut materia purulenta intus concluſa per foramen effluat; ego ſiquidem obſervavi, quod ſi à filamentis incautè applicatis, aut goſſipio vel fruſtulo aliquo oſſis pus coërceatur, membranæ ſæpiſſimè, & cerebrum corrumpantur, ut dixi; quam ſolam ob cauſam perforationem præſcripſit *Hippocrates*; quò exitus materiæ purulentæ pateat; ut proinde abſentibus ſymptomatibus non ſit in uſum vocanda, cum nudata membrana periculo plena ſit; quia ex *Hippocrate* ab aëre ambiente facilè læditur: contra verò, ſymptomatibus apparentibus, ſtatim perforandum totum os, cum id ſuperſtes non poſſit ſeparari, niſi ſpatio viginti, aut quadraginta dierum plurimùm, pure interim ſuppreſſo patientem interficiente; qua ratione adducor, ut cenſeam: hæc non eſſe verba *Hippocratis*, ac propterea codicem corruptum; quæ *Foëſii*, diligentiſſimi ipſius interpretis, etiam eſt ſententia.

## OBSERVATIO. IX.

### *De Cephalæa venerea, in ſene ſeptuagenario, Fonticulo, ſæpius terebra ſedato, tandem curato.*

QUidam Senex ſeptuagenarius, vitæ curriculo feliciter in firma valetudine ad ſexageſimum annum peracto, incidit *Anno* 1660. in atrociſſimum capitis dolorem,

lorem, qui adverſus præſentiſſima præſidia inconcuſſus permanebat, unde vitæ examine accuratius inſtituto, hic immanis dolor ex luis venereæ reliquiis oriundus deprehenditur, nam ſe ab ipſa pubertate diro veneris œſtro percitum libidini nimium indulſiſſe confitebatur, atque ſæpius digna laboris præmia reportaſſe; poſt curationem à variis tentatam me vocavit, intellecto, quod tot præſtantiſſima à magni nominis Medicis Chirurgiſque incaſſum adhibita fuiſſent remedia, non ulterius in Pharmacis ſed Chirurgia ſalutis ſpem collocandum eſſe pronuntiavi; atque ad Fonticulum in ſutura coronali propoſitum tres Collegas, *Franciſcum Galiard*, *Antonium Dylman*, & *Wilhelmum* à *Cogen*, convocari juſſi, ut mutuis ſuffragiis dicta operatio inſtitueretur; qui re intellecta mox conſentientes dicto loco Fonticulum inuri per Chirurgum *Theodorum Vennekool* voluerunt. Quo remedio brevi ab hac doloroſa furia ereptus vivit, ſed ut rectè Poëta cecinit:

*Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret.*

In idem relabitur vitium, dolor per triennium ſilens recrudeſcit tantoperè, ut ſtupor & mentis ſubſequeretur cum certis intervallis depravatio, dolore potiſſimum anterius bregma circa frontem dilancinante. Dum jam Fonticulo non miteſceret, ſuffragante *Samuele Coſtero* frontem terebravimus, nam oſſis corruptelam dicta ſymptomata oſtendebant: operatione peracta copioſa effluxit ſanies & oſſis corruptio apparebat, inde poſt aliquot dies dolore liberatus per multos menſes foramen retinuit apertum, nam propter oſſis corruptelam non alia ſuccreſcebat caro, quæ foramen obſtrueret. Vix elabitur annus, quin doloris patitur recidivam, quapropter non longe à prima perforatione molimur aliam, per quam non minor puris expurgabatur copia, quæ dolori inducias dabat. Tribus circiter elapſis menſibus prolabitur in Carum, ad quem vocati, ſpecillo os primum explorantes, vacillanſque deprehendentes, illud magnitudine imperialis eduximus tanta carie exeſum, ac ſi per decennium terræ fodinis fuiſſet obrutum. Sub calvaria loco membranæ duriuſcula & rubicunda apparebat caro, quod haud levem mortis metum nobis incuſſit, acceden-

te multa duræ matris cerebrique denudatione. Sequenti die, infirmo per magnum materiæ purulentæ effluxum ab alto ſopore excitato, ad cerebri tutelam rubricum & ſimplex pannum ſericum, nullove medicamento illinitum carnoſæ apposuimus ſubſtantiæ (cum neque pus, aliave materia aliam nobis ſuppeditabat indicationem) & ſuperimpoſito cerato barbaro in proximum elapſum annum incolumis vixit, quando febri epidemica ſublatus eſt. Hinc collige dictas operationes non tanto periculo, ut vulgò fertur, plenas; interim fatemur cum *Averrhoë*, monſtra quandoque in arte fieri.

## OBSERVATIO X.

### *De Muſculi temporalis Craniique vulnere, cum duræ meningis læſione, ſine terebra feliciter ſanato.*

Lanio empturus pecora *Anno* 1667. ad vicinas tendebat villas, ubi feſtivitate ſolemni celebrabantur paganalia, ſeſe ludo ſaltatorio immiſcens. Hic urbanus, dum ſe nimis familiariter erga ruſticas gereret, continuò à ruſticorum cingebatur corona, injuriarum cauſam quærentium. His ineptiis animadverſis lanio in acriora erumpebat dicteria, nam ubi plerumque vino provecti ſumus, mens officium non facit; ruſtici, qui nil aliud quam jurgiis tempus trahere, atque ad ipſum aliquam fabricam fingere quærebant, mox urbanum hunc hac occaſione ad cultri aciem provocabant, in quo certamine lanionis temporali muſculo diſſecto, cranioque diffracto, dura etiam lædebatur meninx, præter conſueta ſymptomata ex nimia hæmorrhagia mox animi patitur deliquium. Simulac uxor hujus Tragædiæ accepiſſet nuntium, me vocavit maritum cum ipſa viſitandi gratia; ad vulneratum accedens perſeverantem deprehendo hæmorrhagiam, quamvis ob lipothymiam debiliorem, cum ſanguis tunc ad interna recurrere ſolet, attamen adhibitis cunctis, quæ ſanguinis ſiſtendi vim habent, medicamentis, vino Rhenano aromatiſato refocillavimus, ægro domum reducto, vulnus tertia tantum die ob fluxus metum detegen-

Append. II. *Pag.* 680.
Obſ. XVII.



gendum conſulebamus, in prima deligatura muſculo unguibus ab oſſe ſeparato, abraſorio duntaxat ſcalpro affectum lævigavimus, dilatavimuſque locum, materia purulenta obſtructis naribus vi ex ſubjectis propulſa partibus, quia non erat terebrationi locus, oleo roſaceo ad ſeptimum inſtillato, vinum album mulſum abſtergendo vulneri injecimus. Poſt cujus uſum injectione, ex *Betonica*, *Matriſylva*, *Stæchade* paratâ, per quadraginta utebamur dies, quo temporis ſpatio necdum convaluerat æger, propter continuum ſaniei effluxum, ne acris iſta materia ulterius vicinas corroderet partes, cannulam plumbeam vulneri impoſitam per duos circiter geſtavit menſes. Continuus victûs error non modo cicatricem, aſſidua puris regeneratione impediebat, ſed & ægrotanti concitabat febrim, quæ majorem, quam vulnus ipſum, per viginti dies requirebat curam, ſed vulnere tandem *Balſamo occidentali nigro* conſolidato, juxta *Hippocratis* præſagium, impotentiam os diducendi retinuit, quia ſectâ parte muſculi temporalis, alia convellitur.

## OBSERVATIO XI.

### *De gravi ſyncipitis contuſione, neglecta terebratione, lethali, purulenta materia per poros cranii tranſſudante.*

DE ventis provincialibus, apogæis & auris, paſſim teſtantur Hiſtorici; talis eſt Atabulus in Apulia, Olympias in Eubæo, Circius in Narbonenſi Gallia; de quo ita *Seneca*: Circio autem, etiam ædificia quaſſanti, gratias tamen agunt Narbonenſes, tanquam ſalubritatem cæli ſui ei debeant, templumque illi, ut benefico, Cæſar *Auguſtus*, cum in Gallia moraretur, & vovit & fecit, qui hodiè & nomen & vehementiam retinet; lux Euangelica hac ſuperſtitione redemit Chriſtianos, qui ardentibus potius precibus apud ens entium, quam idolum inſtant, ut avertat plagas, quas tamen ſubinde Deus ſuis, ut reſipiſcant, imperſcrutabili immittit providentia. Talis apud nos *Anno* 1662. debacchabatur ventus, qui vix ædificium

reliquit intactum, & pluria concivibus attulit incommoda. Inter cætera angularis lapis *Joannem de la Riviere* Gallum, è burſa per plateam, quæ à cervis nomen habet, domum petentem, ſyncipite graviter contuſo, proſtravit humi, cum facultatum principum abolitione; hinc pro mortuo in ædes Chirurgi *Jacobi Block* delato, è conſilio expertiſſimi *Daymanni* ſecabatur vena, convenientia adhibendo topica, quibus quidem æger ad ſeſe redibat; ſed cum nulla doloris imminutione. Tertia die meum rogabat conſilium, quia ordinariam hoſpitis gerebam curam, caſus examine peracto terebrationem, ut ſummè neceſſariam, proponebam; ſed rejecto meo à ſenioribus medicis & amicis conſilio, curam, quia cutis integra, internis externiſque perficiebant pharmacis; ſed fruſtra, nam elapſis diebus ſedecim revocatus ſenſibilem deprehendebam tumorem, unde in opinione confirmatus in perforatione cranii perſiſtebam, ſed renuentibus amicis, & medicis frigidè ſuadentibus, operatio in vigeſimum primum differebatur diem, præcipuè quod natura per calvariæ poroſitates purulentam ſupra membranas & cerebrum hærentem materiam ad unam unciam tranſmitteret; ex qua rara obſervatione naturam expurgare judicabant, aſt ego contrarium ex nimia puris copia colligebam. Terebrato ægro copioſum emanabat pus, at ob labem à materia purulenta, ob nimiam moram cerebro impreſſam, æger ſexageſimo infortunii extinguebatur die: ſimilem notavimus errorem in quodam contuſo, dum ſplendida ampliſſimi viri *Cromboutii* ædificia in ipſo partu deflagrabant; Medicis pariter ac Chirurgis naturam pus expurgando ſatis validam indicantibus, ex eo quod ſanioſa materia per cranii poros tranſſudare conſpiceretur; nam in hac etiam operatione maximè *Hippocratis* Aphoriſmus attendendus; ſi quid movendum videtur, principio move, ſi terebrandum, addo, initio terebra.

OB-

## OBSERVATIO XII.

### *De vulnere Capitis corpus calloſum penetrante, cum enormi hæmorrhagia, feliciſſimè curato.*

FAmulus celeberrimi *Thomæ Opbemii* in Academia Lovanienſi praxin primo loco profitentis *Anno* 1653. à Leodicenſi infligebatur vulnus in medietate capitis, ubi falx dirimit cerebrum, ad calloſum penetrans corpus, ſanguine ex vaſis ſinuque diſſecto ad duas libras effluente. Hinc vulneratus lipothymia correptus à circumſtantibus credebatur mortuus. Viſo Hero patiens quaſi ab alto ſopore excitatus ſanguinem effudit denuò, inde mox Regius Archiater totum vulnus goſſypio uſto, multo ovi albumine, Bolo Armeno, & ſanguine Draconis replendum curavit, filamentis ſiccis ſupra goſſypium interjectis, & ſtuppa cum dictis pulveribus, albumine madidis, ſuperpoſitis ſanguinis ſiſtebatur curſus, tertio duntaxat die ſtuppa aridiſque filamentis cum exigua goſſypii uſti portione, ſublatis, reſiduum vaſis adhæreſcens relinquebatur intactum, donec tota pulverum quantitas ſenſim ſine ſenſu poſt decimam quartam fuerit ſeparata, ſanguine perſiſtente. Sanguis in minimis etiam arteriolis diaſtoles & ſyſtoles obſervans rythmum attendenti obvius erat, unde non immeritò magnus *Fernelius* aliique cor ad neceſſitatem cerebri conditum pronuntiarint; interea vulnus aptis digerentibus, dictiſque pulveribus, filamentis aridis exceptis, curabatur, à quorum uſu cerebrum rubrum, & carne coopertum circa vigeſimam cœpit apparere diem; quibus continuatis remediis, moderataque diæta, ſenſibili Dei auxilio feliciſſimè ſanitati reſtitutus eſt.

## OBSERVATIO XIII.

### *De gravi Epilepſia ferro ignito curata.*

EPilepſia inter reliquos humani corporis affectus facilè palmam obtinet, utpote quæ non modo amicos, ſed

ſed & ſaxea commovet corda, nam ex inopinata ejus acceſſione non duntaxat vulgus divini quid afflat, ſed etiam à Sapientiæ Antiſtibus ſacer dicitur morbus, quem, quo comprehendis minus, teſte *Tulpio* viro Conſulari *lib.* 1. *obſ.* 11. eo admiraris magis, latet quippe plerumque ejus cauſa, & abſconditi ordinis ratio defatigat etiam acutiſſima ingenia; cujus impetus in ægra noſtra *Catharina Johannis* filia adeò fuit efferus, ut non modò præſtantiſſima *Galenicorum* reſpueret antidota, ſed & decantatas *Chymicorum* tincturas deluderet, licet *Tulpius* maximoperè commendet in Epilepſia pilulas ſequentes:

℞. *Extr. Cathol. gr.* ij.
*Pil. Nitr. Trallian. vel*
*Veratr. nigr. vel*
*Pulv. hier. picr. Galen. gr.* IV. *M. F. Pil. pro re nata deglutiendæ.*

Paradoxis eorum exploſis, ferro, monente id *Hippocrate*, aggredimur curam *Anno* 1665. & cute tranſverſim ſecta, actuali cauterio ſuturarum coronalis & ſagittalis concurſum ſatis profundè inuſſimus dextrâ Chirurgi, eadem ratione, ut *in Tabula* 18. *Fig.* 4. depictum exhibetur, ichoroſo quotidiè per aliquot menſes exſtillante ſero, immunis etiamnum ab epileptico vivit inſultu; ulcere aliorum inſtar ſecundum artem curato, dum nulla recidivi circuitus formido ſubeſſet.

## OBSERVATIO XIV.

### *De Epilepſia in thoracis vulnere ex immiſſione turundæ orta.*

EX vapore acri, è quibuslibet corporis partibus tranſmiſſo, mentis arcem vellicatione turbante, morbum comitialem excitari, novum non eſt; ſed parti alicui tam exquiſitum ineſſe ſenſum, ut attacta duntaxat levi digitorum apice protinus nervus contrahatur, id me Herculè rariſſimum eſt, & præter unum *Fernelium*, qui ex ſimili occipitis attactu vertiginem obortam vidit, vix cuipiam fortaſſis obſervatum.

*Joannes Ruël* Gallus *Anno* 1664. prope Orphanotrophium, inter quartam & quintam vulneratus coſtam in proxi-

proximas deferebatur ædes; ubi epilepticis inſultibus ſe præbebat viſui horrendum, vulneris cura probè habita & mixtura antiepileptica præſcripta, ſummo mane ipſum mentis compotem deprehendimus; verùm Chirurgo ſpecillo explorante vulnus, novus ſuboriebatur paroxyſmus; quo extracto ceſſabat ſenſim, ſed immiſſâ recruduit turundâ, toties, quoties adhibebatur; unde omiſſis turundis, ſolis filamentis, digeſtivo roſaceo imbutis, ſine ullo ſimili inſultu brevi curatus temporis ſpatio eſt. Qui cum nunquam aliàs laboraſſet epilepſia, hi inſultus non aliunde traxerunt originem, quam quod irregularis motus nervi intercoſtalis cerebro delatus univerſum nervoſum ſyſtema in conſenſum traxerit. Sic bis tertianarum intermittentium paroxyſmos ſtata convulſione ſenſuumque privatione comitatos vidimus; quarum altera ſolo capite convellebatur, tam concinno oſcillationis rhythmo, ac ſi arte mechanica moveretur.

## OBSERVATIO XV.

### *De Aurium Polypo, ſurditatis auctore, ferro ſublato, cum reſtitutione auditus.*

OCcaſione nepotis quatuordecim annorum juvenis Leerdamo huc venit cum Genitrice, ægritudinis Hiſtoriam referente *An.* 1660. me conſulendi gratia pro ſanioſo aurium ſtillicidio, quod jam ab ipſis contraxerat incunabulis, tam fædo, ut non modò ſibi ſed & aſtantibus foret gravis. Audito, quod mater de valetudine ſollicita ubivis locorum anxiè, ob ſurditatem indies increſcentem, ſed fruſtra, conquiſiverat remedia, auris inſpeximus meatum, ubi fungoſam inſtar polypi deprehendimus ex iſta fœda lue luxuriare ſubſtantiam, quæ aëris ad tympanum ingreſſum omninò præcluderet; quapropter non alia via quam ſecando & urendo recuperandam eſſe ſanitatem judicavimus. Doloroſum hoc remedii genus abnuentes diſceſſerunt; ſed poſt ſemeſtre ſpatium reduces operationem hanc admiſerunt; facta accurata corporis expurgatione, & parato inſtrumento inſtar volſellæ, intus caro præciſa eſt, prout *Aquapendens* ad polypos extrahendos depinxit, quo ſæpius

pius in aurem immiſſo ſenſim omnis luxurians educta eſt caro; atque poſtmodum cauterio, per cannulam immiſſo, carnis reliquiæ inuſtæ ſunt, adhibitis tum medicamentis cruſtas removentibus, tum exſiccantibus, auditu reſtituto, inducta eſt cicatrix.

## OBSERVATIO XVI.

### *De Meliceride ſublinguali, ſpiritum intercipiente, quolibet menſe renaſcente, ferro ſublata.*

CORnelius *Theodori* filius Knollendamenſis, annorum quadraginta quinque, habitu gracili, balenarum capturâ victum quæritans, in itinere de dolore faucium cœpit conqueri: Chirurgus, nihil in ipſa animadvertens gula, varia dedit bechica, ut & reliqui Medici & Chirurgi, quos conſuluerat, jam patriam appulſus. Sed incaſſum, donec ſenſibilis tumor inter venas raninas ſubortus conſpiceretur, qui ſenſim ex aſſiduo materiæ affluxu increſcens ad ovi magnitudinem exporrigebatur per dextrum colli latus, juxta venas jugulares, carotideſque arterias ad unam faucium infra tonſillas & œſophagum, quæ mole ſua aſperam comprimendo arteriam difficilem valdè reddebat ſpiritum; quo per Chirurgum aperto detumuit tumor & facta liberior reſpiratio; verùm menſis intervallo in tantum augebatur, ut repetita operatione ſeſe à ſuffocatione præſervare cogeretur. Hujus menſtruæ regenerationis & operationis pertæſus adiit *Michaëlem von den Bogaert*, Chirurgiam in pago ad Zanam occiduo exercentem, qui ipſum ad me duxit *Anno* 1667.

Audito, quod curatio ſæpe cum infirmantis levamine ſola tumoris ſectione fuerit tentata, non tamen cum perfecta valetudine, conſului, ſi à præfocationis metu immunis velit vivere, hanc intumeſcentiam non duntaxat tumoris apertione, ſed ablatione eſſe curandam. Dum huic curæ ſeſe committeret æger, eam hac aggreſſi ſumus methodo, præmiſſa accurata corporis purgatione, humorumque revulſione, inferior tumoris pars longa inciſione aperta eſt, variis venarum ſurculis data opera diſruptis, & à ranulis divulſis, quò folliculus ob inter-

ce-

ceptam alimoniam contabeſceret; longâ turundâ liquore albuminis ovi madida ad tumoris fundum introductâ. Præſcriptâ convenienti diætâ, altera die juxta notatas lineas, ob majorum vaſorum præſervationem, amplas fecimus ſectiones in collo exteriori, ubi tumoris deſineret apex, ſimili turundâ immiſſâ, pulvis ex goſſypio uſto, cum ſanguine Draconis, & Bolo Armena mixto, inſpergebatur ad ſanguinis cohibendum fluxum. Hinc ad ſextum feriabamur diem, tunc omni inflammationis metu fugato, totum tumoris ſinum ferro candenti alternatim extra & intra os inuſſimus; atque ad ſeparationem eſcharæ in parte externa facilitandam utebamur digeſtivo ex *Terebinthina* & *Butyro Aqua Roſacea lotis*, *Vitello ovi & oleo Sambucino*; parte verò interna globulis melle Roſaceo imbutis, & ſic laudabile pure apparente unguento de Betonica & Tutia, de cornu cervi uſto, terraque ſigillata interius aſperſis, brevi ſine ullo tumoris regeneratione ſanitati reſtitutus eſt.

## OBSERVATIO XVII.

### *De Linguæ tumore venereo, quatuor digitos tranſverſos extra os prominente, feliciter reſtituto.*

NImias inunctiones Mercuriales in quodam infecto tantum fluxionis impetum in lingua concitaſſe *An.* 1666. obſervavimus, ut ipſa tumida quatuor digitos tranſverſos extra os promineret. Chirurgus viſo errore noluit vel ex pudore aut arrogantia admittere Medicum, ſed propriis navigans remigiis, ægrum in deplorando hoc ſtatu per quatuor detinuit menſes, ut lingua continuò aëre alterata ad tres incraſſeſceret digitos. Tandem amicorum minis coactus, miſerrima hac intellecta conditione, me admiſit. Conſpectâ monſtroſâ linguâ, præmiſſis univerſalibus, lotiones & ſetaceum admovimus cervici, affectæ linguæ inſperſimus pulverem ex *pipere*, *zinzibere*, *ſinapi* & *ſale decrepitato*. Quorum uſu mox mollior & mobilis fiebat lingua. Tertia die ipſa per vini ſpiritum rectificatum probè elota adeò emolleſcere cœpit,

pit, ut in os regeri poſſet, cum tamen illicò egrederetur. Sed in parte ſublinguali juxta ranulas quædam obſervans ulcera, aquâ albâ ex præcipitato albo paratâ abluenda, & profundas ſcarificationes circa ranulas faciendas curavi; qua methodo brevi temporis ſpatio evanuit tumor, & lingua intra proprios oris cancellos coërcita eſt.

## OBSERVATIO. XVIII.

### *De muto ſurdoque caſu curato.*

PEcorum præfectus illuſtris ac generoſi Domini de *Hardenbroeck*, congenita ſurditate & aphonia dedecoratus, certa feſtivitate ludens apud ruſticos trunculis, craſſiori baculo ita graviter percuſſus eſt, ut os occipitale in varias diffractum particulas conſpiceretur, à quo periti Chirurgi induſtriâ curabatur; in ſtatu convaleſcentiæ ſenſus auditus illi ſuccreſcebat, & inarticulata quædam balbutiebat, adeò ut ſoluto morbo à ſurditate & aphonia liberaretur.

## OBSERVATIO. XIX.

### *De Fiſtula in anteriori colli parte, infra laryngem, ex tumore immaturè curato, feliciter ſcalpro abraſorio ſanata.*

BErnardus *Theodori* filius, ſartoriam exercens artem, *Anno* 1660. ponte glacie incruſtato in truſatile decidens vehiculum, collares contundebat muſculos; unde ſubortus tumor malè curatus relinquebat fiſtulam inter utrumque aſperæ arteriæ annulum, utramque cartilaginem lædentem, quæ rimulæ efflabant ſpiritum, fiſtula incaſſum à variis medicaſtris tractata increſcebat indies, quo animadverſo noſtrum petebat æger conſilium. Re viſa & examinata, cartilaginis rimas Chirurgi dextrâ abradendas conſului; omiſſam tumoris apertionem, ut errorem in curatione commiſſum, deprehendimus, unde acrior puris materia coacervata per fiſtulam ſibi paraverat

rat exitum, quapropter læſæ cartilaginis rimas Chirurgi dextrâ abradendas conſuluimus; quo remedii genere accepto, præmiſſis univerſalibus per *Theodorum Vennekolium* prius integumenta juſſimus turundâ ex ſpongia dilatanda; deinde cartilagineis rimis utrinque ſcalpro abraſorio accuratè lævigatis filamenta prius duntaxat arida applicuimus; poſtmodum calloſâ ſubſtantiâ unguento Iſidis attritâ, globulis ex filamentis, unguento de tutia cum Iſidis mixto illinitis, cavitatem opplevimus; atque dictis globulis ſenſim imminuendo, cicatrix cerato diachalcitidos obducta eſt.

Hic venas jugulares nec non arterias carotides intactas obſerva, ſi ex vulnere punctim inflicto non mox exſpirent, & eo caſu turundarum cautio maximè habenda eſt, ne longitudine vel craſſitie integumenta excedant; ſed hæc breviſſima primò colliquato ovi albumine imbuenda ſunt, ſuperjecto linteolo duplicato per totum collum eodem ovi liquore, cum Bolo Armena & ſanguine Draconis tincto; per biduum dicta remedia non immutando, omni quippe induſtria puris generatio impedienda per venæſectiones, purgationes, cucurbitulas, tenuiſſimamque diætam, ne humorum fiat affluxus, qui vaſa corrodendo præſens mortis periculum ſæpe afferunt.

Vulneri collum penetranti utrinque breviſſima imponenda turunda modo ſupradicto; nec unquam curioſitas te ad ſpecillum ducat; quia facillimè cum proximo vitæ periculo vena aut arteria diſrumpitur.

## OBSERVATIO XX.

### *De Thoracis vulnere utrinque penetrante, ſine partium intermediarum læſione, facillimè ad felicem curam perducto.*

NIcolaus Petri, annorum circiter quadraginta quinque, ſocius maritimus, cum milite in ultimo Bello Anglico, dentatis primo commixtis verbis, in pugnas erumpebat; præſentium interceſſione dimicatione finita, liberaliore hauſtu, ut moris eſt, amicitiæ redintegrationem confirmabat. Sed ſceleſto animo miles mingentem ſocium ex improviſo perfodiebat; & relicto vulnerato fu-

gâ conſuluit ſibi. Ad hunc Chirurgi *Rutgerus Jacobi* & *Hermanus Hofman* vocati, in ſecunda deligatione diſſidebant, quoad uſum internorum vulnerariorum, prior horum uſum reſpuendo, ſummoperè commendando alter, ad diſſidii finem tertius vocatus poſteriori ſuffragabatur, prior tertio advenienti voto convictus Medici petebat judicium, cui facilè conſentiebat infirmus, qui ab ejuſmodi potionibus abhorrebat. Quarto ergo die vocatus, auditis diſſidentium rationibus, vulnereque inſpecto, deprehendi ægrum ἀπύρετον, & robuſtæ complexionis virum, qui nulla ferè vulneris patiebatur ſymptomata, nam diaphragma & pulmones illæſos oſtendebant ſigna; inde ſatius judicabam, vulneris conſolidationem potius alimentis euchymis & eupeptis accelerandam, quàm invitum ægrum tædioſis potionibus vexandum; unde relictis iſtis, ſolo ovi albumine, Bolo armena & ſanguine Draconis, mediante diætæ regimine, quatuordecim dierum ſpatio feliciter curabatur, cicatrice per emplaſtrum diapompholygos obductâ.

Ut errores in vulnerum thoracis curatione melius præcaveantur, penetrantia tanquam duplicis generis conſideranda; quorum altera, vaſis intercoſtalibus læſis, copioſum ſanguinem in ejuſdem cavitatem effundunt, altera, intactis vaſis & partibus internis, nihil cruoris immittunt. Prioris generis aquis Balſamicis & Balſamis non ſunt conſolidanda, quia exterius vulneris partibus adſtrictis pus in eorum cavitate relinquunt, unde empyematici oriuntur, ſed patula ſervanda ſunt, donec pure probè expurgato excitata jam ſymptomata prorſus evanuerint, debiliores adjuvando aqua hordei & mulſo, ad faciliorem puris expulſionem, quo ſubſidio non egent robuſti, qui paucis diebus totam materiam purulentam expectorant. Secundi generis vulnera, intactis vaſis & partibus internis, ut noſtri ægri erat, tutius & melius dicto albumine curantur, quàm multâ unguentorum farragine, mediante ope naturæ, & interna vulneraria in robuſtis coctiones viſcerum ſæpiſſimè impediunt, unde ventriculo ſubverſo poſtea commoda etiam reſpuunt alimenta, hinc eorum cura tardior fiat neceſſe eſt.

Impedita reſpiratio à pleriſque quidem habetur pro ſigno pathognomico puris ſupra diaphragma hærentis; verùm cum experientia doceat, quod quotieſcunque

pul-

pulmones non contingant pus, vel moto quin etiam ipſo diaphragmate illæſa ſit reſpiratio, nos febrim reſpirandi difficultate certius judicamus ſignum, quia minima etiam puris præſentia in thorace febriculam excitat, unde thoracis vulnera non claudenda, niſi infirmantes immunes ab ipſa aliquot vixerint dies.

## Observatio XXI.

### *De Vulnere Hepatis feliciter curato.*

ANno 1666. Vulnus Hepatis in *Joanne Nivel* Seriaceo, habitante in platea tranſverſa, quæ à roſis caninis nomen habet, ab ejus ſocio inflictum, cum lobi portione extra vulneris orificium prominente, intra viginti dies curatum vidimus, juxta methodum à *Foreſto* præſcriptam.

## Observatio XXII.

### *De Apoſtemate Hepatis inciſione curato.*

LÆſam hepatis ſubſtantiam facilè ſatis in corpore euchymo accreſcere & regenerari poſſe ſequens docet Obſervatio. *Anna Petri* in platea coriacea, diu de dolore hypochondrii dextri conqueſta, lapſu temporis in ſenſibilem incidit tumorem duriuſculum, qui jecorariam occupabat regionem; doloris impatiens poſt multa fruſtranea remedia Chirurgum *Guinandum van Didderen* vocat, ut inciſione ipſam à dolore liberaret. Hic rerum Chirurgicarum ſatis peritus, tumoris ſedem in muſculis judicans, ejus votis ſatisfacit; ſed abdomine ad peritonæum aperto nihil purulenti effluit: Hac ſectione turbatus me conſuluit, videns itaque tumorem non in muſculis ſed in ipſo ſubſiſtere hepatis gibbo, nihilominus aperiendum duxi, fruſtra enim juxta *Celſum* quæritur, an remedium ſit tutum, modo ſit unicum? Ægram itaque ſupra menſam pronam cubare juſſimus, ne inciſione facta purulenta materia in abdominis capacitatem diffflueret. Juſta puris quantitate educta vulnus turundâ ovi albumine tinctâ implevimus, præparatis interim cannulis plumbeis, per quas ſine ſtillicidio in abdominis capaci-

 ta-

tatem expurgetur commodius, ſarcoticis & epuloticis cicatricem induximus.

## OBSERVATIO XXIII.

### *De perforato Fiſtulis Veſicæ collo prope urethram, ex acrimonia puris venerei, in ſcrotum & inguina penetrantibus, præter ſpem reſtituto.*

QUidam multis ad curam luis venereæ fruſtra tentatis remediis me *Anno* 1666. acceſſit, de inſolita urinæ per ſcrotum & inguina excluſione conquerens; membro genitali detecto, varias deprehendimus fiſtulas, è quibus conſpicimus effluentem urinam, infelici ſatis prognoſtico muniti, dextrâ Chirurgi *Guinandi à Didderen* aggredimur curam, præmiſſis generalibus continuis utebamur decoctis, fiſtulis interea turundis ſenſim craſſioribus & unguento de Betonica dilatatis, in inguine primam molimur ſectionem, non ultra integumenta, quamvis ad collum veſicæ forent perviæ. Poſtea turundam ſub vaſis ſpermaticis, juxta quorum ductus utrinque ſerpebant fiſtulæ, ad fundum alterius fiſtulæ immiſimus, vaſis hiſce tranſverſis ulteriorem ſectionem prohibentibus, has ſerpentes fiſtulas eouſque ſenſim forcipe dilatavimus, donec planam ſine vaſorum labe nobis pararemus viam pro globulis unguento Iſidis & ex Betonica miſtis imponendis; quâ methodo aliquot uſi dies, & ſeminis & urinæ obſervavimus decrementum, eàdemque per trimeſtre continuatâ ſpatium, variis injectionibus pro diverſa intentione utebamur, adjectâ aliquando Ægyptiaci portiunculâ, ad ſpongioſæ carnis callique abſumptionem. Poſtea hoc artificiale præſcribebamus Balneum, cum naturalia nobis negavit natura;

℞. *Rad. Pyrethr.* ℔j.
*Herb. Roriſmarin.*
*Fol. Querc. ana* ℥ij.
*Salv. Majoran. Menth. Spic. indigen.*
*Hyſſop. Chamæp. Thym. ana* ℥j.
*Flor. Chamom. Melil. Verbaſc. Hyper. ana* ℥ß.
*Bacc. Junip. Laur. ana* ℥vij.

*Sulph.*

*Sulph. citr.* ℔iiij.
*Sal marin.*
*Tartar. alb.*
*Nitr. ana* ℔ß.
*Lumbric. terreſtr. ſpir. vin. lot. & exſiccat.* ℥vj.
*Coqu. in aqu. com. ad balneum ut eſt artis.*

Quo decocto etiam injectiones fiebant, quâ methodo & turundis unguento illinitis duntaxat ex Tutia & Iſidis miſtis, præter ſpem incolumis diu deſideratam recuperabat valetudinem.

## OBSERVATIO. XXIV.

### *De morbo Gallico ſæpius cereveſia medicinali curato.*

HÆc ſingularis luis venereæ videtur pœna, quod affecti morbum ejuſque curam inviti ſimulare debeant, ut eorum miſeriæ etiam tacitè ſubveniamus, Ars variam invenit methodum; nos ſæpe feliciter hac cereviſia & condito ſine ullis aliis remediis varios curavimus.

℞. *Raſur. Lign. Sanct.* ℔ij.
*Cort. ejuſd.* ℔ß.
*Rad. Chin.* ℥v.
*Salſaparill.* ℥viij.
*Lign. Saſſafr.* ℥vj.
*Cinnam. acutiſſ.* ℥ij.
*Sem. Aniſ. Fœnicul. ana* ℥j.
*Cort. Citr.* ℥ij.
*Groſſo modo inciſa & conquaſſata indantur ſacculo oblongo ex Syndone, & melioris notæ cereviſiæ, antequam efferbuit, indantur.*

Qua pro ordinario potu utendum eſt, ſubinde veſperi aſſumptis pilulis purgantibus, & Bolo ex hoc condito.

℞. *Pulv. Lign. Sanct.* ℥ij.
*Cort. ejuſd.* ℥vj.
*Conſ. rad. Cichor.* ℥iij.
*Roſ. rubr.* ℥ij.
*Flor. Salv. Roriſmar. ana* ℥j.
*Condit. Mirobalan. emblic. nr.* v.

*Rad. Scorzon. cond.* ℥ß.
*Cort. Citr. condit.* ℥jß.
*Sp. diatr. Santal.*
*Diarrh. Abbat. ana* ʒij.
*Syr. de cort. citr. q. ſ. M. F. Electuarium.*

## OBSERVATIO. XXV.

### *De inveteratis Tibiarum ulceribus empiricè curatis.*

ANno 1664. inveterata tibiarum ulcera *Joannis Chriſtophori*, Panni-tonſoris in quodam novi aggeris angiportu, poſt varia fruſtra tentata remedia, foliis *Agrimoniæ* duntaxat curavimus, ſpatio dierum quatuordecim mane & veſperi ea renovando, cujus pulvis aſſumptus in *Hernia* ab *Avicenna* valdè commendatur.

Dum tibia *Corneliæ Joannis* in nova Lilienſi platea, præſentiſſima illuſiſſet remedia, ſtercore ovillo in vino veteri cocto reſtituta eſt; & quia tales caſus Chirurgis frequenter occurrunt, in belgico exemplari varias probatas adjecimus formulas, ex quibus primariæ ſunt.

℞. *Ceruſſ.*
*Litharg. aur.*
*Myrrh. ana* ℥j.
*Ol. roſar. q. ſ.*
*Coqu. ſ. art. ad conſiſt. Unguenti.*

℞. *Antimon.*
*Ceruſſ. lot. ana* ℥ß.
*Lithargyr. Plumb. uſt.*
*Terebinth. ana* ℥j.
*Ol. roſ. compl.* ℥ij.
*Cer. alb.* ℥j. *F. ſ. a. Ungu.*

℞. *Lap. Calam.* ʒiiij.
*Litharg. aur.* ℥j.
*Ceruſſ.* ʒß.
*Ol. Roſar.* ℥iiij.
*Seb. renum Mutonis.* ℥ij.
*Cer. alb.* ʒj.
*Vin. alb. generoſ.* ℥iiij.
*Terebinth.* ℥j. *F. ſ. a. Unguent.*

Sic

Sic tibia *Henrici Stoutenberg* famuli plumbarii, ſpretis quibuſvis remediis, repetitis venæ ſectionibus in pede reſtituta eſt.

## OBSERVATIO XXVI.

### *De mirabili Ulcere ſarcotico.*

JUlius *Goethuyſen* Ordinarius Lutheranorum Chirurgus me ad *Nicolaum Nicolai Hamburgenſem* conduxit, mirabile ejus ſarcoticum ulcus videndi magis quam curandi gratiâ; quo conſpecto tam rarum obſervavi, in tali forma, quali ad vivum depicta *in tabula decima nona* exhibetur; ungulam enim merè referebat caballinam cum tanto fœtore, ut in deligatione fugaret uxorem & domeſticos; imo pictorem, ſi non precibus & pretio eum retinuiſſem; ejus abſciſſa lamina aquâ macerata lardi induebat ſpeciem; tantus etiam facilis aderat ſanguinis fluxus, quin leviſſimo attactu difflueret. Prima ejus origo proculdubio fuit ex oſſe corrupto, quam corruptionem indicabant ſanata ulcera, continuo per varios annos recrudeſcentia, qua exulceratione pedis jam multos laboraverat annos, quam in Angola, dum operam in cædendo ſylvas navabat, ex infortunato ictu conceperat. Sed ante trienne ſpatium primo fungoſa conſpiciebatur glandula, quæ indies increſcendo, ſpretis cunctis remediis, tam magnam & mirabilem ſuſcipiebat formam.

## OBSERVATIO. XXVII.

### *De ſarcotico Tibiæ ulcere, ex arteria alimoniam acquirente, ferro ſublato.*

KRinius *Jacobi*, annorum viginti trium, in interiori tibiarum parte, digitorum tranſverſorum quatuor menſura ſupra talum, tereti decorabatur tumore, caput infantis fere adæquante. Hoc carnoſum ulcus arteriâ, quæ ſurculos in tumoris immittebat radicem, alebatur, ob latitudinem indevincibile; inter ambulandum altero pede attritum mox multum profundebat ſanguinem, quod

quod difficilem minabatur exſtirpationem; attamen ſectio hac methodo tentabatur, arteriâ popliteâ internâ tereti & duriuſculo ſplenio, urticæ ſucco imbuto, juxta tibiæ longitudinem per convenientes faſcias arctè deligatâ, exterius oppoſita tibiæ parte eodem devinctâ modo, nec non paratis cauteriis, ſi neceſſitas forſan urgeret, ſiniſtrâ Chirurgi apprehendebatur tumor, & ſecabatur, ut nulla arteriæ fluxio ſubſequeretur. Cataplaſmate ex medicamentis ſanguinis fluxum ſiſtentibus per 24. horas appoſito brevi laudabile apparebat pus; & ſic brevi ad cicatricem perducebatur. Tantum docet ſanguinis circulatio, qua ratione per ligaturas ſanguinis fluxus impediri poſſit, ut eo ſecurius Chirurgus operationes perficiat. Simili modo carnoſum ulcus *Gisberti Joannis* operâ *Petri Molenſteen* abſtulimus.

## OBSERVATIO XXVIII.

### *De Sphacelo totius ſcroti feliciter regenerati.*

VIctrix natura *Gerardi Ferrare* in platea Leporina, acutiſſimâ per biduum luctata febri, materiam morbificam detruſit ad ſcrotum, die vigeſima ſexta Decembris 1669. quo ad capitis increſcens magnitudinem acerrimum in parte maxime ſenſibili inferebat dolorem; me non invenientes domi vocarunt alium Medicum, cum eſſet periculum in mora, qui cum Chirurgis cataplaſmata aliaque topica repellentia & anodyna præſcripſerat. Domum reverſus, cum non eſſet facta renunciatio, ægrum accedens, viſis tumore & remediorum formulis, tacitè innuebam hæc remedia in tam extremo caſu non ſufficientia; quo prognoſtico derelinquebam ægrum, poſt duos revocatus dies, Chirurgis teſticulorum exſtirpationem proponentibus, ſphacelatum deprehendi ſcrotum; hanc renuens caſtrationem ſeniorem convocari juſſi collegam celeberrimum virum *Arnoldum Tholingium*, aliiſque Chirurgis *Daniele Floriano* & ſocio ab amico accerſitis, facto accurato caſus hujus examine exſtirpatio à nobis rejecta, & prioribus repudiatis Chirurgis *Danieli Floriano* commendata eſt cura, quam ad laudabilem perduxit finem, ad aliorum inſtructionem, ut ſe non tam

tam faciles ad caſtrationem exhibeant; nam ſervatis teſtibus univerſum ſcrotum ſine ullo defectu regeneratum eſt.

Eodem anno ſimilem obſervavimus caſum in *Cornelio Jacobi* filio, in pago Weſtzanen habitante, ad cujus ſcrotum ex nimia laborum defatigatione humores decumbebant. Hunc ſubitaneum tumorem herniam Chirurgi Sardamenſes judicantes varia ad repoſitionem adhibebant remedia; hinc parte tam ſenſibili nimis defatigatâ magna ſubſecuta eſt inflammatio & tandem gangræna; unde Harlemo vocati Chirurgi caſtrationem urgebant, aſt ego à Chirurgo ejuſdem pagi *Michaële van den Bogaert* convocatus acriter reſiſtebam, curamque ea methodo, qua ſuperior, dicto commendabam Chirurgo; qui annuente Deo ſervatis teſticulis regeneratoque ſcroto ad felicem perduxit exitum.

## OBSERVATIO. XXIX.

### *De Hæmorrhagia aceto roſaceo in aurem inſtillato curata.*

ENormem narium hæmorrhagiam *Giſberti Theodori Anno* 1657. poſt varia fruſtra tentata remedia, ex præſcripto *Scriboni Largi*, Aceto Roſaceo in aurem frigidè inſtillato feliciſſimè curavimus. Quo erudimur, in caſibus deſperatis remedia, quorum operandi modum non aſſequimur, haud eſſe contemnenda.

## OBSERVATIO. XXX.

### *De pyriformi Uteri excreſcentia filo ſublatâ.*

QUædam maritata circa uteri ingreſſum obſtacula ſentiens paulatim ad virum recipiendum evadebat inepta, hujus mali pertæſa coacta fuit alterius implorare operam; unde primò Medicaſtrorum remediis fruſtra tentatis Medicum Chirurgumque vocat, qui conſpecto tumore inſtar pyri per interna externaque medicamenta aggrediuntur curam, ſed incaſſum, donec dextrâ magiſtri *Ottonis*

*Pool* filo ligata excreſcentia ſenſim emarceſceret ob alimoniæ defectum, relictâ exiguâ inſtar mori portiunculâ, ſine ullo coïtus impedimento; quæ poſtea caſu ad eandem increſcens magnitudinem eodem ſublata eſt modo.

## OBSERVATIO. XXXI.

### *De pectorum Hydropicis perperam pro pleuriticis judicatis.*

JOannes *Franciſci* filius per plures annos aſthmaticus in acutum lateris incidit dolorem, comitata tuſſi & febri, quo ſigno pathognomonico à priori Medico repetita venæ ſectione doloris quærebatur levamen, ſed fruſtra: poſtea ego ad agonizantem vocatus mirabar, quod iſta generoſa remedia tempeſtivè adhibita nihil profuiſſent, aſt ex emulſionibus parum levaminis ſuſcipiebat, inde extincto ægro cadaveris apertionem expetebam ſedulò. Pectore jam diſſecto, univerſus thorax aquis conſpiciebatur plenus, cujus ſalſæ particulæ nimio motu agitatæ hujus doloris proculdubio extiterunt cauſæ. Quamvis jam hic lancinans dolor medicamentis acrimoniam obtundentibus pro tempore potuiſſet mitigari, malum tamen noſtro judicio erat incurabile, niſi paracenteſi tentata fuiſſet curatio.

Circa idem tempus ſimilem obſervavimus caſum in lapicida per multos annos difficulter ſpirante, in cujus cadavere etiam pectoris obſervabatur hydrops, iſtorum malorum auctor; quæ exempla docent in inveteratis aſthmaticis ſæpius, forſan ac nos judicamus, thoracis ſubeſſe hydropem, quorum cura potius ſectione quam tædioſis aggredienda pharmacis; cum paracenteſin in pectore multo minus periculoſam judicarem ac in abdomine, quia prioris contenta viſcera crudo externoque aëri magis aſſueta ſunt, quam poſterioris; nec pulmonibus adeò obeſſe poteſt externus, quam viſceribus alimentorum coctionibus dicatis.

## *Obſervationes communicatæ à clariſſimo Viro* Isbrando de Diemerbroeck, *Medicinæ Practicæ & Anatomes Profeſſore in Academia Ultrajectina.*

## Observatio XXXII.

### *De Capitis tinea ob remedia incongrua lethali.*

ADoleſcens 12 annorum, filius quæſtoris cujuſdam Juliacenſis, à pueritia laboraverat capitis tinea. Multa à multis incaſſum adhibita fuêre remedia. Conſilium dedi de non adhibendis multis remediis, præcipuè topicis repellentibus, cum malum illud mutatione ætatis & victus mutatum iri crederem. Mater ægri, mali pertæſa, gloriabundi cujuſdam Agyrtæ conſilio, neſcio quibus non lotionibus caput quotidie lavit, variaque unguenta inunxit, atque ſic tinea brevi ſanata fuit. Sed paucis poſt illam curationem diebus cœpit æger de intenſo capitis dolore conqueri, quo indies magis magiſque increſcente, epilepticæ convulſiones primo leniores & rariores, poſtea vehementiſſimæ ac frequentiſſimæ acceſſerunt, quibus 22 *Auguſti Anni* 1640 miſerè extinctus eſt. Capite poſt mortem aperto, invenimus totam duram meningem rubro colore ſuffuſam, & ſuperiore parte, verſus ſiniſtrum latus, omninò nigricantem. Hac diſſectâ, effluxit ichor quidam aquoſus ſubnigricans, qui inter utramque meningem ſubſtiterat. Pia mater nonnihil ex obſcuro flaveſcebat. In cerebri ventriculis paucus humor aquoſus ſubviridis continebatur. Nimis ſubita pororum cutis conſtrictio per topica adſtringentia & repellentia vitioſos & acres humores, foras excerni ſolitos, intus detinuerat, & dictorum malorum, tandemque mortis cauſa fuerat.

## OBSERRATIO. XXXIII.

### *De Hydrocephalo externo ſectionibus curato.*

MUlieri quadragenariæ, diu crudeli capitis dolore interno detentæ, tandem media hyeme caput extrinſecus valdè intumuit tumore œdematoſo, imò in tantum ut ferè duplo majus videretur, & oculi amplius aperiri non poſſent, aureſque ad pollicis craſſitiem intumeſcerent. Per hanc humorum metaſtaſin internus acutus dolor evaſit externus, multoque levior. In curatione autem caput variis parvis vulnuſculis lanceola hic illic perforari juſſi, è quibus ſeroſus liquor copioſus exſtillavit, ſicque caput paucis diebus multum detumuit. Adhibitæ etiam fuerunt fomentationes & cucuphæ ex cephalicis calidis ac diſcutientibus confectæ, & ſic ægra convaluit ab hydrocephalo, in infantibus quidem raro, ſed in adultis rariſſimo.

## OBSERVATIO. XXXIV.

### *De fiſſura Cranii trepano reſtituta.*

VIro 34 annorum per plateam eunti per infortunium grave lignum, ab alio imprudenter per altam feneſtram projectum, in caput decidit, ipſe attonitus concidens, pro mortuo in vicinas ædes delatus eſt, ſanguine è naribus profluente. Poſt horam nonnihil ad ſe rediit; ſed tota nocte deliravit. Poſtridie omninò ſanæ mentis evaſit, & ad conſueta negotia ſe contulit, ſuperſtite tamen gravativo quodam, ſed non magno, capitis dolore. Tertia die, cum meum conſilium expeteret, totamque mali hiſtoriam enarraret, ex omnibus indiciis judicavi cranium ei fiſſum aut depreſſum, atque hinc quamprimum trepano aperiendum eſſe, ut paucis diebus imminens mortis periculum evitari poſſet. Eo conſentiente, & corpore leviter purgato, in dextro bregmatis oſſe (quo loco maximè conſpicua erat contuſio) crucialem fecimus inciſionem, & pericranium cum cute à cranio diſſolvimus. Poſtridie duas invenimus fiſſuras ſatis magnas,

gnas, & particulam oſſis nonnihil depreſſam. Cranio in parte firma proxima trepano perforato, effluxit ſanguinis circiter ℥j. qui inter cranium & duram matrem ſubſtiterat, & ibi relictus ac putreſcens, tandem convulſionis, febris, & mortis cauſa fuiſſet. Poſtea vulnere ſecundum artem ſanato, æger ab imminenti periculo fuit liberatus.

## OBSERVATIO. XXXV.

### *De Cranii depreſſione ſpiritu vini curato.*

PUella trium annorum per cubiculum titubando incedens cecidit in faciem, frontemque illiſit in vaſculum quoddam ligneum, ita ut cranii fieret depreſſio oblonga tantæ profunditatis, ut calamus ſcriptorius tranſverſim imponi potuiſſet: propter oſſis mollitiem illa depreſſio ſeſe ulterius ad vicina oſſa non extendit. Cum linteis quadruplicatis mox ſpiritum vini imponi, & ter quaterve de die renovari juſſi, atque ſic ſine ulteriori aliquo apparatu intra paucos dies convaluit, depreſſione manente, nulloque incommodo ſubſequente.

## OBSERVATIO. XXXVI.

### *De magna Cranii fractura & meningum ruptura ſine trepano curata.*

FIliolo *Theodori Baertjens*, puello ſeptem annorum, graviuſculus baculus obtuſo acumine ex alto cecidit in caput pileo tectum: attonitus ac pro mortuo domum delatus eſt, ſanguine ex naribus, & oculis proſiliente. Ad eum vocatus, ſenſi magnam in bregmatis regione cranii depreſſionem & fracturam. Aperta atque detracta cute, vidimus oſſa ad latitudinem magni nummi ducatonis diffracta, & ad craſſitiem pollicis introrſum verſus depulſa; imo & ipſam cerebri ſubſtantiam inter fiſſuras nonnullis in locis tranſeuntem. A bregmate ſub cute extendebatur eadem fiſſura uſque ad ſummitatem naſi, eaque in fronte & prope naſum adeò lata erat, ut calami ſcriptorii

ptorii

ptorii craſſitiem admittere potuiſſet. Chirurgis trepano cranium aperiendum, & diffractæ oſſis particulæ eximendæ videbantur; nobis illud conſilium diſplicuit, quandoquidem exemptis iſtis particulis nihil erat, quod cerebri ſubſtantiam loco ſuo continere poſſet, quæ membranis diſruptis, modo per fiſſuras exire conſpiciebatur. Vulnere igitur in dicto ſtatu relicto, convenientia fomenta impoſita, totique capiti circumjecta fuêre, alvus laxata, & conveniens victus ratio à nobis præſcripta eſt. Tertia die intumuit frons, hinc cutem paulo ſupra naſum è regione fiſſuræ pertundi curavi: è quo vulnuſculo per aliquot dies copioſus ſanguis cum pure effluxit, ſicque æger multum levatus eſt. Tali modo proceſſimus in curatione per quinque ſexve hebdomadas, & ſic puer ille, præter noſtram & omnium exſpectationem ſanatus eſt, profunda iſta depreſſione in capite remanente, nullumque in actionibus animalibus incommodum ſubſequente: duodecimus jam agitur annus, quo benè ſanus poſt dictam curationem vivit.

## OBSERVATIO. XXXVII.

### *De Cranii fiſſura & duræ meningis gangræna trepano curata.*

Æ*Gidius Spruyt*, Nauta, menſe *Aprili Anni* 1661. in dextro bregmatis oſſe lapidis ictu graviter vulneratus fuit, cum magna cranii fractura & depreſſione. Perforatione trepano facta, exemimus diffracta oſſa ad latitudinem Thaleri imperialis. Duram matrem à contuſione iſta graviter læſam invenimus, quæ & ipſa poſt paucos dies nigricans ſpontè ſeparata, & eadem latitudine exempta fuit. Poſtmodum carne, præter exſpectationem, ex tenui meninge largiter ſuccreſcente, viceſque duræ meningis ſubeunte, ac ſeſe cum carne ex diploide orta conjungente, deſperatus æger, qui jam cum Charonte de naulo paciſci videbatur, ſanatus fuit, & jam nono poſt curationem anno pancraticè vivit.

# OBSERVATIO. XXXVIII.

## *De occulta Cranii fiſſura, morâ trepani minitante lethum, inopinatò reſtituta.*

*Lambertus Looſecoot*, nobilis Bataviensis, circiter 25 annorum, 7 *Martii Anni* 1637. à generoſo, cui inſidebat, equo excuſſus, caput in vicinam trabem illiſit. Mox vomuit, & aſſurgens, vertigineque correptus, bis terve rurſus concidit. Tandem equum rurſus conſcendens domum venit, inſcius quod ab equo cecidiſſet, & quaſi deperditâ omni memoriâ, penitus inſcius, quid ſibi contigiſſet, aut ubi fuiſſet. Dum pileo contectus fuerat, atque hinc nullum vulnus, nullaque manifeſta contuſio in capite apparuit, etſi gravia ſymptomata maximam cerebri & cranii læſionem indicarent, ſuaſi cranii apertionem, ſed eam non admiſerunt conſanguinei, qui curationem ſoli Chirurgo committendam cenſuerunt. *Die* 15. *Martii* doloribus capitis acerbiſſimis ægrum excruciantibus, & ſimul febre, delirio, validiſſimiſque convulſionibus accedentibus, rurſus meum conſilium imploratum eſt, & unicè petitum, ut cranium trepano perforarem: quod renui, propter ſigna lethalia, quæ modo aderant. Poſt biduum ægro in eodem miſerabili ſtatu permanente, & conſanguineis obnixè cranii perforationem rogantibus, die 18. *Martii* facta ſectione, carnem in poſtica bregmatis parte diſſolvimus, ac poſtridie cranium ibidem perforavimus, idque magna cum moleſtia, propter deliria & convulſiones intercurrentes: cum autem per cranii foramen nihil effatu dignum efflueret, ferramento nonnihil plano & obtuſo per foramen immiſſo duram meningem depreſſimus, & ſic è capitis latere cum impetu exſiliit multum ſanguinis & puris, ægerque ſequente nocte à delirio, febre, & convulſionibus omninò liberatus, atque poſtmodum, præter omnium opinionem, integræ ſanitati reſtitutus eſt. Cujus exemplo docemur, in curationibus ægrorum interdum (ut inquit *Averrhoës*) monſtra fieri, & maximè deſperatos ægros inſperato remedio nonnunquam ſervari: ac proinde non ſemper derelinquendos eſſe eos, in quibus deplorata ſigna omnem ſalutis ſpem amputare videntur.

OB-

## OBSERVATIO XXXIX.

### *De affectu Soporoſo trepani ſublato uſu.*

JOannes Tieleman, Juvenis 23. Annorum, media nocte ex altiore feneſtra decidit in caput duro pileo contectum. A prætereuntibus caſu inventus fuit, qui cum illum, jam caro oppreſſum, valdè ebrium eſſe exiſtimarent, atque hinc ad lectum detulerunt, ut ibi crapulam edormiret: verùm cum toto biduo non expergiſceretur, me vocarunt. In capite nullum vulnus, ſed aliquam contuſionem in bregmatis regione inveni, hinc judicavi à caſu ipſi depreſſum fuiſſe cranium, idque trepano aperire ſuaſi. Conſentientibus amicis, mox cutis in bregmate inciſa, & cranium denudatum fuit. Poſtridie depreſſionem cum fiſſura circulari invenimus, & in proxima firma parte perforationem trepano inſtituimus, quâ lato foramine facto, immiſſis inſtrumentis depreſſam partem elevavimus, atque ſic illicò æger, qui inſtar mortui jacuerat, ad ſe rediit, & quaſi redivivus ſuis reſtitutus fuit.

## OBSERVATIO. XL.

### *De contumaci Hemicrania infortunio ſublata.*

SUſanna Linſen per ſex ſeptemve annos crudeliſſimis capitis doloribus, iiſque fere continuis, miſerrimè excruciata fuerat, quos Medici nullis remediis tollere potuerant. Sed quod ars nequivit, hoc efficere potuit caſus fortuitus. Illa quippe cum 6. *Novembris Anni* 1641. magna ventorum tempeſtate exiſtente, per plateas domum feſtinaret, fortè antiqua quædam feneſtra è ſummis ædibus decidit in ejus caput. Hinc planè attonita concidit, ſanguine è naribus, ore & oculis erumpente, & ſic ad lectum delata fuit: ſed poſtea nonnihil ad ſe rediens, tota nocte deliravit. Invenimus in regione bregmatis vulnus mediocris magnitudinis, & ſatis manifeſtam oſſis depreſſionem cum notabili fiſſura percepimus. Quapropter conſultum duximus mox in loco læſo magnam

gnam inciſionem facere & cranium denudare, quod poſtridie in parte vicina firma trepano perforavimus. Tunc exemptis diffractis oſſis particulis, & effluente ſanguine ſub iis latente, ſtatim ceſſavit delirium: & ægra poſtmodum commodis remediis perſanata, ex tanto tamque periculoſo infortunio illud beneficii conſecuta eſt, quod ab iſtis crudeliſſimis capitis doloribus omninò libera remanſerit.

## OBSERVATIO XLI.

### *De vulnere Capitis, ubi globulus plumbeus cranii & meningis partem abſtulerat, feliciter conſolidato.*

B*Ernhardus Glumer*, miles Juvenis, cum hoſtibus ad Moſam fortiter pugnans, ictu bomdardæ vulneratus fuit in ſummo capite. Globulus plumbeus oſſis bregmatis dextri partem anteriorem non modo penetraverat, ſed in tranſitu ejuſdem partem, una cum duræ meningis portione abſtulerat: tenuis meninx ad digiti latitudinem nuda, ſed illæſa relicta fuit. Miles ab ictu mox caroticus concidit, & ſic ad noſocomium Noviomagenſe delatus fuit, *die* 17 *Aprilis Anni* 1643. Tertia die è ſopore evigilans ad ſe rediit, & poſtea convenientibus adhibitis remediis integræ ſanitati reſtitutus fuit.

## OBSERVATIO XLII.

### *De incurabili Raucedine.*

RUſticus Hollandus, in conflictu quodam vulnus recepit in colli latus dextrum, circa jugulum. Caſu nullum magnum ſanguiferum vas læſum fuit, ſed ſtatim ab inflictione vulneris raucus evaſit, ut vix loquela ejus audiri poſſet. Sanato vulnere remedium ad iſtam raucedinem à me petiit. Dixi immedicabile malum eſſe, propterea quod iſtius lateris nervus recurrens eſſet præciſus: ſi in altero latere etiam alter præciſus fuiſſet, planè aphonus vivere debuiſſet.

## OBSERVATIO XLIII.

### *De Vulnere thoracem & pulmones penetrante uſu lactis caprilli curato.*

*ANno* 1636 *menſe Majo*, Juvenis quidam Eques, in conflictu equeſtri ictu bombardæ vulneratus fuit in thoracis dextro latere circa mammillam, tribus globulis plumbeis pectus & dextrum pulmonem tranſeuntibus, atque in tergo circa ſcapulam tribus diverſis foraminibus rurſus exeuntibus. Cum Noviomagum ad nos delatus eſſet, illum filium mortis eſſe dixi. Interim tamen ex petitione amicorum, omne remedii genus per multos menſes adhibitum, plurimumque ſanguinis ſpumoſi, cùm per vulnera, tùm tuſſi evacuatum eſt. Tandem cum prorſus emaciaretur, & jam à longiore medicamentorum uſu penitus abhorreret, ſuaſi, ut quotidie ter de die hauſtum lactis caprini recens mulcti biberet. Hoc uno inſperato remedio, præter omnem exſpectationem, paulatim vires reſtauratæ & vulnera conſolidata ſunt, adeoque reſtitutus eſt æger, ut undecimo menſe rurſus foras prodierit, & poſtea diu ſanus vixerit. Hic procul dubio unus ex ſex millibus notandus venit, qui è tali periculoſiſſimo vulnere evaſit.

## OBSERVATIO XLIV.

### *De inverſa Alvo.*

THomas *Adelaer*, vir ſexagenarius, herniam inteſtinalem in inguine ſiniſtro multis annis habuerat. Tandem *Anno* 1637 *menſe Septembri* inteſtinum, quod in herniam inciderat, flatibus & fæcibus repletum, per violentiam eorum, qui illud vi repellere conati fuerant, diſruptum fuit, ita ut ſtercora in herniæ capacitatem illaberentur. Ab hac proluvie gangræna, cùm intolerabili fœtore parti inducta fuit, câque brevi putrefactâ, ſtercora per herniam foras profluxerunt, per anum verò nulla. Gangrænoſis partibus per impoſita medicamenta ſeparatis, vidimus non tantum ruptum ſed omninò tranſverſim abru-

ruptum eſſe tenue inteſtinum, ejuſque partem ſuperiorem foras propendere, ac per eam ſtercora defluere. Hic abrupti inteſtini finis temporis progreſſu carnoſum evaſit, & quaſi carneum annulum adeptum eſt, qui annulus cum vicina carne coaluit, ita ut inteſtinum hoc loco ſemper fixum & apertum remanſerit, atque inde ægro præter voluntatem ſemper fæces effluxerint: qui poſtea cacabum parvum æneum molli corio foris inveſtitum, huic parti adaptatum, ſemper appenſum geſſit, ſic, reliquâ ſanus, quocunque vellet deambulans, multiſque annis ita vivens. Omninò ſimilem caſum ante ſexennium mihi videre contigit in uxore cujuſdam cauponis, propè Montfurtum habitantis, quæ etiamnum hodie, cæterâ ſana, ſuperſtes vivit, & ſingulis annis feliciter parit, videtur enim fœditas illa, neque maritum, neque illam à Veneris uſu deterrere.

## Observatio. XLV.

### *De Caruncula Veſicæ, meatum penitus obſtruente, cauterio actuali ſublata.*

Centurio quidam præpotentium uniti Belgii Ordinum, longa annorum ſerie urinæ laborans ſtillicidio, tandem in omnimodam incidit ſuppreſſionem; hujus ut prioris mali cauſa renales cenſebantur calculi, ad quos expurgandos conterendoſque hactenus totus, ſed fruſtra, fuerat occupatus. Meam rogatus ſententiam mihi in ſignis calculi ſatisfacere non poteram; ſed ex ſtillicidio ſenſim magis magiſque imminuto carunculam in orificio veſicæ augurabar ſenſim increviſſe; adeoque hanc viam non alio quàm actuali cauterio aperiendam duxi, cui collegæ pariter & amici primò refragrantes in aliquot dies diſtulerunt operationem; ſed aliis remediis nil proficientibus ex ſententia noſtra via convenienti cauterio argenteo aperta fuit, urinâ copioſè ſubſequente, & luxuriante carne aliquoties inuſtâ, paucisque aliis remediis tota abſumpta eſt caruncula, brevique convaluit.

## *Obſervationes dexterrimi Chirurgi* Petri Guenellon, *mihi communicatæ.*

### OBSERVATIO. XLVI.

### *De Meliceride librarum ſedecim febri, terrore exſtirpationis excitatâ, prorſus abſumpta.*

M*Argareta Egmont*, Britannica caligarum Mercatrix, *vigeſima Septembris Anni* 1651. me magiſtrumque *Matheum Calcoen* conſulebat de enormi tumore ſiniſtri femoris circa trochanterem, magni pilei formam adæquante, quindecim ſedecimve librarum pondere juxta noſtrum aliorumque calculum, cujus molem lato loro, è collo pendulo, ſuſtinebat; conſpectum tumorem, mixtam meliceridis ſteatomatiſque ſpeciem judicantes, ſolo ferro curabilem pronunciavimus; hujus mali pertæſa dictam quidem annuebat operationem; ſed de doloroſa & dubia magni hujus remedii apprehenſione alterata in continuam incidit febrim; unde dilata operatione, ſpatio ſex ſeptimanarum calore febrili immanis iſte tumor ad ficus quantitatem abſumebatur, qui intra decennium pluresque annos nullum ſumebat incrementum. Sic quandoque morbi, ut venena, adverſus alios ſalutaria ſunt antidota.

### OBSERVATIO XLVII.

### *De Oculi ex orbita protruſione, corneæ exulceratione, & palpebræ gangræna, eryſipelate flatulenta, feliciter ſine viſionis læſione reſtitutis.*

A*Nna Henrici* uxor *Antonii Goſſipiarii* bilioſa, diuturnam perpeſſa dyſpepſiam, *decima Martii Anni* 1656. acuta corripitur febri, cauſæ morbificæ particulæ ad motum agiliores naturæ criſi agitatæ brevi ad corporis deferuntur habitum, quarum craſſior portio in facie ſubſiſtens cede-

œdematoſum produxit eryſipelas, tanto tumore, ut oculum orbitâ excutiat; tanta malignitate, ut mortificet palpebram, unde neceſſariò exoritur facies Therſitæâ deformior, ut tam fœdo & doloroſo ægram liberemus aſpectu, omni ſuccurrimus induſtria; & regiâ per univerſalia & topica procedentes viâ, tam gravia in tam tenello viſionis organo ſymptomata, oculo ſuperſtite, feliciter profligavimus. Ex qua admonemur, nullos deſperatos derelinquendos eſſe, cum natura & ars etiam miraculorum ferax ſit.

## OBSERVATIO XLVIII.

### *De Trepano poſt trigeſimum ſextum caſus diem feliciter adhibito.*

JOannes *Boulijn*, quatuordecim annorum Juvenis, in Vliedenſem appulſus portum *Anno* 1648. è navi decidit in caput, unde contuſio cum duabus fiſſuris in dextro ſyncipite obliquis, nulla ſymptomata ante diem trigeſimum ſextum producentibus; poſt tam longum temporis intervallum ſubſequebatur febris, vomitus, convulſiones & alia huic morbo communia. Quando nos demum ad ipſum, à *Georgio Lamſon* dictâ portu evocatum, cum celeberrimo Viro *Franciſco Sylvio*, tunc Practico iſtius loci eximio, nunc apud Leydenſes Medicinæ practicæ Anteceſſore primario, accedimus, & in ipſo ingreſſu, conſentientibus amicis, facta inciſione cruciali trepanum admovimus, quo remedio, mitigatis ſymptomatibus, æger brevi reſtitutus eſt. Hic duo annotatu digna obſervanda occurrunt, primò, quàm difficile ſit, certam perforationis conſtituere diem, ſecundò, quantam variationem naturæ robur aliave circumſtantia in praxi producere poſſint.

## OBSERVATIO XLIX.

### *De Inteſtini recti ſphacelo.*

NOël *Wybouts*, natione Anglus, opificio Sericarius, diuturnis hæmorrhoidum emaciatus doloribus, tandem mul-

multis muliercularum remediis ſibi concitavit febrim; unde mox inteſtini recti inflammatio, & in extremitate ſubſequitur ſphacelus; die *duodecima Auguſti Anni* 1651. vocatus ani ſphincterem gangræna correptum deprehendo; cui malo juxta indicationes ſuas ex arte ſuccurrendo natura probam procurabat ſeparationem, & quod in hac cura rarum eſt, muſculus ſphincter, maximam partem ſeparatus, regeneratus in excernendo ſolita ſine ullo vitio obiit munia.

## OBSERVATIO L.

### *De membro virili circa pubem feliciter amputato.*

JOannes *Laurentii* navicularis in plateâ, quæ à floribus denominationem habet, carcinoma in pene tolerans, doloris tandem & fruſtraneorum remediorum pertæſus, me *duodecima Januarii* A. 1656. vocat. Facto diligenti examine, ferro ſalutem quæſivimus, maxima penis portione, præſentibus Magiſtris *Iſaaco Pasboom* & *Michaële Kloekhuyſen*, exſectâ, vulnus jam conſolidatum nec urinandi, nec ſeminandi ullam fecit remoram; & diffractâ haſtâ ipſam auſus eſt aggredi Helenam.

## OBSERVATIO LI.

### *De dolore Iſchiadico emplaſtro ſublato.*

GUilielmus *Bernardi* in Magnatum Foſſa ſex ſeptemve menſium ſpatio intolerabili dolore iſchiadico luctatus, ſequenti emplaſtro miraculi inſtar viginti quatuor horarum ſpatio curatus eſt.

℞. *Reſin. Pic. naval. Burgund. ana* ℥j.
*Cer. q. ſ. Coqu. ad conſiſtentiam addendo pulv.*
*Cantharidum* ℥j. *M. F. emplaſtrum.*

Cujus efficaciam poſthac ſæpius in ſimilibus experti ſumus.

OB-

## OBSERVATIO LII.

### *De magna Cranii fiſſura ſine trepano curata.*

ADrianus Boeckert, filius *Joannis Boeckert* Papyro Bibliopola in platea habitantis cervina, *tertia Decembris* A. 1669. è muro cæmeterii occidui decidit, ad quem vocatus capitis contuſionem, & facta inciſione magnam in dextro bregmate reperio fiſſuram, tranſverſim à ſutura ſagittali ad lambdoidalem excurrentem; quæ convenienti fomentatione ex cephalicis in vino rubro cocta, decenti ligatura, & emplaſtro de cumino, ſine perforatione, ad felicem perducta eſt curam.

Eadem methodo à nobis fiſſura, calamum ſpriptorium lata, filii *Theodori de Roode* in nova Magnatum foſſe curata eſt. Tantum curationis diſcrimen corpora Juvenilia præ ſenilibus præbent, quorum quippe oſſa necdum ſatis indurata facilius tranſpirationi concedunt locum.

## OBSERVATIO. LIII.

### *De triplici pueri fiſſura trepano curata.*

IOannis *Andreæ* ſeptennis filius concionatoris Eccleſiæ Britannicæ, quæ Medioburgi colligitur, hoſpitio famoſi iſtius aretalogi *Joannis Labadie* exceptus, è gradibus decidens in coctos iſtos lapillos, quibus hic decorantur parietes, triplici vulneratus eſt fiſſura, tres cranii penetrante tabulas; origine ſumpta ab oſſe frontis ad capitis porrigebatur verticem; ubi mox graviora ſubſequebantur ſymptomata, quæ trepani dilationem non permittebant; unde mox perforatione facta puer ex orci ereptus eſt faucibus.

## OBSERVATIO. LIV.

### *De pertuſo Hypopyo.*

SAra *Galeni* noſtri temporis filia, uvæ vel paſſulæ acino caſu in oculum impacto, tantam patitur fluxio-

nem, ut humores intra oculi corneam collecti ad ſuppurationem tenderent, ad hujus puris eductionem nulla pharmaca judicans ſatis efficacia, per me operationem *vigeſima octava May* A. 1668. molitur, ne purulenta materia interiores humorum corroderet membranas; inciſione factâ pus impetuosè proſiliebat eo modo, quo in *decima tertia* depictum eſt *tabula*; atque conſolidatione brevi peractâ nulla viſionis remanſit læſio.

## OBSERVATIO. LV.

### *De Carcinomate Linguæ feliciter exciſo, loquelâ illæſâ.*

RAchel de Caſtro Gaga, uxor *Jacobi de Caſtro* Luſitani, ſcirrhoſo tumore in lingua per multos affecta eſt annos, qui tandem in carcinoma degenerans quævis reſpuit ſubſidia; unde hic tumor à nobis ſuffragio Medici Luſitani *d'Orobio* exſectus eſt, coadjuvante ſocio *Daniele Floriano*; Amiſſa, quod mirum eſt, maximâ linguæ medietate loquelam integram ſervavit.

Similis operatio à me facta eſt in uxore militis in platea Leporina, cujus lingua munere ſuo probè perfungitur.

## OBSERVATIO. LVI.

### *De ſcirrhoſo Eparmate ovi magnitudine eradicato.*

R*Ebecca Matthæi* ſartrix, vitâ ſedentariâ multum pituitæ in corpore colligens, tandem ſuppreſſos patitur menſes; unde cacochymiæ pituitoſæ portio ſe in aurium glandulas exantlavit, horum humorum decubitum mox inflammatorius ſubſequitur dolor cum tumore, ad ovi magnitudinem & duritiem ſenſim increſcente. Hujus pertæſa monilis curavit *quinta Novembris* A. 1669. à me, clariſſimo *Moringio* & experto *Harone Slouſmam* præſentibus, eradicari. Exiguâ ſubſequente hæmorrhagiâ vulnus aliorum inſtar conſolidatum eſt.

OB-

## Observatio. LVII.

### *De Mammæ dextræ Scirrho topicis diſcuſſo.*

Eliſabetha Gommaer uxor *Chriſtophori Cornelii* Sericarii, in tranſverſa platea Floræ dicata, me *quinta Maj.* A. 1668. vocavit ad ſcirrhoſum mammæ tumorem exſtirpandum; conſideratâ tenerrimâ mammillarum ſubſtantiâ curam primò convenientibus aggredi topicis viſum fuit; hic tenax & contumax humor medicamentis emollientibus & digerentibus ceſſit adeò, ut ſectione opus non fuerit, unde prudentis eſt à levioribus incipere, præſertim in tenerioribus corporum partibus.

Eadem methodo ſcirrhus in dextra mammilla uxoris inſtitoris officinæ Gallicæ, ſub pileo Principis in platea Vitulina, ſublatus eſt à nobis.

## Observatio. LVIII.

### *De Gutta Serena utriuſque oculi feliciter curata.*

*Hieronymus Cordenier* Sericarius, vir annorum quadraginta, continuis diu obnoxius diſtillationibus ex ſubitanea fluxione quaſi in ictu oculi *vigeſima ſecunda Septembris* A. 1669. incidit in Amauroſin, ad quem vocatus, cunctis moræ repagulis exploſis, juxta illud *Hippocraticum*, extremi morbi extremis curandi remediis, Setaceo cervicem perfodio. Ea methodo, ut *in Tabula* 15. depingitur; præmiſſis tamen purgatione & venæ ſectione, pro potu ordinario decoctum Guajaci, Salſaparillæ, Chinæ cum cephalicis alteratum præſcribendo; quin imo Fonticulum in brachio adjunximus, ut quæ non poſſunt ſingula, multa juvent: veſicatoriis pone aures, transfixæ cervici & brachio ſæpius appoſitis; quorum uſu & continuis purgationibus & exacta diæta æger ab iſta cæcitatis ſpecie convaluit, quæ à Medicis Gutta Serena dicta, incurabilis perhibetur & pleriſque exiſtit. Tantum ergo in magnis morbis illud Ovidianum valet:

*Principiis obſta, ſerò medicina paratur.*
*Cùm mala per longas invaluere moras.*

## OBSERVATIO LIX.

### *De Empyemate paracenteſi feliciter curato.*

SAra de Wilde filia *Matthæi de Wilde*, Vittarii in aſcenſoria plateâ, ex pleuritide in Empyema delapſa eſt; cujus paracenteſis poſt fruſtra tentata pharmaca *ſeptimâ Novembris* A. 1664. inter quartam & quintam dextri lateris à me inſtituta eſt coſtam, debitâ puris quantitate quotidie eductâ, per accuratam diætam hæc juvencula mortis evaſit ſpicula.

## OBSERVATIO. LX.

### *De Humeri Gangræna ad digitos ambulatoria, ex nervi punctura, feliciter reſtituta.*

IOannis Soutjou, vir annos natus quadraginta, ex cacochymia incidit in febrim, cujus nervus in phlebotomia perfoſſus maximum dolorem, ex dolore totius brachii inflammationem, ex inflammatione gangrænam excitat *octava Septembris* A. 1668. quæ ob pravam humorum diatheſin mox ad ipſos ambulat digitos. Attamen natura duce & adjutrice arte per topica mortificationi reſiſtentia humerum brachiumque, ſenſu & motu ſuperſtite, ad vitam reduximus.

## OBSERVATIO. LXI.

### *De majori Focili cruris contrito, ſerra tres digitos decurtato, illæſo inceſſu, curato.*

GUilielmus Bernardi annorum quadraginta quinque, cereviſiæ bajulus in aggere Harlemenſi, portaturus vas in cellam, caſu crus in plura quàm viginti fragmenta contritum reportat. Ad quem *decimâ quintâ Aprilis* A. 1650. vocatus, deplorandam ægrotantis deprehendo conditionem. Collectis animi viribus operationi me accingens, attritum crus per famulos apprehendi curo, & iſtâ Foci-

Focilis majoris portione, quæ ad minimum trium digitorum latitudine eminebat foras, ſerrâ ablatâ, reſiduum convenientibus ſpleniis, & medicamentis probè devinctum tam feliciter reſtituimus, ut hoc pede ſine claudicatione in hodiernum utatur diem.

## OBSERVATIO LXII.

### *De vulnerato, octo novemque dies ſenſu & motu privato, trepani uſu reſtituto.*

IOannes *Joannis decima Novembris* A. 1667. cranii patitur fiſſuram, ex eo quod magna trunci moles in caput deciderat; unde mox ſenſu & motu orbatus pro mortuo à ſociis reportabatur domum; in quo ſtatu ad diem nonum permanet, donec cranio trepano perforato ſenſuum organa in momento quaſi reviviſcerent, atque hoc remedio ab inſtanti mortis periculo liberatus eſt.

## OBSERVATIO. LXIII.

### *De Anaſarca ſcroti ſetaceo curata.*

FIliolus *Joannis Cottelier* militis ex diuturna Quartana in Anaſarcam incidit; ad cujus curam varia à variis incaſſum præſcripta ſunt, donec natura monſtrante viam ſerum per ſcroti tranſmitteret tunicas, unde facto in ipſo ſcroti ſetaceo ab ipſa hydrope, ſine aliorum remediorum uſu evaſit incolumis.

## OBSERVATIO. LXIV.

### *De extracto Dente, qui redditus alveo firmiter coaluit.*

IAcobus *Feytema*, Mercaturam hic exercens, immani odontalgiæ vexatus furiâ me acceſſit, dentem extrahendi gratia, in quo, dum extruſus erat, nec exeſio, vel corruptio apparebat, rurſus ſuo impoſuimus alveo; cui æquè firmiter increſcebat, ac ſi nunquam ſede ſua divulſus fuiſſet;

fuiſſet; nam dolore poſt annum recrudeſcente eundem majori reſiſtentia ac moleſtia extraximus dentem. Circa idem tempus quidam juris, ſed etiam melancholiæ, conſultus, octodecim dentium petebat evulſionem, qui ſæpè dimiſſus revertebatur, ut ſuæ conſuleret ſanitati, quibus tamen multis precibus extractis non reſipuit.

## *Obſervationes verſatiſſimi Chirurgi* Chriſtophori Rudinger, *mihi communicatæ.*

## OBSERVATIO LXV.

### *De Inteſtinis ulcere perforatis feliciter conſolidatis.*

NAtura pueri novennis, in equitum platea habitantis, diu pertinaci luctata malo, tandem magnam humorum colluviem in regione umbilicali depoſuit, qui ibidem collecti in apoſtema degenerantes ipſum umbilicum & inteſtina perforarunt, ut ſingulis paſtibus aſſumpta alimenta, per foramen exeuntia, diſcerni poſſent; attamen vigilanti induſtriâ hoc inteſtini vulnus & ulcus, quod aliàs lethale eſt, ſequentibus conſolidatum eſt medicamentis; tertio die aſſumendo hauſtum ex hac vulneraria decoctione, tempore matutino ſcilicet, pomeridiano & veſpertino.

℞. *Herb Sanicul.*
*Alchimill.*
*Conſolid. Saracenic.*
*Pirol.*
*Veronic. ana. M. j. Incidantur groſſo modo,*
*Coqu. in aqu. hord. ad* ℔ij. *addendo*
*Mell. Roſ.* ℥iij. *M. F. Potio.*

Tempore matutino hora poſt aſſumptum hauſtum vulnerarium ſuperbibebat juſculum vitulinum, in quo diſſoluta erant:

℞. *Axung. Human.*
*Canis. ana* ʒij.

Hic, jejunio per binas imperato horas, in eadem perſiſte-

ſiſtebamus methodo, communi injectione ex *Aqu. Hord.* ℔j. *Mel. roſ.* ℥iij. mixtâ utentes, donec vulnus conſolidatum erat.

## Observatio LXVI.

### *De Fungoſo Genu tumore pulvere ſublato.*

*Vigeſima prima Maji* A. 1646. cum ſocio Magiſtro *Jacobo Snoeck* vocatus ad ægrum, fungoſo patellæ tumore dedecoratum, qui ſenſim increvit adeò, ut totam patellæ ſuperficiem occupans in inceſſu gravem exhiberet moleſtiam. Præmiſſis generalibus ſequenti pulvere abſumptus eſt fungus, cum hac tamen cautione, ut crus tota die in pulvinari immotum ſuſtineret.

℞. *Alum. uſt.* ℥ß.
*Mercur. præcipitat.* ʒvij.
*Virid. æris.* ℈ß.
*M. F. Pulvis.*

## Observatio LXVII.

### *De Capitis vulnere, negligentia prioris Chirurgi lethum declinante, præter ſpem curato.*

*Adrianus de Wilt*, Vietor Neoportii prope Schonhoviam urbem, vulneratus in capite *Anno* 1654. *vigeſima quarta Septembris*, cum bregmatis fiſſura; cujus varia nigricantia fragmenta duram premebant meningem, jam ad nigredinem vergentem; unde æger haud mentis compos continuas patiebatur convulſiones; hæc ſymptomata erant Chirurgorum negligentia producta ex eo, quod modò ſeparatas cranii particulas non exemiſſent. Ablatis dictis fragmentis ſequentibus duram defendimus matrem.

℞. *Aqu. vitæ Mathiol.* ℥j.
*Mel. roſar.* ℥ij.
*Aloës. Myrrh. Ireos Florentin.*
*Ariſtoloch. rotund. ana* ʒß. *M. F. Mixtura.*

Vulnere emplaſtro de Betonica cooperto ſequens adhibita fuit fomentatio.

℞. *Herb-*

℞. *Herb. Origan. Betonic.*
*Serpill. Major.*
*Puleg. ana M.* j.
*Flor. Chamom. Melil.*
*Lil. conval.*
*Til. Roſ. rubr. ana M.* ß. *incidantur groſſo modo, Coqu. in Vino rubro ad* ℔ij. *Addendo Sach. alb.* ℥iiij. *Fiat fomentum.*

## OBSERVATIO LXVIII.

### *De inverſi Pedis reſtitutione.*

UXor *Joannis Guilielmi Balinge* in pago Langeraeck peperit *ſeptima Aprilis Anni* 1655. maſculum inverſo pede, ſic ut planta non ſuperaret ſuperficiem medii ſolidi, nam metatarſus ad inferiora reflexus erat. Viſo pede mox convertimus metatarſum, & aptis ſpleniis & faſciis ad naturalem reduximus ſitum, ſine ullo inceſſus incommodo.

## OBSERVATIO LXIX.

### *De Oculo extra orbitam digiti latitudine pendulo reſtituto.*

E*Rneſtus Criſpini*, habitans in pago Coudriaen Diœceſis Dordracenæ, ſude in ſiniſtro vulneratus eſt oculo *nonâ Septembris Anni* 1662. cujus vi muſculis protenſis vel diſruptis oculus extra orbitam ad digiti latitudinem protruſus eſt, oculo intra naturalem ſinum reducto, vulnus ſine viſionis offenſa ſequentibus curatum eſt.

℞. *Herb. Malv. Biſmalv.*
*Rut. Semperviv. ana. M.* j.
*Album. ovor. No.* iiij.
*Far. Hord. Fabar. Lin. ana* ℥ß.
*Camphor. Croc. ana* ʒß.
*Olei roſar.* ʒjß.
*Lact. muliebr.* ℥ij.
*Aqu. Roſar. q. ſ. M. F. Cataplaſma.*

Hoc

Hoc Cataplaſma non fert coctionem, ſed mixtionem tantùm, ſed tepidè ſingulis renovationibus admovendum. Hoc unguento in oculum fiebat inſtillatio.

℞. *Aloës Hepatic. Camphor.*
*Ariſtol. long. & rotund. ana* ʒj.
*Corall. rubr. pp.* ʒjß.
*Sief. alb.* ʒiij.
*Croc. Orient.* ℈ß.
*Vitr. Antim. gr. vj.*
*Mell. deſpumat.* ℥ijß.
*Sachar. cand. alb.* ℥ij. *Parum coqu. F. Unguentum.*

## OBSERVATIO LXX.

### *De Polypis vini ſpiritu curatis.*

B*Althaſarem à Venlo* civem Schoonhovienſem, Polypo extra nares pendulo dedecoratum, poſt exſtirpationem ſolo vini ſpiritu, melle roſarum immixto, curavimus *vigeſima Junii* A. 1663. Manifeſtum erroris apud pleroſque Chirurgos argumentum, quod carnes ſuperfluas medicamentis cauſticis & corroſivis ſemper conſumere laborent.

Eadem methodo curatus eſt *vigeſima tertia Aprilis* A. 1664. Polypus uxoris *Adriani Papes* in lateraria prope urbem habitantis, & abſumptus eſt, qui ex utraque nare ad mentum uſque prominebat.

## OBSERVATIO LXXI.

### *De mirabili Uteri intumeſcentia, & prolapſu reſtituto.*

UXor *Jacobi Huyberti*, ruſtici in *Willige Langerack*, ex tecto horrei in vomerem incidens, pudenda læſit *vigeſima tertia Aprilis Anni* 1664. ſic ut ipſa vomeris acies in uteri ſubſtantiam impacta fuerit; unde uterus capitis puerilis magnitudine intumeſcens extra corpus prolapſus eſt, cum magna circa vicinas partes ecchymo

ſi,

ſi, quæ nigredine infecerat cutem, hanc uteri prociden-tiam & vulnus ſequentibus reſtituimus remediis, præmiſſis tamen univerſalibus & diæta convenienti.

℞. *Ol. Roſar.*
*Chamom.*
*Lilior. ana* ℥j. *M. F. Linimentum.*

Partes læſæ hoc oleo calidè inunctæ ſequentibus fovebantur.

℞. *Herb. Arthemiſ. Scord.*
*Abſinth. Verbaſc.*
*Malv. Biſmalv.*
*Parietar. ana M.* j.
*Flor. Hyperic. Chamom.*
*Melil. Sambuc. Roſ. rubr. an. M.* ß. *Incid. groſſo modo, Coqu. in Vino rubro ad libras* iiij. *Colatur. add.*
*Mell. roſar.* ℥iij.
*Sachar. alb.* ℥iij. *M. F. fomentum.*

## OBSERVATIO LXXII.

### *De Vulnere venæ jugularis & aſperæ arteriæ curato.*

D*Ecima quarta Septembris Anni* 1664. *Roelando de Raedt* infligebatur vulnus, cujus principium ducebatur duorum digitorum latitudine pone aurem ſiniſtram, tranſverſim per aſperam arteriam, quæ ad ultimam membranam perfoſſa erat, præſecta itidem vena jugulari, cujus vulneris cura communibus topicis ad felicem perducta eſt conſolidationem; ex qua colligendum, deſperatos etiam nunquam derelinquendos.

## OBSERVATIO LXXIII.

### *De enormi vulneris Hæmorrhagia, eſu piſorum & fabarum ſedata.*

A*Drianus Leonardi* in pago Polsbroeck *ſecunda Martii Anni* 1665. vulneratus in muſculo lumbari infra coſtas ſpurias duorum triumve digitorum latitudine à ſpi-

ſpinali medulla: quod vulnus in hepatis penetraſſe ſubſtantiam ex magno ſanguinis judicabam fluxu; quæ hæmorrhagia tertio quoque die per varias vices adeò recruduit, ut ad minimum ſanguinis urna effluxerit. Hic enormis ſanguinis fluxus, poſt exquiſita fruſtra tentata remedia, diætâ incraſſante per piſa friſica, & fabas turcicas ſedatus eſt; adeoque ex deſperato vulnere convaluit quidem æger, ſed poſtea incidit in hydropem, à quo tamen convenientibus remediis & diæta omninò liberatus eſt.

## OBSERVATIO. LXXIV.

### *De Gutta Serena utriuſque oculi, octo dierum ſpatio curata.*

IOannes *Verburg*, civis Schoonhovienſis, ex diuturno morbo & cephalæa ſubitò privatus eſt viſu, ex deſtillatione nervos opticos utriuſque oculi obſtruente, ſic ut nec ſolem ſplendentem, vel candelam ardentem à tenebris diſcernere poſſet; ab hac cæcitate intra octiduum ſequentibus eum liberavimus remediis, præmiſſo clyſtere & veſicatorio nuchæ applicato, Cucupham præſcripſimus ex cephalicis; hunc pulverem per fiſtulam loco tabaci ſugendum imperavimus.

℞. *Herb. Salv. Roriſmarin.*
*Majoran. Betonic.*
*Lavend. ana. M.* ß.
*Sem. Aniſ.* ʒij. *F. pulvis groſſus.*

Tribus fiſtulis utebatur quotidie, poſt quorum uſum hunc pulverem maſticabat.

℞. *Herb. Majoran. Serpill.*
*Flor. Euphrag. ana* M. ß.
*Sem. Fœnicul.* ʒv.
*Gumm. Maſtich. elect.*
*Oliban. Mac. ana.* ʒjß.
*Cinnam.* ʒß.
*Cardam.* ʒj.
*Sach. alb. parum.* M. F. *puluis groſſus.*

Alternis veſperis has deglutiebat pilulas.

℞. *Maſſ. Pil. luc.* ℈j.
*Aur. Coch. ana.* ℈ß. *F. pil. no.* xij.

Quibus remediis tam breui à malo, aliàs tam pertinaci, liberatus eſt.

## OBSERVATIO LXXV.

### *De Arteria pulſante in medulla tibiæ obſervata.*

QUidam Calcearius in platea, quæ à ſordium mole nomen habet, inveterato & maligno affectus ulcere, in ſuperna tibiæ parte immediatè infra genu, quod non ſolum muſculoſam & membranoſam depaſcebatur ſubſtantiam, ſed ipſum os adeò corrodebat & exedebat, ut ipſa tibiæ medulla prodiret in conſpectum; in qua medulla ſingulis deligationibus arteriam pulſantem mecum varii viſu luſtrabant Medici, qui oculati hujus motus teſtes ſunt.

### *Obſervationes experti Magiſtri* Pauli Pijl, *mihi communicatæ.*

## OBSERVATIO LXXVI.

### *De Pure ab arteriis Cerebri per cranii rimas ejecto, ſex ſeptimanarum ſpatio poſt conſolidatum vulnus.*

CUjuſdam Stabularii capiti ab equi ictu infligebatur vulnus, quod nullis malis ſignis præſentibus tempeſtivè curabatur, ſed ſexta poſt curam hebdomade ſubitò totum intumeſcebat caput, quo tres digitos infra vulneris locum, qui erat in ſyncipite, aperto magna effluebat puris copia, quando primò cranii detegebatur fractura, magnitudine & forma equi calcem adumbrans, quo Eleuatorii ope exempto interior cranii facies à pure, quæ ſupra duram delituerat, exeſa & carioſa, quæ purulenta materia, efficaci cerebri pulſatione per fragmentorum cranii rimas propulſa, hunc produxerat tumorem.

rem, ab hoc tamen inveterato vulnere, quamvis oſſe corrupto & fungo luxuriaret meninx, optimè reſtitutus eſt.

## OBSERVATIO. LXXVII.

### *De Hæmorrhagia, ex excreſcentiæ linguæ eradicatione producta, poſt multa fruſtra tentata remedia, Aranearum telis ſedata.*

EXcreſcentia hæc linguæ exiguam vel nullam in præciſione minabatur difficultatem, quia à latere linguæ multum diſtabat à vaſis, & parvo pedunculo annexa erat; operatione peractâ, tantus ſequebatur ſanguinis fluxus, qui non modo quævis pharmaca ſed ipſa reſpueret cauteria, attamen ipſo araneæ telis ſedato convaluit æger.

## OBSERVATIO. LXXVIII.

### *De duro tumore Adami pomum Puerperæ ſubitò occupante.*

QUædam Puerpera in urbe Nantenſi ſubitaneam gutturis patitur intumeſcentiam, quæ primo aſpectu bronchocelem ad cartilaginem enſiformem occupabat. Hic tumor figurâ ſuâ macilenti equi dorſum adumbrans, topicis emollientibus & diſcutientibus diſparuit brevi, juxta illud: quod citò fit, citò perit.

## OBSERVATIO LXXIX.

### *De externo pectoris Apoſtemate, errore Chirurgorum lethali.*

FIliola Amſtelodamenſis, octo vel decem annorum, in ſuperiori thoracis parte patitur muſculi pectoralis apoſtema, ad ſiniſtrum vergens latus, pure maturato ad cartilaginem enſiformem deſcendente, ubi apertione fa-

ɛta puris copia effluebat; alii naſutiores Chirurgi convocati meam claudebant aperturam, tentantes materiam purulentam ad ſuperiora ducere, facta per ruptorium apertione in muſculo pectorali infra claviculam, non obſtantibus debitis compreſſionibus aliam materia purulenta patefaciebat viam, perforatâ ſcilicet pleurâ ad interiora confluens mortem intulit; unde memor dicti in Eccleſia Sanctæ Catharinæ Hamburgi magnâ tabulâ exſculpti: O! *Mors cur Deus negat vitam ſuper: be, te, bis, nos, bis, nam.*

## OBSERVATIO. LXXX.

### *De Errore reducendi Inteſtina in vulnere abdominis.*

PUer Ultrajecti extra portam propulſurus porcum in ſtabulum, capulo ſcoparum in parietem reſiliens, acumine ſibi vulnus abdomen penetrans inflixit, ex quo mox erumpebant inteſtina, Chirurgus premendo eadem reducere conabatur, ſed quò magis inteſtina comprimebantur, eò magis proſiliebant, unde Magiſter meus *Spinovius* convocatus viſâ vulneris anguſtiâ eam dilatabat, & ſic mox facillimè inteſtina reducebantur; quæ aliàs, ſi illa violentior preſſura diutius duraſſet, gangrænam concepiſſent.

## OBSERVATIO. LXXXI.

### *De curata Tibiarum fractura, frigore pavimenti & cubiculi lethali.*

MErcator Amſtelodamenſis nomine *Gerard*, Ultrajecti in foro Equario curſu probaturus equum, præcipitabatur ab eodem, ambas Equitis fiſtulas ſolea ferrea conterendo, ut non modo in fragmenta forent comminutæ, ſed illa cute erumperent, quamvis pedes ocreis armatæ eſſent; hac fracturâ compoſitâ, & vini ſpiritu probè elotâ, æger in ſuum deportabatur diverſorium, ubi per decem pluresve ſeptimanas quieſcens ex arte curabatur; fragmen-

gmentis exemptis parva reſtabat cicatrix, ſed proprias appetens ædes comite Magiſtro Amſtelodamum revertitur, quem ſoluto ſoſtro dimiſit, & ſuis ſe commiſit Chirurgis, qui ægro pavimentum Italicum concedentes, & juſto durius tranctantes, procurabant febrim, quam ſubſequebantur apoſtemata, & poſt quatuordecim dierum ſpatium mors; nam frigore pavimenti corporis poris conſtipatis, retenti vapores febris & mortis fuerunt auctores.

## Observatio. LXXXII.

### *De luxatione Cubiti illæſo motu reſtituto.*

NAuta Venetiis decidens in navis alvum cubiti patitur luxationem, & poſterioris magni radii apophyſis contritionem, quæ perrupta cute magnam produxerat hæmorrhagiam. Luxatione & fractura reſtituta quotidie articulum movebam, ſiniſtrâ luxatum os comprehendens, atque hoc quotidiana motus exercitatione articulus mobilitatem retinebat, quam quiete & callo amiſiſſet.

## Observatio. LXXXIII.

### *De Apoſtemate totius corporis, è quo unà cum pure pinguedinis glebæ effluebant.*

JUvenis annorum ſedecim ex diuturno morbo in univerſalem corporis, excepto capite, incidit abſceſſum, cujus ſiniſtrum latus in incurvatam convellebatur lineam, cute per emollientia humectata, ſectione puri parabam viam in muſculo abdominis obliquè deſcendenti: copioſa ſanie effluente reliquias arctis faſciis foramen verſus comprimebam, ægri pedibus ſurſum collocatis, atque hac methodo unà cum pure pinguedinis glebæ erumpebant; dum unica hæc apertura non erat ſufficiens ad evacuandum pus, alteram fecimus, & excitato in brachio fonticulo, ægrum ab univerſali corporis apoſtemate feliciter reſtituimus.

## *Obſervationes experti Chirurgi* Theodori Heghuys, *mihi communicatæ.*

### OBSERVATIO LXXXIV.

### *De vulnere Muſculi temporalis cum membranæ ſeparatione curata.*

MArgaretha van Lingen, annorum ſeptuaginta vetula, à tranſeunte equo adeò percutiebatur *ſeptima Martii* A. 1667. ut vulnere muſculo temporali inflicto cutis manus latitudine ſupra genas ſeparata penderet. Hoc vulnus, denudatione cranii ad ſolidi magnitudinem & muſculi temporalis læſione comitatum, per octiduum crudum ſine ulla digeſtione erat, quod pejora ſymptomata & infelicem minabatur exitum, eò magis quod febris, hæmoptyſis, & reſpirandi difficultas ſubſequerentur; Senilis vero ætas diligentiorem nobis imperabat curam, quæ præmiſſis univerſalibus juxta judicium Medici, hujus libri renovatoris, convenienti digeſtivo perficiebatur, quo integra membrana ſalvo muſculo ſeparabatur ſine aliorum ſymptomatum acceſſione, ſed vulnerata ex læſioſione ſurdaſtra relinquebatur, quæ tamen ſenſim temporis lapſu imminuta eſt.

### OBSERVATIO LXXXV.

### *De vulnere Capitis, in quo ſternutatio enormem excitabat ſanguinis fluxum.*

JAcobo de Vlieger viginti quinque annorum juveni, pontem veterem tranſeunti, à nebulone ex improviſo infligebatur vulnus in capite malleo vel baculo; in contuſo capite exigua ſeſe offerebat apertio, cujus labpa ſponte ſubſidebant, facta poſt convenientia topica ſeparatione arteriola prodibat, quæ ſternutatione aperta tam copioſum effundebat ſanguinem, ut in vitæ periculum incideret, quâ faſciis, ſpleniis & ligaturis, ut oſtenditur *in*

*Ta-*

*Tabula* XXVII. juxta convenientia topica occluſâ, ex orci faucibus eripiebatur.

## OBSERVATIO LXXXVI.

### *De dolore Pollicis Puerperæ, febrim & delirium excitante, noſtro emplaſtro dialtheo curato.*

M*Argaretha Overbieſt* uxor *Henrici Bartels* in puerperio ſubitaneum patitur pollicis dolorem, qui variis Chirurgorum & Medicorum tam internis quam externis non cederet remediis, donec Medicorum ſuffragiis noſtrum applicabatur emplaſtrum ſtypticum dialtheum; quo dolore ſedato natura ſenſibile propellebat pus, tanta copia, ut pollex nimia intumeſcentia amiſiſſet formam, unde via ferro aperta purulentam eduximus materiam, atque ægra mox mentis fiebat compos. Verùm dum unum foramen non ſufficeret, altero facto ad felicem perduximus curam:

## OBSERVATIO LXXXVII.

### *De Anthrace in muſculis femoris, mira ſymptomata producente.*

A*Gatha* uxor *Martini* Hortulani Domini de *Roeters* lavans *Anno* 1667. in prædio ampliſſimi viri *Jacobi Wuytiers* ſubitaneo affligebatur anthrace in femoris muſculis, febrim, vomitumque excitante. Applicato hôc digeſtivo:

℞. *Ungu. Baſil.* ℥ß.
*Terebinth.* ʒij.
*Theriac.* ʒj.
*Sapon. com. parum.*
*M. F. digeſtivum.*

noſtrum emplaſtrum ſtypticum ſuperimponebamus. Hinc ſeparatione facta excidebat eſchara Ducatonis magnitudine, cujus fovea intra octiduum in tantum increſcebat

ſcebat, ut pugnum infantis caperet, tanta puris copia per trimeſtre ſpatium effluente; unde cavitas tantæ magnitudinis ſuboriebatur, ut turundas è ferreo filo filamentis lineis obductas quadrante & medio ulnæ longas admitteret; atque ita pede contracto cogebatur fulcris incedere. Hoc Apoſtemate ferè ſuperato incidebat in cardialgiam, cujus alteratione natura commota tumorem & dolorem ſub axilla inferebat, quem intra biduum ſuſcipiebat gangræna ad extremum digitorum ambulans. Proba ſcarificatione & vini ſpiritus & ſalis lotione facta, dicto unguento illinebatur brachium, gangrænæ tum ſequenti ſuperpoſito cataplaſmate.

℞. *Herb. Phylandr. M.* jß.
*Scord.*
*Flor. Roſ. rubr.*
*Sambuc.*
*Melil. an. M.* j. *pulveriſentur groſſè. Coqu. ſ. art. in vino & limonum muria. addendo mic. panis alb. q. ſ. ad conſiſtentiam. M. F. Cataplaſma.*

Quibus à ſphacelo præſervabatur, & facta eſchararum ſeparatione cum magno fœtore ſupra cubitum aliud ſe offerebat Apoſtema, quod ruptorio apertum per annum tantam puris exonerabat copiam, ut in fine curationis fonticulum in brachio excitare cogeremur; hac aſſidua humorum affluentium evacuatione carioſa oſſicula ſeparabantur, & vacillans valetudo roboris inchoabat exordium, ut tandem curatione peracta hactenus ſana & incolumis illæſo inceſſu vivat.

Simile Apoſtema paſſus ejus eſt maritus, à ſcapulis ad abdominis muſculos decurrens, quod tunc temporis à me feliciter curatum aliquoties recidivas fecit.

## OBSERVATIO LXXXVIII.

### *De ingenti Apoſtemate patellæ.*

QUædam tranſmarina fœmina in ſororis domo è gradibus decidens, in genu ibidem exiguam patitur contuſionem, ad quam auferendam variis muliercularum uſurpatis formulis tanta inflammatio & apoſtema, ac in parte carnoſa, ſubſecuta eſt, ad quam vocatus inciſis utriuſ-

utriuſque genu lateribus ad manus longitudinem, maximam puris & membranarum eduximus copiam, præſentibus clariſſimo *D. Sloterdyck*, & Magiſtro *Cornelio Prins*, pure ad ſuras deſcendente nova ferro parabatur via, ut & tranſverſa per genu facta ſectione intra trimeſtre ſpatium, illæſo inceſſu, in integrum reſtituta patriam ſine ſolutione ſoſtri petiit.

## OBSERVATIO. LXXXIX.

### *De gravi Surditate inguinis bubonem comitante.*

THeodorus van Offelen leno tantum in inguine venereum patitur bubonem *Anno* 1662. ut ruptoria digiti unius & medii latitudinem excedentia necdum cavitatem penetrarent, ut adjuvante ferro via aperienda foret. Notatu dignum erat, quod gravis ſurditas hunc comitaretur bubonem; quæ decreſcente bubone decreſcebat, & increſcente increſcebat, & non niſi ſublato bubone deſinebat, ad majorem pœnam caſtigabatur tantis præputii verrucis, quæ tantum forcipi & actuali cauterio cedebant.

## OBSERVATIO. XC.

### *De Carie oſſis, poſt varia fruſtra tentata remedia, oleo ſulphuris ſeparata.*

FIliolus *Nicolai Mirſen*, Sutoris in platea ſpeculina ſub inſigni Daventriæ, ſexennis *prima Junii* A. 1668. ex caſu contundebat caput; ad quam contuſionem primò die ſeptima læſæ membranæ & cranii ſeſe offerebant ſymptomata, unde mox ſuffragiis clariſſimi *D. Theodori Ketjens* inciſione facta imminuebantur graviora ſymptomata, ſed nulla oſſis per ſex ſeptimanas fiebat ſeparatio, adhibitis Alumine uſto, Mercurio præcipitato, & Vitriolo, donec, oleo ſulphuris pulvere panaritio mixto illinito oſſe carioſo, natura fragmentum ſtyferi magnitudine excerneret, unde mox curatio ſubſecuta eſt.

## OBSERVATIO XCI.

### *De Contuſione gravi, apoplexiam producente, ſine trepano in adulto curato.*

MAgiſter meus *Cornelius van der Gracht* ad terebrationem neceſſaria paraverat, ut *Joannem Blydeſin* viginti octo annorum Juvenem, ex gravi contuſione apoplecticum, *Anno* 1656. ſymptomatum vehementia liberaret; ſed trepano à clariſſimo viro *Franciſco Galiard* in adventum affinis dilato, natura contuſionis reſolutionem molitur, quo conſpecto juxta illud tritum, ars imitatur naturam, auxiliarem fomentis cephalicis naturæ navamus operam; qua methodo, ſine trepani uſu, priſtinæ reſtitutus eſt valetudini.

## OBSERVATIO. XCII.

### *De Tumore Frontis ſubitò vomitu excitato.*

PEtrus *Jacobi* Mercium vector in *Octobri Anni* 1668. ab equo tam infeliciter ſupra oculum percutiebatur, ut ſubſecuta hæmorrhagia intra triduum nullis medicamentis ſiſti poſſet. Qua ſedata poſt ſecundam deligationem tam cavum deprehendi vulnus, ut intra oculi orbitam & os frontis medietas ſpecilli tanquam in ſpecum immitti poſſet; ut ſæpius in præſentia Doctoris *Olfardi Dapper* & Magiſtri *Haronis Slouſman*, & aliis tentavimus, ut inſpicientium quiſque miraretur, quo hæc cavitas tenderet, ut ſine ulla noxa tantum ſpecillum intrudi poſſet, judicantium præciſam palpebram paralyticam futuram, cujus tamen contrarium eventus docuit, vulnere intra ſex ſeptimanas, illæſo palpebræ motu, curato, incipiebat demum oſſis ſeparatio, inter quæ fragmenta una excedebat duorum digiti articulorum longitudinem. Poſt annum elapſum quartana corripiebatur febri, ad cujus curam aſſumpto vomitorio mox tumor in fronte magnitudine pugni apparuit, quo poſt debita topica perforato purulentam eduximus materiam, illudque cicatrice inducta curavimus.

## OBSERVATIO. XCIII.

### *De Vulnerato, oris ſuctione ſervato, ſanguinem per urinas excernente.*

DUm *Cornelio van der Gracht* Chirurgiæ peritiſſimo inſervirem, propter ejus abſentiam unà cum Magiſtro *Henrico Soetſter* vocabar ad *Guilielmum Overſchie*, filium *Gerardi Nicolai Overſchie* in platea Vitulinâ, in thorace vulneratum *Anno* 1651. Hic dictus Magiſter vulneris hæmorrhagiam turundis albumine ovi tinctis impediens, me vix admittebat; unde deliquium animi patiebatur, à qua ægrum ore vulnus exſugendo liberabam, repugnante Magiſtro *Soetſter*, & ſanguinem revellebam. Ægro refocillato Magiſter meus domum veniens accedit ad ægrum & convocatis duobus Medicis diligentior vulnerato adhibebatur cura, qui ope infuſionis radicis Zedoariæ & Oculorum Cancri in aqua Petroſelini, per tres ſeptimanas ſanguinem per urinas excernens, ab hoc periculoſo vulnere reſtitutus eſt.

## OBSERVATIO. XCIV.

### *De Hæmorrhoide pollicis longitudine & craſſitie, in ſeptuagenario ſene, ferro ignito ablato.*

RUſticus Slotenſis annorum ſeptuaginta, poſt intolerabiles hæmorrhoidum dolores & quævis fruſtra tentata remedia, perſuaſione Magiſtri mei operationem Chirurgicam admittit, quæ adjuvante Magiſtro *Theodoro Vennekool Anno* 1654. feliciter per ſcalpra obtuſa & ignita ſerratim perficitur; appoſito vulneri actuali cauterio, ne nimia hæmorrhagia ſubſequeretur, quod ulcus aliorum inſtar brevi curabatur.

## OBSERVATIO XCV.

### *De frontis Ganglio, ad Lunæ motum increſcente & decreſcente, curato.*

ADriana annos nata decem filia nautæ Rothomagenſis, poſt diuturnam cephalæam in fronte dedecoratur tumore, habente ganglii duritiem & formam *Anno* 1660. qualis curandi methodus, ſed fruſtra, obſervatur, quæ incrementi viciſſitudines juxta Lunæ motum ſubibat; unde via ferro aperta magna puris copia præter intentionem effluebat, verùm conſolidatum vulnus intra menſem recruduit ex capitis in lectum colliſione; hinc magna puris quantitas ad nares decumbebat, quæ difficilem pariebat curationem, quam tamen poſt multa fruſtra tentata remedia hoc pulvere ſuperavimus.

℞. *Mercur. præcipitat.*
*Alumin. uſt.*
*Vitriol. Cypri. ana* ℥j. *M. F. pulvis ſubtiliſſimus.*

Cujus uſu membranâ ſeparatâ ad perfectam tendebat curationem, à quo tempore à cephalalgiâ hactenus immunis vivit.

## OBSERVATIO XCVI.

### *De Morſu, febrim, convulſiones, delirium & gangrænam pariente, dentibus humanis inflicto.*

THeodorus F. ſervilem operam in pulveris pyrii mola Mercatoris *Croock* poſt rixas cum ſocio manuale ingreditur duellum *Anno* 1670. qui ſuccumbens irati animi ſpumas dentibus manui & cruri imprimit, quæ iracundi fæx in partibus contuſis diu deliteſcens, tandem exſerit vires, ut ſubſequente inflammatione, febri, delirio, convulſione & totius pedis gangræna in præſens vitæ periculum patientem conjecerit; ſed ſymptomatum vehementia convenienti internorum & externorum uſu ſuc-

ſuccurrentes ægrum priſtinæ ſanitati reſtituimus, mirantes, quod in morſu humano tantum virus deliteſcat.

## OBSERVATIO. XCVII.

### *De Coxarum fœminæ Apoſtemate, è quo menſtrua ſingulis menſibus profluebant.*

E*Liſabetha* uxor *Mathæi* Famuli nobiliſſimi viri *Sylveſtris Heermans* in Zuydtwyck Satrapæ poſt lentam febrem *Novembri Anni* 1669. incidit in ingentem coxarum dolorem; qui nullis remediis cedens ruptoriis ſublevabatur, nam tribus foraminibus per modum trianguli in muſculis productis magna puris effluebat copia; imò certis temporibus menſtruam purgationem per dicta foramina obſervabamus; verùm cum lento paſſu ad conſolidationem ducebatur propter muſculorum interſtitia per quæ pus ex uno in aliud foramen tranſire haud potis erat, in unum reduximus foramen; atque hoc peracto ad finem perducebatur curatio mediante hoc Balſamo.

℞. *Balſam. Peruv.*
*Capayv.*
*Ol. Hyperic. ana* ℥ß.

atque ſic illæſo inceſſu ſanitati reſtituta eſt.

Ita exulceratum & contortum femur & crus puellæ tredecim annorum per hoc, quod multa foramina in unum redacta erant, illæſo inceſſu curavimus, ut *in tabula* XXI. exhibetur, dolendum ergò Chirurgis, quod illud Catilinianum, ure & ſeca, dolorem inferat.

## OBSERVATIO. XCVIII.

### *De inveterato Tibiarum Ulcere virginis, cujus menſtrua ex ulcere profluebant.*

M*Aria Joannis* Ancilla *Theodori de Jonge* è ſportulâ cadens pedem læſerat, qui poſt multa quatuor annorum ſpatio fruſtra tentata remedia meam *in Auguſto*

*Anni*

*Anni* 1670. implorabat operam. Unde diligenti facto examine cariem in tam inveterato ulcere ſuſpicabar, quare uſu aquæ noſtræ Mercurialis oſſis particulam magnitudine articuli digiti ſeparavimus, quo exempto mox curatio ſubſecuta eſt. Sed ulcus quolibet menſe ipſa menſtruante tetrum ſpirabat odorem. Similem Walonem curavimus, cujus menſtrua ſenſibiliter ex ulcere profluebant. Hinc diſcant Chirurgi in inveteratis ulceribus, ſi ab externo impetu ſumpſerint exordium, plerumque oſſis ſubeſſe cariem, atque inde omnem curam eſſe fruſtraneam, niſi oſſis particulas ſeperando extrahere ſtudeamus.

## OBSERVATIO. XCIX.

### *De Vitri fruſtis articuli digiti magnitudine, juxta majorem tendinem medii digiti, ſine dolore diverſis temporibus erumpentibus.*

SAmuel *Arnoldi* Frater *Stephani Arnoldi*, cauponis ſub inſigni concordiæ in platea Vitulina, lædebat manum aperiendo feneſtram vitream; ad quem *decima Auguſti* A. 1669. vocatus, quædam vitri fragmenta medio digito impreſſa juxta tendinem deprehendi, concomitante hæmorrhagia ſatis notabili, quod magnorum ſymptomatum ſuſpicionem mihi movebat, præcipue die decima, quando vitri fragmentum magnitudine articuli minimi digiti apparebat; poſt octiduum alia vitri portio cum minoribus fragmentis ſine ullo ſymptomatum concurſu naturæ vi erumpebat; poſt quod perfecta curatio ſubſecuta fuit. Sed notatu dignum erat, quod natura *octava Novembris*, vulnere jam conſolidato, ſimilem vitri portionem ex articulo juxta tendinem in ſuperiorem digiti partem tranſmiſerit, ſine notabili doloris perceptione; quâ poſt octiduum exemptâ vulnus cicatrice obduximus, licet alia vitri portio in digiti penetralibus deliteſcat, nam hujus ejectio conſultius naturæ viribus committenda, quam artis regulis promovenda eſt.

## OBSERVATIO C.

### *De diverſis Hæmorrhagiis peculiari methodo ſedatis.*

CORnelius Banning corpore valdè cacochymico *Anno* 1654. in enormem narium incidit hæmorrhagiam, quæ poſt quævis fruſtra tentata remedia aceto roſaceo in aurem inſtillato compeſcebatur, ſed aliquot horis elapſis magna ſuboriebatur ſternutatio, quæ copioſum rurſus ſanguinem profundebat, unde in nares aquâ plantaginis cum Vitriolo Cypridis injectâ fluxum ſiſtere tentabamus, at felicem ſucceſſum eventus docuit. Sic copioſum ſanguinem *Jacobus Koetſier* è palato fluentem pulvere Colcothar ſedavimus, qui fluxus ex eo cauſatus erat, quod ejus Fiſtula tabaci in ore detenta à prætereunte ex improviſo protruſa palatum perforarat.

## OBSERVATIO CI.

### *De Acu per ſeptennium ſine dolore aut moleſtia in articulo carpi deliteſcente.*

UXor *Davidis Franciſci* cereviſiarum bajuli *Anno* 1654. lavando acum in carpi articulum impegit, altera ejus extremitate vix eminente, ad cujus extractionem fruſtra tentatam magna ſuboriebatur inflammatio & tumor, qui ex præſcripto Magiſtri mei *Cornelii van der Gracht* diapalma diſſoluto diſparuit; acum naturæ committendo, quæ mirum dictu, poſt ſeptem annorum intervallum eadem facilitate lintea conſtringendo excutitur, qua impacta erat, nullo dolore vel incommodo toto illo tempore producto, vel relicto.

## OBSERVATIO. CII.

### *De periculoſis Symptomatibus ex Percarum pinnæ punctura in pollice productis.*

GUilielmus *Vincentii* Filius cauponariæ ſub inſigni trium Gallorum Martiorum *Anno* 1652. piſces deſquamans ex improviſo lædit pollicem, cujus vulnere neglecto tantus dolor ſuboriebatur & inflammatio, ut Chirurgum *Gerardum de Wilde* vocare cogebantur, cui, repellentibus fruſtra adhibitis, Magiſter meus *Cornelius van der Gracht* adjungebatur; quando periculum gangrænæ aderat, unde cataplaſmate idoneo pori aperiebantur, vaporibus undique evolantibus; hinc mox doloris & tumoris imminutio. Brachio detumeſcente ſupra arteriam carpi ſuboriebatur tumor magnitudine pugni, quo diſſecto ſanguis coagulatus erumpebat. Poſt hæc circa locum puncturæ vehemens hæmorrhagia ſaliendo ſe prodebat, quod arteriam læſam demonſtrabat, cum verò arteriæ vulnus deprehendi haud poterat, conſultum nobis videbatur, ad certam mortem præcavendam, ferro pollicem manuſque volam aperire, ſed fruſtra, nam vulnere non invento, ſanguis contra quævis ſplenia & ligaturas ſubſiliebat, ut cauterio diſſectum pollicem manumque cogebamur inurere, qua operatione peracta fungo albumine ovi madente vulnus replevimus, atque per quinque dies intactum reliquimus; à quo tempore fluxus ſiſtebatur, poſtquam ſex ſeptemve ſanguinis libræ effluxerant, atque priſtinæ ſanitati tandem deſperatus æger reſtituebatur.

## OBSERVATIO. CIII.

### *De Meliceride quadrato circa medullam ſpinalem alienas materias ejiciente, & in quo ejectus liquor per urinas reddebatur.*

THeodorus *de Fembris* jocando cum virgine incidit ſupinus in ſedis apicem *Anno* 1668. poſt quem caſum durio-

duriorem in dorſo infra ſcapulas ſenſit tuberculum, quod ſenſim ſine dolore in magnitudinem gibbi increvit, unde vocatis ad ejus ablationem Medicis pariter ac Chirurgis communi ſuffragio apertus eſt tumor, ex quo, dum injectione abſterſoria mundificationi operam dabamus, liquor ipſe per urinas redditus eſt, & tumore dilatato varia pituitoſorum corporum genera ſeſe offerebant, nunc lardi ideam, modò lactea trutarum inteſtina, jam carioſi ligni formam, modò ſub alia ſpecie ſeſe exhibentia. Ex continua fœtentis puris ejectione coſtæ ſuſpicabamur cariem, ad hujus curam, dum ferrum nec ignem concederet æger, longis faſciis thoracem conſtrinximus undique, ut viis conſtrictis humori affluenti denegaretur tranſitus, qua methodo curam ad felicem perduximus exitum.

## OBSERVATIO CIV.

### *De Tumore thoracis, quo aperto effluebat potus.*

JUvenis ſedecim annorum poſt contumacem cephalæam in dolorem dextræ incidit ſcapulæ, & catharro ſenſim ad thoracem decumbente oriebatur tumor, tuſſi, aſthmate, febri & liveis per univerſum corpus maculis comitatus, quæ ſymptomata exiguam curationis præbebant ſpem, eò magis quod diu fruſtra in noſocomio varia expertus fuiſſet remedia; quod ergò pharmacis effici non poterat, ferro tentabamus, & aperto tumore intercoſtali quotidiè debita puris evacuabatur quantitas per viginti octo ſeptimanas, quando natura critico motu irritata ſeſe magna fœtentis puris copiâ & pravis humoribus per diarrhæam exoneravit; quem fluxum integra ſubſequebatur ſanitas. Sed obſervatu dignum erat in hoc ægro, quod ſpatio viginti octo ſeptimanarum æger, quoties aſſumebat potum, eundem ſuo albido colore tinctum tuſſi é vulnere expromebat; imò cereviſiæ vel lacte cum pane albo cocti craſſiores partes circa diaphragma hærentes ſentiebat, liquidioribus per vulnus effluentibus. Hæc obſervatio à Magiſtro *Alardo Cypriano* in eum finem eſt communicata nobis, ut viam ductuſque, per quos potus ex œſophago vel

ventriculo permearet in vulnus, rimaremur; cujus inveſtigationem curioſis hujus ſæculi Anatomicis relinquimus, nam an exulcerato œſophagho, ut in puero *Henrici Roſſenboſch* quondam obſervavimus, an preſſuræ diaphragmatis attribuendum ſit, hæremus dubii, ſcil: quod ventriculo potu jam intumeſcente diaphragma pure gravatum comprimeretur, ratione cujus aliquid liquidioris & magis cocti efflueret puris, vel quod tumor partim incubuiſſet œſophago, qui potu dilatatus aliquid liquidi puris excuteret, lectori dijudicandum relinquimus, nam hunc liquorem non fuiſſe potum, patet ex albore, qui ad albedinem vergebat, cum potus vix tam citò colorem chyli aſſumere poſſit.

## Observatio CV.

### *De fractura Cranii in oppoſita parte Paralyſin excitante.*

IN capita duorum puerorum in platea ludentium *Anno* 1662. feneſtra delapſa in uno cutis abraſionem, in altero depreſſionem pariebat, magnitudine ſolidi Friſici, cujus abrupta fragmenta duram penetrando matrem in ipſa cerebri terminabantur ſubſtantia, eandem caſtaneæ magnitudine exprimendo. Quarta die inciſione cruciali factâ ad trepanum properabatur, atque geminis in oppoſitam partem conſtitutis latera depreſſi cranii elevabantur, ejuſque fragmenta eximebantur. Poſt hanc operationem nobis ſolus ſpiritus vini cum melle roſarum in uſu fuit. Mirum erat, quod oppoſitum à vulnere latus paralyſi reſolutum erat, cujus rei cauſa meo judicio non alia fuit, quam quod humor quidam mobilis vehementiori cerebri concuſſione ad nervos oppoſiti lateris tranſlatus fuerit.

A P-

# APPENDIX. II.

Continens

PETRI HADRIANI F. VERDUIN

*Chirurgi Amſtelodamenſis peritiſſimi*

VIGINTI DUAS

# OBSERVATIONES

CHIRURGICAS

*Olim editas à*

JOHANNE TILINGIO M. D.

PETRUS HADRIANI

F. VERDUIN

## LECTORI S. D.

QUADRAGINTA jam effluxerunt anni, & quod excurrit, ex quo animum adjeci ad rem Chirurgicam: ad quam primus aditum mihi fecit ſagaciſſimus olim Vir *Jacobus Cornelius*, quem ob inſignia merita, jam inde à teneris in me collata, Patrem nominare ſoleo, Vir non quidem à parentibus huic arti deſtinatus, ſed naturæ quodam genio & incredibili deſiderio ſpontè perductus. Cujus viri nomen cum pietas non ſinat mihi i-

re in oblivionem, præſertim ob fidelia præcepta, & paterna monita, quibus ipſe adoleſcentiam mean formavit pariter & incendit, unde me profeciſſe non eſt quod diſſimulem, cum id ſatis innotuerit illis qui vel viſi me ſunt familiariter, vel opem meam im ploraruns; credidi me facturum operæ pretium, ſ pauca iſtius monumenta, quæ apud me latebant, publici juris facerem, præcipuè cum laborum eorum fuerim non modo oculatus teſtis, ſed & adjutor. Quod ad me attinet, hortati me ſæpe ſunt amici, ut nonnihil quod Chirurgiam ſpectaret, vel operationes Chirurgicas communi hominum bono ederem in lucem. Sed hucuſque impetrare à me non potui, ut id facerem, probe gnarus reperiri multa hujus argumenti: nec animus erat ex aliorum ſcriniis conſarcinare hiſtorias, nec ſcribendo vel lucellum vel gloriolam captare; cum interea vix mihi tempus concederetur per crebra negotia digerendis iis in ordinem, quæ privatis uſibus inſervitura pridem in chartam conjeceram. Tamen evicerunt amici, ut hoc darem memoriæ paternæ; inter quos primas obtinuit *Antonius Nukkius*, Anatomiæ atque Chirurgiæ Profeſſor celeberrimus, quem nuper fatis abreptum dolet Leidenſis Academia, arrepta quoque inde occaſione quod Leidæ typis denuò excudendum foret *Armamentarium Sculteti Chirurgicum*, cui voluit Vir optimus, ut Appendicis vice adderem haſce Obſervationes, non ita alienas à *Sculteto*, atque de meo nonnihil adſpergerem. Quid multis? Dedi fidem excuſſurum Schedas paternas, quam identidem libero, Lector benevole. Quod ſi percipiam has exercitationes cum aliquo excipi applauſu, ſpero fore, ſi Deus ſiverit, ut videas aliquando Obſervationes noſtras majore numero & varietate evulgatas. Interim de paternis animadverſionibus unum hoc monendus es, omnia ita eſſe conſcripta, ut non ſit quod ulla ratione dubites de veritate rerum, quæ nuda ſit oportet & infucata. Vale.

O B-

## Observatio I.

### *De incurabili ex levi cauſa oborto Carcinomate.*

OPerarius quidam *Amſtelodamenſis* publicus florenti ætate, vegeto ac robuſto corpore, in peſſimum nulliſque remediis auſcultantem affectum ex improviſo incidit. Sympoſia namque certo quodam tempore pro more ducens, genioque indulgens, ridiculam cum ſodali init mercaturam, qui pro ſingulis unciis ejus barbæ, quam inuſitatæ magnitudinis alebat, duos imperiales ipſi promittebat, ſi eam abradi pateretur. Hic itaque acceptâ conditione confeſtim ad tonſorem rectà tendit, eumque omnem oris ornatum exactiſſimè abradere jubet; quò ſcilicet majus ex graviori pondere lucrum nanciſceretur. Verùm Tonſori rei novitatem demiranti, ac eapropter in riſum & cachinnos effuſo novacula excidit, quam decidentem ſubitò dum excipit, barbati hominis temporibus ex improviſo impingit, cutemque leviter vulnerat. Quod vulnuſculum tam à vulnerato, quàm etiam à Chirurgo flocci æſtimatum, brevi temporis ſpatio, patiente diſſolutam ſuam vitam continuante, tantum incrementum ſumpſit, ut noſtram opem implorare coactus fuerit. Quapropter inſpicientes vulnus perfectum carcinoma, quod magnam ſæpius ſanguinis quantitatem evomebat, nullamque niſi palliativam curam admittebat, deprehendimus. Quâ quidem mediante vitam parumper adhuc duxit, ſed paulo poſt, præſcriptam vivendi rationem negligens, cum morte illam commutavit.

## Observatio II.

### *De gravi & inveterato Capitis vulnere.*

PEtrus *Diderici* F. ſexagenario major, ictu quodam in terram proſtratus, in ſuperiori ſyncipitis parte vulnus ſatis ingens eſt adeptus, quod & Chirurgus & patiens parvi fecerunt. Unde gravi cephalalgiâ ſubinde torquebatur; quæ cùm ſenſim ingraveſceret, malumque augeretur, nec Chirurgo amplius conſilium, nec ægro patientia ſuppetebat. Hinc diverſorum Chirurgorum con-

ſiliis fruſtra adhibitis, vulnus in cancrum incurabilem degeneraſſe pronunciatum eſt. Tandem tribus annis (ſi rectè memini) præterlapſis, vigeſimo ſcilicet *Februarii Anni* 1651. patiens noſtras ædes acceſſit; ubi in ſequenti ſtatu ipſum offendimus. Exterior cranii lamina palmæ latitudinis nigro colore erat infecta, à tempore videlicet verſus medietatem oſſis frontalis, & deinde ſurſum uſque ad ſuturam coronalem procedendo. Labia ulceris ſpongioſa, in inferiore parte dura, pollicis magnitudinis livida apparebant, & tenue fœtidumque pus fundebant. Unde nonnunquam inflammatio iſtius lateris palpebram invertens ſuperveniebat.

Pater meus non tam ulceris naturam, quàm corruptum cranium hujus mali cauſam animadvertens, ſe aliquid boni effecturum ſperabat, ſi exterior cranii lamina ad ſeparationem perduci poſſet. Quod cùm feliciter ſuccederet, ac maligna ulceris labia ſpontè deciderent, & cranium maximâ ex parte laudabili carne denuò tegeretur, remanente ſolùm parvulo foramine unguis magnitudinem æquante, capitis dolor admodum ſedabatur, ſpeſque boni eventus indies accreſcebat.

Poſt aliquod temporis intervallum (octo ſcilicet ſeptimanas ante ægri obitum) cranii portio, carne nondum tecta, ſe movere incipiebat. Huic arteria quædam ſubſternebatur, uti ex pulſu conſtabat. Quâ tandem diſruptâ non exigua ſanguinis quantitas, patientem maximopere debilitans, quotidiè emanabat.

Quapropter ut diſrupta arteria eò melius detegeretur, & hæmorrhagia commodius ſiſteretur, vacillans fragmentum (quod toties arteriam vellicabat, quoties os movebatur) abſtulimus. Hinc duræ matris portio, jam infecta, in conſpectum prodibat, quæ, non obſtante diligenti curâ, brevi diſparebat. Mox piâ quoque matre eodem modo ſubitò evaneſcente, craſſum & benè efformatum fœtidique odoris expers pus ex ſubjacente cavitate, unà cum notabili ſanguinis quantitate ex ipſis cerebri vaſis profluebat, quod per aliquot dies continuabat.

Quamvis autem illa cavitas ſenſim ſenſimque profundior redderetur, ſic ut ſtylus abſque ullo ſenſu uſque ad alterum cerebri ventriculum intrudi poſſet: Nihilominus noſtras ædes, ultra ſemihoram ab ipſius domi-

ci-



Append. II. *Pag.* 663.
Obſ. III.



cilio diſſitas, non ſolum quotidiè adire, verùm etiam animi recreandi gratiâ per urbem frequenter ambulare potuit.

Tribus ante mortem diebus in morbum ſoporoſum incidebat, à quo excitatus interdum quidem viginti quinque vel tringinta pyra cruda comedebat, donec ſenſim inter dormiendum exſtingueretur.

Poſt mortem capite à *Dn. Franciſco Sylvio M. D.* (præſentibus *Dn. Joh. van Horne Prof. Lugd. Dn. Franciſco van der Schagen M. D.* nobis, aliiſque) aperto, cavitatem illam in ſiniſtrum ventriculum penetrare vidimus, qui, reliquis cerebri partibus benè conſtitutis, pure refertus erat.

## OBSERVATIO III.

### *De ingenti Scrophula manuali operatione ſublata.*

ANno 1656. *Anna Jacobi filia van Therenbijl*, Puella 17. annos nata, ingentem retrò dextram aurem ſcrophulam, vel ſi mavis parotidem geſtans, ex Holſatia ad nos miſſa eſt. Cujus originem interrogata, reſpondit, ſe intra aurem & inferioris maxillæ extremitatem, ante quatuor annos glanduloſum tumorem fabæ magnitudinis, durum & doloris omniſque ſenſus expertem animadvertiſſe, qui nullis remediis auſcultans tantum incrementum ſumpſerat, ut ab inferiori maxilla ad nucham, & ab aure uſque ad humerum ſe extenderet, atque circumferentiâ ſuâ tres quartas ulnæ partes complecteretur. Hujus autem excreſcentiæ pars, quâ ſanis ſubjacentibus annectebatur partibus, ejuſdem ac extima ſuperficies erat circumferentiæ. Moles tota cartilaginoſa, rubra, multiſque glandulis conſperſa apparebat. Manibus ſi palpabatur, dura, & immobilis reſiſtebat. In ſuperficie parva conſpiciebatur cavitas, non quidem altè penetrans, fœtidum pus indeſinenter emittens, quam Chirurgus quidam in Holſatia, vulgari methodo malum tollere fruſtrà laborans, cauſtico paraverat. Auris denique in altum elevata & valdè extenſa tumori incumbebat.

Quoniam autem talis excreſcentia non frequenter fue-

rat obſervata, nec medicamenta aliquid efficere poterant, maximumque periculum ex manuali Operatione patienti imminere videbatur, Pater meus celeberrimos quoſdam Medicos Dn. *Franciſcum Sylvium*, *Guilielmum Piſonem*, *Franciſcum van der Schagen*, *Paulum Barbette*, nec non Chirurgum peritiſſimum *Nicolaum à Daelen* in conſilium vocavit. Quibus omnibus varias ob rationes Operatio periculi pleniſſima videbatur: Metus namque erat, ne Scrophula propter firmiſſimam cum vicinis partibus unionem, cum internis quoque arctum nimis commercium haberet, ſicut inter exſtirpandum Arteria carotis externa & interna, nec non Vena jugularis neceſſariò diſcindi deberent; unde copioſâ hæmorrhagiâ ſuperveniente patiens de vita periclitaretur. Præterea ſi vel nervus, vel muſculus temporalis læderetur, convulſiones & ſpaſmi mortem ſæpiſſimè poſt ſe trahentes haud dubiè excitarentur.

Quapropter puellæ parentibus & propinquis periculum indicavimus, qui nihil aliud reſcripſerunt, quàm quòd patientem Deo noſtræque curæ committerent. Imò ipſa puella exſtirpationem exoptabat, ſeque potius mori, quàm miſeram iſtiuſmodi vitam diutius vivere velle affirmabat.

Hinc præclariſſimis antea nominatis Medicis denuò convocatis, puellæ & propinquorum reſponſa Pater narravit, omneſque difficultates ademit, poſtquam ipſis indicaſſet, quâ methodo Operationem inſtituere vellet. Sic ut omnes poſthabito periculo exſtirpationem unicum hujus mali remedium unanimiter judicaverint.

Primo itaque die duplici filo (*Belg. Makreel gaeren*) cerâ obducto ſcrophulam ligavimus. Quoniam autem auris ipſi incumbebat & aliquatenus adhærebat, parvulum quoddam lignum fornicis in modum excavatum ſemicirculi figuram, nec non in exteriori ſuperficie crenam filo tranſmittendo aptam, habentem, ſubſtratis utrique ejus lateri parvulis pulvinaribus auri impoſuimus. Ut videlicet illa quantum poſſibile ſervaretur, nec muſculus temporalis, ſi forte cum tumore communionem haberet, læderetur.

Altero die ſimplici filo tumorem fortius conſtrinximus, unde vehemens dolor fuit excitatus. Quod cùm tertio die repetivimus, omnes venæ, quæ antea ſatis diſtinctè con-

conſpiciebantur, evanuêre, tumorque totus œdematoſus apparuit.

Poſtquam hæc ligatura nec muſculum temporalem nec maxillam cum tumore communionem habere indicaverat, cultroque viam monſtraverat, ſequenti die Operationem tali modo inſtituimus.

Patientis capite, manibus, pedibuſque à miniſtris firmiter detentis, (*vid. Obſ.* VIII.) Pater meus ſcrophulam, à *Nicolao à Daelen* manibus in altum elevatam, circa maxillam incipiendo, falcato cultello ſeparabat. Cùm autem ad ejus cavitatem, unde originem ſumſerat, perventum erat, magna quædam arteria lædebatur, quam ſtatim fungo orbiculari (*Belg. Bovys*) impoſito digitis comprimebam. Circa muſculos colli, tumoriſque radicem duriſſimus callus cultri aciem eludens reperiebatur. Ideoque cultellus aliam viam eligere debebat, donec tota excreſcentia ſeparata eſſet. Id quod brevi temporis ſpatio abſque magna hæmorrhagia, quæ ℥viij. non ſuperabat, feliciter ad finem perducebatur.

Auris maxima pars integra remanſit, & extremæ ſolummodò appendicis, quæ cum excreſcentia erat continua, jactura facta eſt. Facto vulneri ſtatim pulverem noſtrum ſtypticum inſperſimus, magnamque quantitatem lintei cærulei combuſti applicavimus.

Hæmorrhagiâ paululum ſedatâ, magnam orbicularis partem, cujus margo albumine ovi erat inunctus, impoſuimus. Denique vulnus, ſtuppis pulvilliſque impoſitis, faſciis obvolvimus, ita ut ne minima ſanguinis guttula amplius emanaret.

Separata excreſcentia tres libras & ſeptem uncias cum dimidia pendebat. Erat autem membranis ſuis totaliter involuta, ac ſi non ope cultelli ſeparata, ſed manibus avulſa fuiſſet. Interior ejus ſubſtantia ferè ad cartilaginoſam accedebat, ſed magis erat poroſa, multiſque ſanguiferis vaſis donata, quæ forti compreſſione ſeſe manifeſtabant. Exteriùs ſeparatâ cute, denſa & albicans cartilago in conſpectum prodibat, reliqua parte rubri coloris exſiſtente. Integra denique Scrophula ex unico ſolùm conſtabat tumore, unicâ quoque tantummodò membranâ involuto; non autem (uti nonnunquam in iſtius loci excreſcentiis fieri ſolet) ex pluribus peculiari & propriâ membranâ à ſe invicem diſtinctis.

Tertio poſt Operationem die deligatione factâ, peſſimus exhalabat fœtor, & applicatum ſtypticum abſque nova hæmorrhagia ſua ſpontè decidebat; Aſt patientem levis febricula invaſerat, quæ autem adhibitis medicamentis mox iterum evaneſcebat.

Vulneri convenientia remedia, primò ſcilicet Digeſtivum, dein Mel Roſatum, Ol. ovor. tandemque Epulotica indies imponebantur.

Sic itaque Puella, vulnere feliciter conſolidato, remanente ſolùm parvâ quadam maculâ, & ore parumper intorto, læta in patriam commigravit.

Hoc in Caſu comperti ſumus cæruleum linteum uſtum, difficulter maximaque moleſtiâ è vulnere eximi poſſe, & ſubnigram poſt curam relinquere cicatricem, quia facilè cum carne concreſcit. Id quod benè in tali caſu obſervandum venit.

## OBSERVATIO IV.

### *De Abſceſſu Abdominis feliciter curato.*

EXcellentiſſimus & celeberrimus Dn. *Petrus de Marchettis* Chirurgiæ & Anatomiæ quondam Patavii Profeſſor, Obſervationem ſuam 52. ſequentibus verbis incipit: *Tumores aliquando in jecore ſuboriuntur, in quibus alii ſunt crudi, & nunquam ſuppurant, alii verò ad ſuppurationem veniunt; & quia jecur pauci eſt ſenſus, nervulis quippe gibbâ tantùm ſui parte donatum, non ita facilè propterea, niſi progreſſu temporis horum differentia dignoſcitur. Tunc enim qui ſuppurant, gibba potiſſimum ipſius parte in acumen prominent, & ſectionem indicant nullo vitæ diſcrimine; prout ego in multis ſum expertus, ſectis licet integumentis communibus, muſculis & peritonæo &c.*

Cujus rei exemplum ſequens quoque præbet Obſervatio: *Jeremias Boſijn* mercator mari iter faciens, cùm *Anno* 1655. domum rurſus tenderet, tam miſerè ægrotabat, ut de vita admodum periclitaretur; atrociſſimis ſcilicet in ſuperiori abdominis parte corripiebatur doloribus, qui (quamvis exterius in cute nihil ferè conſpici poſſet) ſenſim ingraveſcebant; donec tandem 16. vel 17. *Junii* domum reverſus Dn. *Franciſcum van der Schagen M. D.* ut & Patrem meum in conſilium vocare debuerit.

Qui

Qui cum tumorem valdè dolentem, ſed mollem infra coſtas ſpurias animadverterent, abſceſſum ibidem latitare augurati ſunt: Ideoque emolliens quoddam cataplaſma per aliquot dies parti dolenti applicabatur, patienſque internis medicamentis corroborabatur. Interea temporis pars affecta magis magiſque in altum aſſurgebat, & in dextro ejus latere mollis protuberantia apparebat. Quâ apertâ ingens fœtidi puris quantitas effluebat. Ne autem patiens à copioſo puris effluxu nimium debilitaretur, vulnus turundâ obturatum, vulgari emplaſtro tegebatur, & indies ter deligabatur, ut materia purulenta partitis vicibus efflueret. Nonnunquam puris profluvium interveniens membrana, quam peritonæum judicavimus, impediebat: Quâ remotâ, ope ſtyli ultra digiti longitudinem in hepar uſque penetrantis, pus rurſus effluebat. Quod incommodum ut præcaveretur, plumbeam cannulam cavitati intruſimus. Paucis diebus præterlapſis pus imminuebat & patientis vires iterum augebantur. Ideoque ad cavitatem illam totaliter à ſordibus expurgandam, conſuetam noſtram injectionem mundificantem aliquoties injecimus. Tandem abſceſſus ritè expurgatus, ſenſim claudebatur, ſic ut trigeſimo Auguſti priſtinæ ſanitati perfectè reſtitueretur patiens, qui poſtea adhuc uxorem duxit, & ſanos optiméque conformatos liberos ex illa procreavit.

In hac Obſervatione notatu dignum eſt, pus, quod ſine dubio in cavitate abdominis intra peritonæum hærebat, non ad inferiora delapſum eſſe, ſed in ſuperiori abdominis parte remanſiſſe. Cujus rei cauſam nos putamus fuiſſe membranam quandam, in quâ pus delituit, vel quæ peritonæo accrevit.

## Observatio. V.

### *De Abſceſſu Abdominis mortem inferente.*

Lambertus *Johannis F.* cognomine *Root* variis itineribus mari peractis *Ann.* 1658. *Menſ. April. Regiomontanum* tendit: Verùm in freto Gaditano propter glaciem impeditus, & hærere coactus, poſt varias perpeſſas moleſtias in vehementiſſimum dextri lateris dolorem incidit. Hunc

Hunc navalis barbitonſor purgantibus aliiſque pharmacis debellare fruſtrâ laborat.

Interea temporis patiens ingraveſcente dolore valdè debilitatus *decimo Septembris* domum revertitur, & ſtatim à Dno. *Fr. Verſchagen* M. D. Experientiſſimo conſilium petit. Qui ipſum febricitantem reperiens Julapium nec non Electuarium purgans præſcripſit, & ſequens emplaſtrum dolenti parti applicari juſſit,

℞. *Empl. Oxycroc.*
*de Mucilag.*
*Melilot. ana q. pl.*
*Reform. Empl. & extend. ſuper corium.*

Ego interim *die* 20 *Septembris*, propter patris abſentiam, accerſitus tumorem in abdomine conſpexi, cui, ſupra nominato Medico conſentiente, Cataplaſma attrahens impoſui. Quod autem ſubſequenti nocte, dolore exſiſtente intolerabili, removere, & Anodynum quoddam in ejus locum ſubſtituere debui. Præterea duo Emplaſtra ex Opio crudo ad requiem temporibus applicavi.

*Die* 22. patientem à febri, dolore, frequenti corporis jactitatione & vehementi vomitu ita debilitatum deprehendimus, ut nullus amplius pulſus ſentiretur. Sudor inſuper viſcoſus totum corpus occupaverat, maximumque frigus manus & pedes invaſerat. Qua de cauſa patientem in mortis limine conſtitutum exiſtimantes, nihil aliud, quam cordiale quoddam, & emolliens cataplaſma in uſum vocavimus.

*Die* 23. ægrum præter omnem exſpectationem, adhuc viventem offendimus, & lenientem laxantemque clyſterem optimo cum ſucceſſu ante meridiem applicari juſſimus. Poſt meridiem autem ruptorium molliori magiſque elevatæ abſceſſus parti impoſuimus. Quo mediante ſequenti *die* 24 eſchara facta eſt. Hinc lanceolâ abſceſſum aperuimus, ex quo ingens craſſi & benè cocti puris quantitas emanabat. Unde patiens parum quidem levaminis percipiebat, ſed intensâ nihilominus ſiti & vomitu adhuc torquebatur.

Illo interim die materiam in abſceſſu hærentem quater eduximus, eique ſatis amplum tubulum ex plumbo confectum intruſimus, ex quo deinceps materia fœtida & flaveſcens ſua ſponte profluebat. Ut autem facilius prodiret,

ret, ſolito noſtro liquore cum melle roſato injecto illam attenuavimus.

*Die* 25. melius ſe habebat æger, vomitus enim & vigiliæ, abſceſſu magnam puris copiam fundente, parum remiſerant.

*Die* 26. & 27. in eodem erat ſtatu.

*Die* 28. & 29. Omnia iterum in pejus ruebant, artuum frigus pulſuſque languidus & intermittens redibant. Ita ut tandem 6 *Octobr.* vitam cum morte commutaverit.

Aperto ejus cadavere, Hepar pugni magnitudine exulceratum apparebat, omniaque ferè abdominis contenta pure & ſanie conſperſa erant: Omentum emaciatum & inteſtina, cum adjacente peritonæo muſculiſque abdominis, gangrænâ affecta conſpiciebantur.

## OBSERVATIO VI.

### *De Labiorum concretorum ſeparatione.*

INfans octo menſium corripitur albis veſiculis linguam & labia occupantibus. Quæ non obſtante Chirurg induſtriâ in gangrænam degenerant. Quâ ſeparatâ Epuloticis labia conſolidare conatur Chirurgus. Unde non ſolùm carne obducuntur; verùm etiam ita concreſcunt, ut parvum tantummodo foramen, calami ſcriptorii craſſitiem adæquans, pro cibo & potu ingerendo apertum relinqueretur.

Duodecim circiter elapſis menſibus infantis parentes Patris mei conſilium expetebant, qui expertiſſimis Medicis Dn. *F. Sylvio* & D. *F. van der Schagen* convocatis, ſectionemque approbantibus, locum incidendum atramento notabat, & acutâ forfice, oris foramini intruſâ, conductore viam monſtrante ad debitam diſtantiam in utroque latere, labia, ob nimiam calloſitatem parum ſanguinis fundentia, ſeparabat. Quo facto plumbeum inſtrumentum, juſtam longitudinem, & in medio aperturam, pro alimentorum aſſumptione, habentem, iis interpoſuit. Erat autem in formam iſtius plumbi, quo feneſtrarum rhombi includi ſolent, excavatum, ut eò melius labia ab utraque parte amplecti poſſet. Hoc inſtrumentum unguento exſiccante illinitum & emplaſtis munitum,

tum, parvulo quodam filo utrique ejus extremitati affixo, vicinis partibus alligabatur. Huic majoris firmitatis gratiâ faſcia, in medio foramen habens, ſuperimponebatur.

Atque ita hic affectus, bis vel ter indies deligatus, brevi temporis intervallo feliciter quidem fuit curatus, verùm infans paulò poſt Epilepſiâ ſubitò correptus exſpiravit.

## OBSERVATIO VII.

## *De Gangrænis ex frigore ortis.*

INter varias Gangrænam & Sphacelum producentes cauſas non minima eſt externum frigus, quod ſanguinem & humores in extremitate corporis ita coagulat & ad circulandum ineptos reddit, ut iis deſtitutæ partes ſenſim emoriantur, quemadmodum ex ſequentibus exemplis patet.

*Laurentius Rudolphi* Juvenis, *octavo Febr. Ann.* 1658. piſcandi causâ, intenſiſſimo, quod tum temporis vehementiſſimè ſæviebat, frigori ſe expoſuit. Aſt domum reverſus omnes ſuos digitos ſenſu & motu deſtitutos animadvertit. Hinc Spiritum Vini ipſis impoſuit, ſed ſine notabili levamine.

Qua de cauſa ſequenti die noſtras ædes acceſſit. Patre autem meo peregrè profecto, ego in affectus cauſam ſedulò inquiſivi; quâ intellectâ ſigniſque præſentibus ritè examinatis gangrænam inſtare pronunciavi. Aderat namque digitorum frigus & ſtupor, nec non cœruleus, præſertim in eorum extremitate, color, veſiculæ partiumque adjacentium dolor.

Ideoque periculo patienti indicato, nonnullas veſiculas ſubtili forfice leviter aperui, ſeroſumque in iis contentum humorem eduxi: quaſdam verò acu tantùm perforavi.

Ulceribus deinceps Spiritu vini elotis, Theriac. cum tantillo Unguent. Tetrapharm. applicavi, & Cataplaſma contra gangrænam Spiritu Vini irroratum impoſui. Quâ methodo, dum ſingulis diebus bis patientem deligavi, cura brevi ſubſecuta eſt.

Duo-







DUodecimo ejuſdem menſis die *Bartholomæus Blom*, nec non *Cornelius* & *Antonius Coerten* fratres, aliique eodem malo miſerrimè correpti auxilium petebant, quorum, præſertim priorum duorum, digiti nigri & gangrænâ jam affecti erant. Facto prognoſtico veſiculas aperui, liquoremque in iis contentum evacuavi, & ſimili modo, quo priorem ægrum, deligavi. Separatam autem cuticulam forfice non ſuſtuli, quoniam in priori patiente obſervaveram, digitos, in quibus illa fuerat relicta, decenter magis conſolidatos fuiſſe.

Præterea alvi rationem non ſolùm habui, ſed & ſequentis aceti duo cochlearia ſingulis diebus bis ipſis propinavi.

℞. *Aceti fortis.* ℥xx.
*Ocul. Cancr.* ℥ij.
*Sacchari q. ſ. ad dulced.*

Hoc itaque modo mortificationem, ne ulterius ſerperet, inhibui, & ſeparationem procuravi, quæ in quibuſdam digitis citius, in aliis verò tardius procedebat. Omnium leviſſimè affecti ægri cutem & ungues amittebant. Unius verò digiti *Barthomolæi Blom* gangrænâ infecti & corrupti extremitatem forfice ſecundum artis leges abſtuli, ejuſque exulceratas reliquias mundificavi & ad cicatricem perduxi.

## OBSERVATIO VIII.

### *De ſtupendo inferioris Maxillæ Tumore calloſo & cartilaginoſo, exſtirpatione feliciter curato.*

ANno 1658. *Henricus Henrici* F. faber lignarius 36. annorum, ex Hollandiæ ſeptentrionalis pago Knollendam vocato oriundus, monſtroſo quodam tumore deformis, à Patre meo conſilium & auxilium petebat. Qui tumor in ſiniſtrâ faciei parte à maxillâ inferiore ortum ducens, totamque ejuſdem lateris malam occupans, ſurſum verſus oculum, deorſum verſus aſperam arteriam infra epiglottidem extendebatur. Præterea à ſiniſtra aure incipiens dextram quoque malam obtegere minitabatur; labia namque & nares ad dextram partem jam aliquatenus intorſerat, uti ex appoſita figura appparet. Circumferentia

tia ejus dimidiam ulnam ſuperabat. Attactu erat cartilaginoſus & durus inſtar lapidis. Externus color à reliliqua cute non differebat. In ore fiſtuloſum ulcus conſpiciebatur, ex quo ſubinde ingens ſordidi fœtidique puris quantitas emanabat, unde patiens peſſimè ſæpius ſe habebat.

Hujus tumoris raritas, nec non periculi, in quo patiens verſabatur, magnitudo Patrem impellebant, ut celeberrimos & tum temporis experientiſſimos Medicos, *Nicolaum Tulpium* Virum conſularem, *F. Sylvium*, poſtea in Academia Leidenſi Medicinæ Profeſſorem, *Franciſcum van der Schagen*, *Paulum Barbette*, alioſque, ut & Socerum meum Chirurgum peritiſſimum *Nicolaum à Daelen* in conſilium vocaret. Qui omnes uno ore affirmabant, tumorem & poſſe & debere manuali Operatione auferri. Cui conſilio forti animo annuebat patiens, perſpectum habens, ſi tumorem retineret, ſe brevi temporis ſpatio vitam cum morte commutaturum.

Quapropter Operatio 13. *Auguſti* ſequenti modo inſtituebatur: Patientis humiliori ſellæ impoſiti caput, à miniſtro ipſius lateri aſſidente ſinu exceptum, firmiter tenebatur. Alius verò miniſter manus & pedes compeſcebat. Socer meus à tergo tumorem manibus apprehendebat. Ego hæmorrhagiæ ſiſtendæ intentus eram.

Poſtquam itaque Pater crucialem inciſionem fecerat, ab ore nempè ſurſum uſque ad aurem, & à temporibus iterum deorſum ad aſperam arteriam, cutem à tumore agili manu ſeparavimus, & nonnulla oſſicula cuti infixa advertimus.

Quoniam autem tumor ſuperiori maxillæ firmiter non adhærebat, paululum ſupra aurem ſeparationis initium fiebat, ubi ſtatim non cartilago, ſed oſſa, quibus durus callus intertextus erat, in conſpectum prodibant. Quæ perioſtio cincta & novaculæ craſſitiem adæquantia, operationem non parum retardabant, cùm non niſi fortiori manu impulſus culter illa diſcindere poſſet.

Ad maxillam inferiorem cùm perventum eſſet, magnam excreſcentiam cultello tranſitum negantem deprehendebamus Hinc cultrum ſuperiora verſus adigere oportebat, ita ut tandem multis laboribus integer tumor ſepararetur, qui unà cum fruſtulis hinc inde adhuc

huc ſeparatis bilanci impoſitus ℔i. & ℥xiv. pondere æquabat.

Interea temporis Patiens (quod mireris) nec clamorem aut ſonitum edebat, nec corpus movebat, non quidem ex defectu doloris, & quod ita blandè tractaretur, ſed ex ingenti animi fortitudine, quam futuræ curationis ſpes ipſi ſuppetabat.

Cæterum ſanguis inter operandum eruptus ℥iv. non ſuperabat, nec cutis ultra ſtraminis latitudinem jactura facta eſt.

Altero poſt operationem die, reliquiſque inſequentibus, inferioris maxillæ exoſtoſin, quæ priori die remanſerat, tenui forfice partitis vicibus ſuſtulimus, & cauterio actuali ejus reliquias aliquoties induravimus. Ita ut brevi temporis ſpatio vacillaret, & à reliquo oſſe, carne jam obducto, à Patre meo feliciter ſepararetur.

Vulnere Digeſtiv. Mell. Roſat. Ol. Ovor. & Unguent. Diapomphol. deligato, parvulum quoddam lignum ſupeririobus labris ſupponebatur, ut eorum corrugatio præcaveretur, nec cum ſubjacente carne coäleſcerent.

Tandem ſeparatam cutem iterum connectere laborabamus, quæ ſua ſpontè coarctata minoris molis evaſerat, ſic ut ejus labia, nihilo planè reſiduo, facilè conjungerentur, excepto parvo quodam foramine nullum dolorem inferente, quod in inferiori tumoris parte certas ob cauſas apertum relinquebatur, & deinceps ſua ſpontè anguſtatum medicamentis ad cicatricem perducebatur.

Atque ita patiens Divino adjuvante Numine ſanitati eſt reſtitutus.

## OBSERVATIO. IX.

### *De exſtirpatione Mammæ.*

ANno 1658. *d.* 4. *Jun. Luytie Evers*, fœmina 50. annorum, dextram mammam ſcirrhoſo ulcere maximam partem affectam nobis monſtrabat. Quâ ritè examinatâ ejuſdem exſtirpationem citiſſimum, tutiſſimumque fore remedium indicavimus.

Quapropter illam poſtero die, præſentibus Dn. *Franci-*

*ſco Sylvio* & Dn. *Franciſco van der Schagen* Medicinæ Doctoribus expertiſſimis, ſequenti modo inſtituimus.

Primùm acus quædam à Patre meo per mammillam affectam trajiciebatur. Qua deinde ſiniſtrâ manu apprehenſa, mammam à pectorali muſculo validiſſimè retrahebam: dextrâ verò falcato cultro munitâ, ſcirrhum à vicinis partibus ſubitò ſeparabam, & ſubſequentem hæmorrhagiam ſtypticis compeſcebam.

Parva interim vel nulla aderat febris, vulnuſque quatuor vel quinque ſeptimanarum ſpatio feliciter conſolidabatur.

## OBSERVATIO X.

## *De Eryſipelate œdematoſo Brachium occupante.*

ANno 1658. *Menſ. Jun.* ad ædes *Stephani Menting* vocatus, ipſius infantem unius circiter anni vehementi febri cum adſtricta alvo laborantem, gravique Epilepſia correptum reperi. Cujus totum brachium œdematoſo tumore, gangrænam minitante, diſtendebatur.

Quoniam autem periculum erat in mora, deficiente Medico Clyſterem emollientem præſcripſi, & Cataplaſma contra gangrænam Spiritu vini madefactum calidè impoſui.

Altero die alvum quidem melius reſpondentem brachiumque tenuius redditum, ſed humerum cum pectore inflammatorio tumore occupatum animadverti. Quapropter & iis cataplaſma oxycrato Spiritu Vini camphorato humectatum applicavi. Interea temporis Dn. *Regnerus Rooleuw*, M. Doct. experientiſſimus, Febri & Epilepſiæ, parum quidem imminutis, nondum autem totaliter ſublatis, ſuccurrebat.

Duobus vel tribus ſubſequentibus diebus in eodem ferè ſtatu morbus permanebat, ita tamen ut brachium ſenſim gracileſceret, & inflammatio ab una parte ad aliam ſerperet.

Tandem in cubito tumor ad ſuppurationem tendens ſeſe manifeſtabat, qui mox medicamentis ante dictis totaliter diſcutiebatur. Sic ut infans, in mortis quaſi limine jam conſtitutus, tam internis quàm externis medica-

dica-

dicamentis intra octiduum priſtinæ ſanitati reſtitutus fuerit.

## OBSERVATIO. XI.

### *De Nodulo inciſione curato.*

ANno 1658. *d.* 7. *Semptembr. Geertje Ambroſius*, ab ingenti in diverſas dextræ manus partes diſperſo nodulo liberari cupiens, ad nos venit, poſtquam jam per annum variis remediis, Emplaſtris ſcilicet & fomentis, ab aliis Chirurgis incaſſum adhibitis, illum geſtaſſet.

Quem in finem in eminentiori ejus parte, ubi initium ſumpſerat, parvulum foramen fecimus, ex quo materia, eandem cum oculorum cryſtallino humore conſiſtentiam & pelluciditatem habens, effluxit; quæ mox aëri diutius expoſita tenuior evaſit.

Deinceps nodulo ab hoc liquore liberato Unguentum fuſcum Felicis Wurtſii illinivimus, eique vulgare Emplaſtrum ſuperimpoſuimus.

Ut autem brachium à tumore, qui nonnunquam ſubſequi ſolet, quantum poſſibile cuſtodiremus, Emplaſtrum Defenſivum Vigonis paulo ſupra nodulum ipſi applicavimus.

Sequenti die Eryſipelas œdematoſum manum tumidam reddiderat, doloremque auxerat. Quapropter præter recenſita medicamenta Aquam noſtram contra Eryſipelas ipſi admovimus. Quamvis autem quatuor inſequentibus diebus in eodem ſtatu remanſerit, nullum tamen periculum exinde ipſi imminere pronunciavimus, quoniam illud tali in caſu communiter fieri experientia nos docuerat. Progreſſu namque temporis tumor evanuit, vulnuſque unguento fuſco, mixtura noſtra cum Vitriolo dulci & Mercurio, aliiſque mundificatum, carne ac cicatrice obductum *d.* 6. *Octobr.* conſolidatum fuit.

## OBSERVATIO. XII.

### *De Tumore Dorſi aquâ repleto.*

*ANno* 1658. *d.* 28. *Septembr.* mediocris ætatis mulier, tumorem circa ſiniſtram ſcapulam ſteatomate duriorem & ſcirrho molliorem, doloriſque expertem nobis monſtravit. Quem ritè conſiderantes ex ſteatomate, in ſcirrhoſam ſubſtantiam indurato, ortum ſumſiſſe judicavimus. Quocirca medicamentis ipſum nequaquam tolli poſſe perſuaſi, præſertim cum per quatuor circiter annos patiens illum jam geſtaſſet, exſtirpationem inſtituimus, eumque cultro inciſorio juxta ejus longitudinem aperuimus, putantes ipſum inſtar aliorum ſteatomatum educi poſſe. Sed confeſtim magna pellucidi tenuiſque liquoris inſtar aquæ copia effluxit. Quo facto tumor cum ſubſediſſet, turundis unguento quodam, cui Mercurius præcipitatus erat admixtus, imbutis ipſum implevimus. Poſterâ die levis febricula patientem invaſit, quæ autem ſtatim ſua ſpontè iterum evanuit. Tres inſuper diverſæ magnitudinis veſiculas membranoſas alterâ die extraximus, unde tumor magis adhuc fuit imminutus: Poſtea ejus cavitatem, unguento ante nominato aliquoties mundificatam, convenientibus medicamentis carne replevimus, & ad cicatricem perduximus. Ita ut patiens *in fine Octobr.* ab hoc malo feliciter liberata fuerit.

*Idem videtur hic affectus, cujus mentionem facit Lazarus Riverius Centur. I. Obſervat.* 76. *ſub nomine Tumoris Strumoſi.*

## OBSERVATIO. XIII.

### *De exſtirpatione Scrophulæ infra aurem ſitæ.*

INitio *Novembris Anno.* 1658. *Joannes Regneri F.* 25. annorum Juvenis inveteratâ ſcrophulâ onuſtus auxilium petiit. Hæc ante octo annos infra dextram aurem retrò maxillam inferiorem originem ſumpſerat, & ad pugni magnitudinem excreverat, ita ut aurem in altum elevaret. Profundâ inſuper radice ad interiora ſerpſerat, &

& in eminentiori parte rubicunda conſpiciebatur. Præterea parvum aliquod foramen in ſcrophula apparebat, quod *F. Rintelaer* Chirurgus Daventrienſis, ipſam ſanandi gratiâ, paraverat. Sed, nullum exinde videns ſucceſſum, patientem domum remiſerat, eique perſuaſerat, hoc vulnuſculum ſua ſpontè conſolidatum iri; aſt conſolidationis loco putredo ſubſecuta eſt.

Nos periculum conſiderantes, Dei auxilio & felici ſucceſſu puellæ (de qua *Obſerv.* III. mentio facta eſt) freti, exſtirpationem propoſuimus, ceu unicum patientem ſervandi remedium.

Cui opinioni adſtipulati quoque ſunt præclariſſimi Medici, Dn. *Fr. van der Schagen*, D. *P. Barbette*, & D. *Galenus*. Quapropter illis preſentibus *d.* 15. *Nov.* operatio tali modo inſtituta eſt.

Patiente decenter collocato (*vid. Obſ.* VIII.) Pater meus acum filo inſtructam per ſcrophulam trajiciebat, eamque ſiniſtrâ manu in altum elevabat; dextrâ verò, cultro inciſorio armatâ, tumorem ſeparabat. Interea duæ magnæ, necnon quædam parvulæ arteriæ, ingentem ſanguinis copiam præter exſpectationem fundebant. Quem effluxum fungo orbiculari (*Belg. Bovys*) ſtatim compeſcebam. Patiens maximopere inde debilitatus cardiacis refocillabatur. Altero die, reſarcitis viribus, ab exteriori faſciâ, ad hæmorrhagiam melius inhibendam impoſitâ, liberabatur æger. Unde non parum levaminis in faucibus percepit, ejuſque anxietatem profligatam ſenſit.

Tertio die, plenariâ deligatione factâ, optatam digeſtionem in vulnere vidimus, illudque purum undique conſpeximus, ſolâ quâdam exceptâ parte, ubi cultellus, tumoris membranam obſervare neſcius, per ipſam ſcrophulam tranſitum paraverat. Cui idcircò Digeſtivum noſtrum impoſuimus.

Patiens lentâ febri, quæ ſucceſſu temporis iterum evanuit, corripiebatur. Vulnus operâ Digeſtivi laudabile pus fundebat, cui digeſtivo, ad majorem purificationem obtinendam, Mercurius præcipitatus intermiſcebatur. Unde patiens ſalivationem incurrebat; quæ autem ſtatim, ſublato medicamento, iterum evaneſcebat. Tandem vulnus mediante unguento noſtro Diapompholygos ad cicatricem & conſolidationem *Menſ. Jan. Anni ſeq.* 1659. feliciter perducebatur.

# OBSERVATIO. XIV.

## *De recens nati infantis Aure, Sarcomate maximam partem obſeſſa.*

PIſtoris cujuſdam, *Juliani Tiberii F.* uxor gravida, geſtationis tempore à mendico gravi carcinomate deformi perterrita, *d.* 13. *Decembr. A.* 1658. filium robuſtum & ſanum enititur, cujus ſiniſtram aurem ferè integram ſarcoma, mediocris pugni magnitudinem adæquans, occupaverat.

Pater meus ſtatim poſt partum advocatus, tenellam debilemque ætatem conſiderans, exſtirpationem, à parentibus deſideratam, tum temporis diſſuaſit. Quoniam autem in ſuperficie aderat ſcabrities, quæ in partu ex partium anguſtia producta videbatur, lavamentum quoddam ex Aqu. Roſar. & Plantag. æqualibus partibus, & tantillo Sacchari Saturni, quadruplicatis linteis impoſuit. Unde exulceratio, & rubedo, imò ipſe tumor parum imminuebantur: Subinde tamen non parva ſuboriebatur hæmorrhagia, quam orbiculari fungo aliiſque ſtegnoticis impoſitis ſiſtere cogebamur.

Infante interim præterlapſis tribus diebus robuſtiori reddito, Pater meus, novam hæmorrhagiam metuens, de exſtirpatione cogitare cœpit. Quam etiam, præſente & conſentiente Viro clariſſimo D^o. *Johan Dyman.* M. Doct. & Amſtolodamenſis Gymnaſii Chirurgiæ Profeſſore, feliciter inſtituit, tumoremque ℥j. pendentem cultro inciſorio ſeparavit.

Inter exſtirpandum magna, eaque varia ſanguifera vaſa, in conſpectum prodibant, quæ ingentem hæmorrhagiam excitare potuiſſent, niſi illa in tempore ſtypticis noſtris, impoſitis convenientibus faſciis, deligaſſemus.

Sequenti die non ſolùm laudabilis digeſtio in vulnere apparuit, ſed & maximam auris partem adhuc reſtare obſervavimus. Cui decenter mundificatæ compreſſulorum ope commodam formam iterum conciliavimus, vulnuſque ad cicatricem ſucceſſu temporis perduximus. Sic ut tenellus patiens optimam auris ſuæ figuram ſervans *d.* 1. *Febr. Anno.* 1659. feliciter ſanaretur.

## OBSERVATIO. XV.

### *De Lapide ex orificio Penis extracto.*

J*Acobus Cornelii F.* quinque annorum puer *d.* 11. *Jan. Anno* 1660. ad nos delatus, lapidem in anteriori penis parte geſtabat. Qui lapis, cum adhuc minimæ eſſet molis, paulo poſt pueri nativitatem ad illam partem delapſus, pedem fixerat, tantumque incrementum ſumpſerat, ut, poſtquam eſſet extractus, juglandis nucis magnitudinem ſuperaret & ℥v. ponderaret.

Quapropter convenientibus inſtrumentis, factâ inciſione, illum extraximus, patientemque feliciter ſanavimus, remanente parvâ quadam aperturâ, quæ, propter cutis laxitatem, totaliter claudi non potuit.

## OBSERVATIO. XVI.

### *De Tumore aquoſo Scirrhum mentiente.*

P*Etri Heimanni*, Mercatoris Amſtelodamenſis, ancilla 20. annorum, tumore quodam ovi magnitudinis, valdè duro, ac doloris experte, ejuſdemque cum cute coloris, circa ſiniſtram mammillam corripiebatur. Quem cum diu jam geſtaſſet, ſenſimque incrementum ſumere animadverteret, *d.* 18. *Febr. Anno* 1675. me vocari juſſit, ut cum Experientiſſimo Dn. *Frederico Ruyſch.* M. D Gymnaſii Amſtelodamenſis Anatom. & Chirurg. Profeſſore, nec non *Carolo Vigone* Chirurgo peritiſſimo, de illius curatione conſilia inirem. Quapropter, ejus ſignis ritè penſitatis, affectum illum tumorem ſcirrhoſum eſſe omnes judicavimus. Ideoque, quoniam in inferiori parte mobilis erat, ac experientâ non ſemel didiceramus, iſtiuſmodi tumores reſolventibus (quanquam in tali caſu omnium externorum medicamentorum ſint optima) neutiquam curari poſſe, ſed iis non obſtantibus in Chirurgorum opprobrium incrementum ſæpiſſimè ſumere, exſtirpationem optimum fore remedium concluſimus. Cui patiens non contradixit.

Verùm quoniam in media tumoris parte mollitiem quandam animadverteram, clariſſimo Dn. Profeſſori,

Chirurgoque peritiſſimo antea nominatis proponebam, anne præſtaret, ut tumor (omnibus ad exſtirpationem parandis antea paratis) primò in eminentiori loco phlebotomo aperiretur: ſi fortè materia quædam fluida in eo contineretur; ſin minus, ſcirrhum confeſtim ſolito more exſtirpari poſſe.

Quibus annuentibus ſequenti die prædicto inſtrumento aperturam feci; & ecce è veſtigio magna limpidiſſimi tenuiſſimique liquoris, inſtar aquæ fontanæ, copia emanavit, tumor ſubſedit, ejuſque durities evanuit.

Idcircò rei novitatem demirantes, turundam digeſtivo illinitam vulneri ſolummodò immiſimus, deligationemque inſtituimus. Quod dum per aliquot dies continuavimus, craſſa quædam membrana, ſacculi in modum formata, in vulnere apparuit. Quâ extractâ, vulnereque carne obducto, brevi temporis ſpatio patiens ab hoc malo liberata fuit.

Similem affectum *vide Obſerv.* XII.

## OBSERVATIO XVII.

### *De ingenti & inveterato dextræ maxillæ tumore Scrophuloſo, exſtirpatione ſublato.*

CLara *Jacobi* F. 43. annorum fœmina, ex Hollandiæ Septentrionalis pago Langedyk, *Menſe Maj. Anno.* 1689. ad me venit. Hujus dextram maxillam parteſque circumjacentes ingens excreſcentia ſcrophuloſa ſive Parotis occupaverat. Quæ ante 24. vel 25. annos infra aurem originem ſumpſerat, & quamvis interea temporis à diverſis Chirurgis bis ſublata fuerat, nihilominus ad tantam magnitudinem excreverat, ut integram maxillam obduceret, & ab aure verſus oculum ad os; deorſum verò verſus aſperam arteriam & nucham ſeſe extenderet. Circumferentia ejus tres quartas ulnæ partes ferè complectebatur. Attactu erat cartilaginoſa & inſtar lapidis dura. Color ejus partim rubicundus, partim naturali ſimilis apparebat. Præterea prope aurem peculiaris excreſcentia, (cui auris lobus prolongatus incumbebat), ulcere, fœtidam ſaniem emittente, prædita conſpiciebatur, uti *ex appoſita figura* patet.

Quo-

Quoniam itaque patiens meam expetebat opem, omnibus ſignis & circumſtantiis ritè penſitatis, nullum curandi methodum niſi exſtirpationem reſtare deprehendi. Ut autem aliorum quoque judicia experirer, Experientiſſimos quoſdam Medicinæ Doctores, Dn. *Engelbertum Veen*, collegii Medici Decanum, Dn. *Abrahamum Quina*, Dn. *Petrum Guenellon*, Dn. *Petrum Bernagie* Illuſtris Scholæ Amſtelodamenſis jam temporis Prælectorem, nec non *Gomarum à Bortel* Chirurgum dexterrimum, in conſilium vocavi. Qui cum excreſcentiæ baſin latam, ac cum vicinis partibus profundè ſatis cohærentem animadverterent, exſtirpationem periculoſam, nullamque curationis ſpem ſupereſſe, primùm judicabant. Præprimis, quoniam non ſolùm majoribus colli vaſis, & internæ oris membranæ firmiter incumbebat; quibus læſis non modò gravis hæmorrhagia, propter faucium (validam compreſſionem minimè admittentium) viciniam, non facilè iterum ſedanda, verùm etiam inſanabilis apertura, perpetuaque & involuntaria ſalivatio facilè producerentur. Sed poſtquam ipſis meam mentem ac methodum, quâ commodè fieri poſſet operatio, detexiſſem, mihi adſtipulabantur. Ut itaque ſupra recenſitos ſcopulos evitarem, tali modo proceſſi.

Primo die, qui erat *vigeſimus Maj.* firmam ligaturam tenui filo (*Belg. Makreel gaeren*) cerâ obducto in partis ſanæ confinio ſcrophulæ injeci, ut hoc modo crena produceretur, & exſtirpationi via pararetur.

Altero die ſoluto vinculo, ſuperiori crenæ parti cauſticum, ex calce viva & lixivio quodam forti paratum, admovi, eique linteum carptum, nec non emplaſtrum ſuperimpoſui. Deinde tumorem validè iterum ligavi, quò ſcilicet crena non ſolum in aliis quoque partibus profundior evaderet, ſed & cauſticum cuti altius imprimeretur.

*Sequenti* die remotâ ligaturâ cauſticoque ablato, eſcharam in ea parte, ubi cauſticum admotum fuerat, deprehendi. Hanc lanceolâ aperui, vulnuſque linteis carptis replevi. Tunc alii crenæ parti cauſticum quoque impoſui, & ligaturam rurſus ſuperinjeci.

Quod tamdiu (juxta crenæ tractum procedens) continuavi, donec poſterior tumoris pars à valdè tenui membrana malæ, aliiſque partibus ſubjacentibus maximam

tem ſeparata eſſet. Id quod non ſine moleſtia atque periculo peragebatur. Nonnulla namque majora ſanguinea vaſa inter ſeparandum lædebantur, unde gravis producta hæmorhagia patientis vitam dubiæ alæ expoſuiſſet, niſi in tempore prudenter ſedata fuiſſet.

Vehementem interim, quem tam diuturna operatio inferebat dolorem, patiens futuri levaminis ſpe ſuffulta conſtanter ferebat. Simulatque autem modum excedebat, anodynis mitigababatur. Febriculæ continuæ, quæ ægram invaſerat, præſtantiſſimi antea nominati Medici convenientibus remediis obviam ibant.

Præterea facies ita intumeſcebat, ut dexter oculus penitus clauderetur. Quod ſymptoma ſequenti lavamento calidè impoſito ſtatim iterum evanuit.

℞. *Aqu. plantag.*
*Roſar. ana part.* ij.
*Spir. Vin. Campb. part.* j.
*M. F. Lavamentum.*

Cum itaque excreſcentia eouſque ſeparata eſſet, ut illæ difficultates, de quibus antea mentionem feci, maximam partem ſublatæ viderentur, conſentientibus antea nominatis Medicis & adjuvantibus *Gomaro à Bortel*, nec non *Diderico Cloes*, Chirurgis peritiſſimis, illam totaliter ſcalpello ſuſtuli. Mox ſuperveniente hæmorrhagiâ, vulgaribus ſtypticis levi negotio inhibitâ, patiens lecto imponebatur.

Separata pars exterius membranâ tegebatur, interius autem erat cartilaginoſa, treſque libras medicinales ponderabat.

Quamvis autem omnem diligentiam in ſeparandâ à genæ membrana ſcrophulâ adhibuimus, nihilominus parvulum, unguis magnitudinis, fruſtulum, quod cultro vitari non poterat, ab illa ſublatum fuit. Unde foramen aliquod in os penetrans, nec dolorem, nec moleſtiam aut impedimentum patienti afferens, poſt curationem remanſit.

Cæterum ægra feliciter reſtituta, perfecteque ſanata, intra menſis ſpatium Summo Numini pro largito beneficio in ſacris ædibus gratias egit, & *d.* 17. *Septembr.* nobis valedicens domum diſceſſit.

Raræ hujus excreſcentiæ ab utraque parte formam, patientiſque ante & poſt curationem faciem, *appoſita figura* ad vivum exhibet. OB-

# OBSERVATIO XVIII.

## *De Bronchocele.*

INter tumores præternaturales guttur infeſtantes non minimam infert moleſtiam periculoſus ille, qui Græcis Βρογχοκήλη, Latinis *Bocium* ſeu *Hernia gutturis* dicitur, quique aſperam arteriam ita nonnunquam occupat, ut patientes, poſtquam miſeram vitam per longum temporis intervallum maximis præcordiorum anxietatibus & anguſtiis duxerint, cum morte tandem illam commutare cogantur. Cum enim ex hebeti (ut *Celſus* loqui amat) & præternaturali conſtet carne, nullis reſolventibus medicamentis (niſi fortè in principio) cedit; ſed potius ſenſim incrementum ſumens aſperam arteriam ita comprimit & complectitur, ut patientes, quibuſvis remediis incaſſum adhibitis, ſenſim ſuffocentur, uti aliquoties videre mihi contigit.

Quemadmodum tale exemplum inter alia in grandæva quadam hujus urbis Deo ſacrata virgine obſervavi. Hæc periculoſâ gutturis herniâ laborabat, quæ nullis medicamentis reſolventibus aut ſuppurantibus domari, nec abſque periculo aperiri, multo minus exſtirpari poterat, quoniam longè latéque diſperſa, circumjacentibus partibus firmiter innectebatur. Quapropter patiens palliativâ curâ diu adhuc ſuſtentata, ſupradicto modo tandem exſtinguebatur. Ut autem poſt obitum affectam partem accuratius examinarem, illam aperui, & muſculis, vaſis, nervis aliiſque adjacentibus partibus, glutinoſam & fungoſam carnem intertextam reperi. Unde partes illæ officio ſuo fungi non potuêre. Inſuper aſpera arteria unà cum œſophago ita coarctata & compreſſa erat, ut nec per illam aër, nec per hunc cibus & potus tranſitum invenire potuerint.

Verùm Bronchocele non ſemper illius eſt naturæ & indolis. Nonnunquam enim ab aſpera arteria & œſophago eſt ſeparata, nec vel reſpirationem vel deglutitionem ullo modo impedit. Tunc minus periculi portendit, & in principio reſolventibus ſæpius curatur. Aliquando humorem continet melli ſimilem, uti *Celſus* quoque obſervavit *Lib. VII. cap.* 13. & in tali caſu aperturâ ægris au-

auxilium ferre, aut ad minimum illorum anxietatem mitigare poſſumus.

Cujus rei exemplum notatu dignum afferam, quod in Patris ſatis ampla praxi obſervavi. Fœmina quædam florenti ætate notabili Bronchocele infeſtabatur, quæ aſperam arteriam occupans maximam anxietatem inferebat. Hæc optimis medicamentis reſolventibus fruſtra impoſitis, ſenſim incrementum capiens, anxietatem augebat. In ſuperficie ejus mollis protuberantia, liquidam in illa latitare materiam arguens, apparebat. Proinde quamvis hæc hernia apertura totaliter curari non poſſet, quoniam reliqua ejus pars erat dura, tracheamque valdè comprimebat & anguſtabat; nihilominus, ut difficilis reſpiratio aliquo modo mitigaretur, Pater meus, annuentibus quibuſdam Medicis, tumorem in ſupradicto molli & eminentiori loco aperiebat. Quo facto flavus tenuiſque liquor emanabat; unde reſpiratio multò liberior evaſit. Remanentem denique tumoris partem variis medicamentis vel ad ſuppurationem adigere, vel abſumere tentavimus. Verum iſtiuſmodi methodum non ita facilem, ac Auctores illam deſcribunt, deprehendimus. Intera temporis diu poſt aperturam factam, rarum & notatu dignum phænomenum ſuperveniebat. Singulis videlicet menſibus ſanguis menſtruus, non per ordinarias & conſuetas vias, ſed per hoc Bronchoceles foramen, imò per oculos & aures, ſicuti ſæpius ipſe vidi, effluebat. Qui inſolitus & præternaturalis ſanguinis curſus nullâ arte mutari poterat, quamvis varia medicamenta internè adhiberentur, & Venæ ſectio in pede ſæpiſſimè adminiſtraretur. Tandem experientiſſimus Medicus *Dn. Matthæus Sladus* (qui tum temporis officinam noſtram ſæpius frequentabat) conſilium dedit, ut peſſarium ex Radice Hellebori albi ſindone obvolutum collo uteri intruderetur. Quo aliquoties facto ſanguis menſtruus per ordinarias iterum vias tranſitum parabat. Interea tumor palliativè curabatur, ſic ut patiens per aliquot adhuc annos ſpiritum mox aliquo modo liberius, mox iterum impeditè magis duxerit, donec tandem alio quodam morbo exſtincta fuerit.

# OBSERVATIO XIX.

## *De Arteriotomia.*

QUarto *Decembris Anni* 1660. Pater meus ad ædes Matronæ cujuſdam mediocris ætatis & obeſæ ſtaturæ accerſebatur, quæ de gravi cephalalgia, quâ, multorum Medicorum conſiliis incaſſum adhibitis, diu jam laboraverat, conquerebatur. Ad quam mitigandam varia externa medicamenta à Patre meo, nec non interna à Dn. *Franciſco van der Schagen* M. D. in uſum vocabantur, ſed irrito cum ſucceſſu. Quapropter à celeberrimis tum temporis Medicis conſilia petebantur, & medicamenta quidem juxta eorum beneplacitum mutabantur, ſed eundem cum prioribus ſortiebantur effectum. Tandem Arteriotomia ſive arteriæ temporalis ſectio, in inveteratis & pertinacibus cephalalgiis à Veteribus magni æſtimata, & frequenter inſtituta, proponebatur. Interea, cum patiens hoc conſilium, quod periculoſum putabat, cum amicis & propinquis ponderaret, Vir quidam ex Friſia oriundus, intolerabili capitis dolore divexatus, *Menſe Februarii Ann.* 1661. opportunè ad nos venit, petiitque, ut arteriam temporalem ipſi aperiremus, quoniam exinde maximum doloris levamen olim perceperat. Ego operationem ipſi non diſſuaſi, ſed (Patre meo peregrè profecto) auctor fui, ut ambulando corpus parumper prius exerceret, quò ſanguine in majorem motum redacto, arteria temporalis pulſu ſe melius manifeſtaret. Interim omnia ad operationem neceſſaria præparabam. Poſtquam patiens probè calidus revertebatur, ipſum ſedili ritè collocato impoſui. Deinde crines circa arteriam incidendam abraſi. Mox illam partem ſpongiâ aquâ calidâ repletâ fovi. Tandem linteo contorto collum aliquo modo conſtrinxi. Ne autem larynx comprimeretur, & reſpiratio libera maneret, duobus anterioribus digitis patiens mappam anteriora verſus trahebat. Cum itaque hoc modo arteriæ temporalis pulſus manifeſtè appareret, locum incidendum atramento prius notavi, & confeſtim acuto phlebotomo intrepidè & uno ictu ita aperui, ut ſanguis per intervalla magno impetu exſiliret. Legitimâ vel ſatis magnâ ſanguinis quantitate emiſſâ, vulnu-

nuſculi labia, ſpongiâ prius mundificata, rurſus conjunxi, iiſque glutinans emplaſtrum, & primò minores dein ſenſim majores compreſſulas, ac tandem commodam faſciam ſuperimpoſui. Poſtero die reverſus patiens, ſe maximum doloris levamen ſentire affirmavit. Quoniam autem vulnus ut pridiè curaveram offendi, non illo, ſed ſequenti die deligationem inſtitui. Atque ita ſine ulla aneuriſmatis nota vulnuſculum conſolidavi, ægrumque ab immani iſta cephalalgia liberavi.

Pater meus domum reverſus, hunc caſum lætus percipiens, ſtatim ſupra dictam Matronam adivit, ipſique, quod acciderat, narravit. Hæc cum ab ipſo homine à cephalalgiâ liberato idem intelligeret, operationem ante deſcriptam ſibi quoque adminiſtrari poſtulabat. Quam proinde *d.* 1.*Mart.* Dn. *Franciſco van der Schagen* ut & Patre meo præſentibus, eodem modo ac ante inſtitui. Verùm hæc matrona ſperatum ex operatione ſucceſſum non eſt adepta, ſed ad alia rurſus medicamenta reverti debuit: poſt quorum ſatis diuturnum uſum tandem aliquatenus convaluit.

Unde apparet, operationem non ſemper optatum ſortiri effectum, quamvis debitè adminiſtretur. Nihilominus hanc poſtea aliquoties, maximo patientum levamine, nulloque ſuperveniente aneuriſmate, feliciter adminiſtravi.

## OBSERVATIO XX.

### *De notabili dextræ Tonſillæ excreſcentia.*

D*Ecimo quinto Martii Anni* 1662. Pater meus ad ædes Dn. *Wilhelmi van den Bloke* accerſebatur, cujus ſoror *Barbara* vocata difficili deglutitione & reſpiratione laborabat. Cujus cauſa erat notabilis excreſcentia ex inferiori dextræ tonſillæ parte in œſophagum propendens. Quam ob cauſam experientiſſimus Dn. *Franciſcus van der Schagen* M. D. ut & peritiſſimi Chirurgi *Georgius van Loon* & *Benjamin Minuict* in ſubſidium vocabantur. Qui poſtquam accuratè omnia examinaſſent, excreſcentiam, quàm profundè fieri poſſet, exſtirpari debere, unanimiter concludebant. Quæ operatio ſequenti die, præſentibus ſupra no-

nominatis Viris, à Patre meo, (cui auxiliatrices præbebam manus) feliciter inſtituebatur, fruſtumque ovi magnitudinem adæquans ſeparabatur. Hæmorrhagia ſuperveniens modum non excedebat, & convenientibus medicamentis ſolummodò admotis (cum nec compreſſulæ nec faſci hic locum invenirent) commodè ſiſtebatur. Deinde vulnus decenter mundificatum ad cicatricem perducebatur; ſic ut patiens ab hoc malo brevi liberaretur. Quoniam autem hujus excreſcentiæ radix tam profundè delitеſcebat, ut nec oculis nec inſtrumentis attingi poſſet, ſenſim iterum tumor incrementum capiebat. Donec tandem *d.* 18. *Octobr. Anni* 1664. ſubitò ſuperveniente tuſſi, excreſcentia in altum ita fuerit propulſa, ut ejus portio extra os promineret, quam patiens infixis dentibus tamdiu firmiter detinebat, uſque dum ego, (qui ſtatim quidem advocabar, ſed hujus rei neſcius ex urbe exiveram) poſt ſex vel octo horas demum advenirem. Ubi confeſtim excreſcentiæ partem prominentem incurvatâ acu filo inſtructâ perterebravi, eamque filo alligatam faucibus iterum immiſi, ſic ut fili extremitates ex ore propenderent; quò ſcilicet excreſcentia toties, quoties reſpirationem nimium impediebat, in altum rurſus elevari poſſet. Altero die Dn. *Franciſcum van der Schagen* M. D. in conſilium vocavi, qui poſt accuratam deliberationem mecum concludebat, ligaturam huic excreſcentiæ tam profundè quàm fieri poſſet injici debere, ut eo citius & tutius deinceps abſcinderetur. Id quod ipſe inſtitui (Patre ſcilicet jam ultra annum mortuo) & fruſtum anatis ovi magnitudinem excedens exſtirpavi, vulnuſque eo, quo ſupra dictum eſt, modo conſolidavi. Verùm quoniam ejus radix œſophago nimis altè infixa erat, viſumque effugiebat, nullis obſtantibus remediis, incrementum rurſus capiebat, donec tandem duobus annis prӕterlapſis alio morbo patiens interimeretur. Poſt ejus obitum tumoris originem ſectione libenter accuratius examinaſſem, ſed ſupra nominato Medico conſultum non videbatur, quoniam contagioſo morbo ægra interierat.

# OBSERVATIO XXI.

## *De carnoſa in Femore Excreſcentia.*

ANno 1663. *d.* 8. *Aprilis*, *Arnoldus Pauli Roterodamenſis* unà cum filiâ & ex ea nepote ſuo 8. vel 9. annorum, qui peculiari excreſcentiâ in internâ femoris parte, paululum ſupra genu, laborabat, ad nos venit. Erat illa pugni magnitudinis, oblonga, aperta & exulcerata, fœtidamque ſaniem in magna quantitate ſummis cum doloribus indies effundebat. Poſtquam in hujus mali cauſam inquiſivimus, ab avo intelleximus, ante aliquod tempus in illa parte tumorem doloris expertem apparuiſſe, qui progreſſu temporis ad tantam magnitudinem excreverat. Quam ob cauſam à pagano quodam Chirurgo, magni à vulgo æſtimato, auxilium petierunt. Qui ope ligaturæ tumorem ſeparare voluit; ſed tali methodo procedens puerum valdè debilitavit, ipſique intolerabiles dolores ut & continuam febrem conciliavit. Unde parentes noſtram opem implorarunt. Cùm itaque Pater meus propter invaletudinem (quâ tertiâ poſt ſeptimanâ è vita ceſſit) lecto detentus, excreſcentiam accuratè mecum examinaret, craſſum illum filum, quo prior Chirurgus ligaturam fecerat, tumori adhuc firmiter implicatum reperi. Nullâ enim arte niſi ſcindendo ſolvi aut extrahi poterat, quoniam caro à filo ſeparata ſtatim retrò filum cum alia carne rurſus concreverat; quod me nunquam antea tam manifeſtè, vel obſervaſſe vel legiſſe memini. Hinc omnibus circumſtantiis ritè penſitatis, judicavimus profundam exſtirpationem optimum, imò unicum fore remedium, quo patiens ab inſtanti morte liberari poſſet. Ideoque pueruli matre & avo conſentientibus, imò flagitantibus, ipſâ die Dominicâ, quoniam periculum erat in mora, operatio adhuc inſtituebatur. Cùm itaque omnia, huic rei inſervientia, parata eſſent, ægrotulus, coram Patris mei lecto, miniſtri cujuſdam gremio imponebatur, qui ſimul manus ipſius atque crus ſanum compeſcebat. Alter autem crus affectum firmiter detinebat. Ego interim excreſcentiam filo prædicto apprehendens & in altum elevans, retrò ligaturam, à ſuperiori verſus inferiorem partem, agili manu convenientibus inſtrumentis ſe-

ſeparabam. Hæmorrhagia ſatis copioſa ſuperveniens reſtringenti pulvere, ut & fungo orbiculari albumine ovi illinito compeſcebatur. Tandem compreſſulis vnà cum conveniente ligatura ſuperimpoſitis, patiens quieti tradebatur. Separatâ parte, pugni magnitudinem excedente examinatâ, integrum adhuc filum ipſi inhærere vidimus, quoniam, retrò ipſum inter ſeparandum, cultrum adegeram: Unde manifeſtè liquebat, carnem â filo olim ſeparatam, uti antea monui, cum alia carne rurſus concreviſſe. Circa veſperam patiens ad domicilium portabatur, ubi ipſum indies viſitans, primò digeſtivis; dein mundificantibus deligavi: Verùm inter mundificandum nova excreſcentia carnoſa, ſubitò accreſcens, conſpectui ſe offerebat. Cujus cauſam inquirens, magnam oſſis femoris partem carie affectam reperi. Interim ægrotulus multò melius ſe habebat, quoniam febris ceſſaverat, & intolerabilis ille dolor, jam tolerabilis evaſerat. Unde cariem commodius detegere potui. Id quod eſcharoticis primùm tentavi. Verùm cùm hæc nimis debilia & dolorifica exſiſterent ad cauterium actuale (Patre meo interea temporis vitâ defuncto) confugere debui. Quo mediante in femore cariem, digiti longitudinem habentem, in apricum deduxi atque ſeparavi. Sic tandem ulcere laudabili carne repleto ac cicatrice obducto ægrotulum feliciter reſtitui.

## Observatio XXII.

### *De utriuſque Mammillæ Sphacelo, ex ſubitanea menſium ſuppreſſione producto.*

Mediocris ætatis mulier, linteis lavandis occupata, poſtquam ſudore jam difflueret, induſium quod geſtabat ſordidum & ſudore madidum, (quò ſcilicet illud ſimul lavare poſſet) inconſideratè nimis exuit, frigidumque & humidum rurſus induit, parum ſollicita, quod illo tempore fluxu menſtruo laboraret. Qui proinde ſtatim ſupprimebatur. Paulò poſt utraque mammilla inflammatione, tumore & dolore corripiebatur, nec non vehemens febris ſuperveniebat. Tandem inflammatio in gangrænam & ſphacelum degenerabat, ita ut mammil-

læ ſenſu deſtituerentur, & inſtar carbonis nigræ apparerent. In quo ſtatu conſtituta patiens noſtrum conſilium imploravit; Verùm nec interna medicamenta à Medicis præſcripta, nec externa, veluti Cataplaſma contra gangrænam &c. à nobis in uſum vocata, aliquid efficere poterant, ſed malum ita ingraveſcebat, ut ægra paucis diebus præterlapſis vitam cum morte commutare debuerit.

FINIS.

# INDEX UNIVERSALIS,

*Rerum, Inſtrumentorum, & Obſervationum, tam Armamentarii Chirurgici, quam Appendicum.*


A.

*A Baptiſta*, forceps. pag. 8.
—— —— modiolus cum aliis. 4.
*Abdominis* abſceſſus. Vid. Abſceſſus abdominis.
—— paracenteſis. V. Paracenteſis abdominis.
—— vulnus, conſuendi modus, *Gaſtroraphia* dicta. 101. 106. 110.
—— —— dilatandi modus. 99. 101.
—— —— inteſtina reducendi error. 644.
*Abſceſſus* abdominis curatus. 666.
—— —— lethalis. 667.
—— aperiendi ſcalpelli. 21. 22. 36.
—— deceptoria inciſio. 105.
—— in brachio. 343.
—— in clunibus. 334.
—— in manibus. 332.
—— in toto corpore. 645.
—— ex febri acuta. 264.
*Acantabolum* Pauli Æginetæ, volſella. 7.
—— —— ſimile inſtrumentum. 19.
*Acus* argentea, pro deponenda cataracta. 12.
—— pro ſetaceo in nucha parando. 11. 458.
—— qua trajicitur mamma cancro affecta. 22.
—— pro hydropicorum abdomine & ſcroto aperiendo. 23.
—— pro perforandis fiſtulis. 27. 32.
—— caſtratoribus inſerviens. 24. 27.
—— lunata ad puncturam auream vel plumbeam. 365.
—— cum filo in labiis leporinis. 502.
—— pro deligatione utiles. 460.
—— per ſeptennium in carpi articulo deliteſcens. 655.
*Adami pomi* tumor. 643.
*Ægineta* (Paulus). V. Paulus Ægineta.
*Ægylops*, comprimendi inſtrumentum. 12.
—— curatio. 68. 72. 86.
—— exſcindendæ ſcalpellus. 14.
*Alphonſinum* inſtrumentum, pro extrahendis globulis ſclopetorum. 29.
*Alphonſus Ferrius*, de vulneribus

ribus ſclopetorum. 29.
*Alvus* inverſa 626.
—— qua excernuntur ſemina. 567.
*Amauroſis.* V. Gutta Serena.
*Ambi*, ſ. Spatha *Hippocratis* 37. 38. 507.
*Ambuſta facies*, pulvere tormentario. 259.
*Amputatio membrorum*, inſtrumenta. 36. 37.
—— deligandi ratio. 145.
—— manus & pedis. 144. 344.
*Amuletum* ad hæmorrhoides. 135.
*Anaſarca*, ſcroti ſetaceo curata. 635.
*Ancyloblepharon.* 12. 13. 67.
*Angina.* 258.
*Annulus* pro oculo firmando. 12.
—— aureus cum ſcalpello. 22.
—— uterinus. V. Circuli.
*Anſerina* forceps. V. Forceps anſerina.
*Anthrax*, in muſculis femoris. 647.
—— retrahendus ferro candente. 35.
*Antlia*, pro pure extrahendo. 368.
*Anus*, non perforatus aperiendus. 36. 131. 323.
*Ani fiſtulæ* incidendæ. 132.
—— penetrantes. 133.
—— non penetrantes. 134.
—— in ſenibus tutò non curantur abſque fonticulo. 135.
—— *procidentia* remittenda. 131.
—— *ſpeculum.* V. Speculum ani.
—— *ſphincter*, tutò poteſt incidi. 135.
—— *ulcera* curanda. 132.
*Aphonia* ex concuſſione cerebri. 341.
*Apoplexia*, inuſtione occipitis curanda. 11. 76.
—— ex contuſione capitis. 226. 650.
—— ex dentitione difficili. 255.
—— per infuſionem in venas curanda. 454.
*Apoſtema*, aperiendi ſcalpellum. 21. 22.
—— corporis totius. 645.
—— femoris, ex quo menſtrua fluxerunt. 653.
—— hepatis. V. Hepatis apoſtema.
—— patellæ. 648.
—— pectoris externum lethale. 643.
*Aqua* calcis vivæ paranda. 319.
*Aqua* cordialis. 241. 253. 288. 291. 304.
—— corroborans. 216. 244. 245. 270. 332. 335. 349.
—— ad eryſipelas & œdema. 356.
—— ad lepram. 359.
—— odorifera. 245. 333.
—— ophthalmica. V. Collyria, Ophthalmica aqua.
*Aquapendens* (Hieron. Fabritius) de fonticulis. 1. 2.
—— modiolorum alæ. 4.
—— ceratum ad hernias. 112.
—— de Acantabalo in faucium Chirurgia. 19. 91.
—— de Ægylope curanda. 12.
—— de caruncula urethræ curanda. 122.
—— de cingulo umbilicali. 103. 104.
—— de fiſtulis ani. 132. 134.
—— de fiſtulis thoracis perforandis. 32. 102.
—— de fœtu ex utero extrahendo. 131.
—— de gangræna & ſphacelo. 147.

*Aquapendens* de hæmorrhoidibus. 135.
——— de ozœna narium adurenda. 93.
——— de polypo narium extrahendo. 17. 73.
——— de reſtituendo humero luxato. 40. 41.
——— de ſuffuſione & vaſculo oculari. 13.
——— de vinculo linguæ incidendo. 89. 90.
——— de uvula abſcindenda. 16.
*Aranearum tela* ſedant hæmorrhagias vulnerum. 643.
*Ardor urinæ.* V. Urinæ ardor.
*Aridis membris* nutrimentum attrahendi cornicula. 32.
*Arteria aſpera*, perforandi modus, ſ. *Laryngotomia.* 74. 75. 87. 553.
——— vulnus. 640.
*Arteria carpi*, comprimendi inſtrumentum. 34. 188. 189.
*Arteria* inciſa deliganda. 339. 479. 484. 507.
——— in medulla oſſis pulſans viſa. 642.
*Arteriotomia.* 67. 188. 189. 479. 483. 685.
*Arthritis*, cura per infuſionem in venas. 454.
*Articulus*, elongatus curandus. 167.
——— luxatus reſtitutus recidens. 166. 167.
*Aſcialis* ligatura. 143. V. Faſcia aſcialis.
*Aſcites.* V. Hydrops.
*Aſpera arteria.* V. Arteria aſpera.
*Aſthmatis* cauſa hydrops pectoris. 618.
*Aſtragali* luxati reſtitutio. 155.
*Atheroma*, in femore. 141. 338.
*Atheroma*, in fronte. 79. 83.
——— in genu. 82.
——— cura. 80. 81. 82.
*Atretæ.* V. Hymen, Vulva, aperiendæ.
*Atreti.* V. Anus, Penis, aperiendi.
*Atrophia* totius corporis. 352. 354.
*Auditus defectus.* V. Surditas.
*Aurea punctura.* V. Punctura.
*Auri* aquæ extinctæ uſus. 421.
——— tinctura. 582. 583.
*Auriga*, vinculum. 542.
*Auris*, dolores. 479. 480.
——— extrahendi pus cum antlia. 368. 479. 483.
——— injiciendi ſipho, *Otenchyta.* 25. 88.
——— inveterati affectus curandi. 482.
——— parotis tumens, ſ. eparma ſcirrhoſum. 632.
——— polypus. 605.
——— ſarcoma abſciſſum. 678.
——— ſetaceum. 76.
——— vincula & faſciæ. 540. 541.
——— ulcera curanda. 479. 481. 482.

## B.

*Balneatorium* inſtrumentum, ex corio. 511.
*Balneum* cum herbis, in capitis vulneribus. 207.
——— pro calculo in ureteribus. 368.
——— in lepra. 354. 359.
——— in veſicæ fiſtulis. 612.
——— ex igne, in lecto. 510. 511.
*Barba* ficta. 375.
*Bartholinus*, de inſtrumento ad uvulam abſcindendam. 15. 16. 17.

*Bartiſch* (Georgius) Oculiſta Dreſdenſis. 72.
*Biliarius ductus* obſtructus à calculo, cauſat cancrum Coli inteſtini & Uteri. 311. 312.
*Bilis* obſtructa non ſemper generat icterum. 312.
*Bolus* purgans. V. Purgans bolus.
*Bracherium* pro hernia. 110. 126.
—— pro pueris. 110. 120.
*Brachium*, arte factum. 371.
—— mutilatum deligandi. 145. 146.
*Brachii* eryſipelas œdematoſum. 674. 675.
—— figura pro cura humeri fracti. 154. 156.
—— fonticulus. 194.
*Bronchocele.* 683.
*Bronchotomia.* V. Arteria aſpera.
*Bubo* inguinis à ſurditate comitatus. 649.

C.

*Cæſares*, varii ex utero ſecti. 127. 128. 129.
*Cæſarea ſectio*, ſeu Partus Cæſareus. 32. 127.
*Cagnola.* V. Forceps dentaria.
*Calamitas*, *Hippocrati* dicta, eſt contrafiſſura cranii. 66.
*Calcis vivæ aqua.* V. Aqua calcis.
*Calculi* extractio ex veſica, *Lithotomia*, inſtrumenta. 23. 24. 28.
—— extractio ex urethra. 28. 121. 679.
*Calculo* ſectorum deligatio. 127.
*Calculum* veſicæ explorandi ratio. 121. 127.
—— ſecandi ratio. 121. 127.
*Calculum* in pene conterendi & exſcindendi modus. 369.
*Calculus* citra meatus urinarii inciſionem exemtus. 313.
—— renum in ureteribus hærens. 368.
—— in veſica fellea cauſat cancrum inteſtinorum. 311. 312.
*Callus* poſt fracturam oſſis generandus. 175.
—— poſt luxationem, impedit reſtitutionem, & motum articuli. 165. 166.
*Callos* incidendi forceps 36.
—— abſumendi. 133.
*Calvaria.* V. Cranium.
*Canalis.* V. Cannulæ.
—— cum ſtylo pro pure extrahendo. 22.
—— ad brachium & pedem fractum deponendum. 40. 146. 154.
*Cancer*, ſigna ejus. 301.
—— emollientibus tractatus exaſperatur. 294.
—— male inciſus. 300. 301.
—— occultus ſatius non curatur. 301.
—— dolores mitigandi. 302.
—— Coli inteſtini. V. Coli cancer.
—— labiorum. V. Labiorum cancer.
—— linguæ V. Linguæ carcinoma.
—— in mamma. V. Mammæ cancer.
—— in manu. 144.
—— uteri. V. Uteri cancer.
*Cancer*, faſcia 536.
*Candelæ cereæ* ad urethram. 26. 117.
—— ad uteri procidentiam. 32. 125.
*Cannulæ*, pro cauterio in faucibus

bus applicando. 14. 19.
*Cannulæ*, pro hæmorrhoidibus adurendis. 1. 17. 31.
——— pro naribus adurendis. 1. 17. 31.
——— pro mitigando urinæ ardore. 23.
——— pro acu ad perforandas fiſtulas. 32.
*Cannulæ alatæ*, pro aqua hydropicorum emittenda. 23.
——— pro pure in vulneribus thoracis evacuando. 23.
——— pro veſicæ vulneribus. 366.
*Capiſtrum*, vinculum. 538.
*Capitis* cutem incidendi inſtrumenta. 3.
— *dolor*. V. Cephalæa.
— *excreſcentia*, cornu. 589.
— *faſciæ*, deligationes. 43. 536.
— *hydrops*. V. Hydrocephalus.
— *tinea*. V. Tinea capitis.
— *contuſio*, ſine laceratione cutis, introceſſione cranii, & ſuſpicione alicujus fiſſuræ. 61. 62. 63. 264.
——— cum depreſſione, ſed ſine rima cranii, ſub integra cute, in adultis. 63. 262.
——— in adultis cum depreſſione cranii & fractura laminæ internæ, citra vulnus cutis, & rimam laminæ externæ. 65.
——— ob intermiſſum trepani uſum, centeſimo die mortem inferens. 220.
——— cui ſucceſſit vertigo & apoplexia. 226.
——— convulſiones inferens. 232.
——— deraſa. 263.
——— neglecta terebratione lethalis. 601.
*Capitis contuſio* cum apoplexia ſine trepano curata. 650.
—*vulnera* dilatandi inſtrumenta. 3.
——— in crucem dilatandi modus. 42. 44. 45.
——— in triangulum ſecandi modus. 45.
——— curandi modus. 48. *ſeqq.* *à* 67.
— *vulnus* ſimpliciſſimum. 49.
——— cum offenſione pericranii, alteratione cranii & ſede inſtrumenti. 49. 50. 51.
——— *vulnus*, cum denudatione cranii, & rima capillari non penetrante. 51. 52. 53.
——— cum fractura calvariæ capillari penetrante. 53. 54.
——— cum evidente, ſed anguſta cranii rima. 54. 55. 56.
——— cum fiſſura cranii penetrante & ſatis hiante. 57.
——— cum læſione duræ matris. 58.
——— cum læſione piæ matris & ſubſtantiæ cerebri. 58.
——— cum læſione muſculi temporalis, ejus pericranii, vaſorum &c. 58. 59. 60. 61.
——— cum dedolatione cranii. 66. 233.
——— cum depreſſione & rima cranii magna. 203. 213.
——— cum inflammatione pericranii, & fiſſura calvariæ dubia. 208.
——— os frontis dividens periculoſum, & adhibito trepano curatum. 212.
——— cum introceſſione calva-

variæ permagna 215.
*Capitis vulnus* cum inciſione falcis, membranæ craſſæ & piæ matris. 227.
——— vigeſima nona ſeptimana per trepanum curatum. 229.
——— poſt apertionem cranii ex potu vini interdicto lethale. 231.
——— cum fungis lethale. 234.
——— cum fractura cranii, obſervanda *de Marchettis* 594. 595. 637.
——— ad meditullium penetrans. 594.
——— corpus calloſum penetrans. 603.
——— ex ſclopeto. 625.
——— inveteratum. 661.
——— cum enormi hæmorrhagia ex ſternutatione. 646.
*Capſula Julii Caſſerii Placentini*, pro cauterio actuali occultando. 1. 2. 3.
*Carbunculus* ferro candente tangendus. 35.
*Carcheſius* laqueus. 155.
*Carcinoma* ex levi cauſa incurabile. 661. V. Cancer.
*Caries oſſis*, adurenda. 689.
——— deradenda. 5. 10. 198. 312. 315. 325. 654.
——— oleo ſulphuris ſeparata. 649.
——— pulvere adſpergenda. 199. 266.
——— in oſſe palati. 249.
*Carnis excreſcentia*. V. Excreſcentia carnis.
*Carpi* arteriam comprimendi inſtrumentum. 34. 188.
——— vulnus 269. 339.
*Cartilagines* incidendi forceps. 36.
*Caruncula* ex ulcere in meatu urinario curanda. 122. 123. 627.
——— in ore. 21. 243.
——— linimenta. 122. 123. 261.
*Caſtrationis* ſ. Herniæ exciſionis inſtrumenta. 23. 24. 27.
——— ratio. 118. 119. 120. 124.
*Catagmaticum* emplaſtrum *Renodæi*. 161.
*Cataphracta*, faſcia *Galeni*. 105. 201.
*Cataplaſma*, ad eſcharæ caſum, in anthracibus &c. 35.
——— in Epiphora, Hypopio & oculorum inflammatione. 242. 411. 638.
——— ad gangrænam. 316. 319. 648.
——— in concuſſione cerebri. 342.
——— ad aurium dolores. 479. 481.
——— in hernia inteſtinali. 111.
——— ad procidentiam uteri. 125.
——— ad callos luxatorum articulorum. 166.
——— ad vulnera capitis. 210. 214. 215. 217.
——— ad vulnera oculorum. 238.
——— in vulneribus ſclopetorum. 254. 298. 305. 316.
——— pro ſcirrho œdematoſo. 342.
*Catapotiæ*. V. Pilulæ.
*Cataracta* perfecta. V. Suffuſio.
——— deponendæ acus. 12. 68.
——— exſugenda. 413. 414. 433.
*Catharctica* potio. V. Purgans infuſum.
*Catheter* ex auro. 23.
——— ſ. Syringa tentativa veſicæ. 27. 28.
——— ejus uſus. 116. 121.

Cau-

*Cauſtica*, in tumoribus glanduloſis noxia. 300.
——— pro caruncula urethræ. 122. 123. 261.
——— ad callos abſumendos. 133.
——— pro fungis. 637.
——— pro gangliis. 652.
*Cauteria* actualia varia. 1. 2. 3. 35. 36. 301. *ſeqq.*
——— occultatum in *Capſula Placentini.* 1. 2. 3.
——— eorum uſus. 43.
——— ratio decipiendi ægros circa inuſtiones. 44. 79.
——— ad articulos luxatos facile recidentes vel elongatos. 167.
——— ad dentes. 36. 88.
——— ad hæmorrhoides, anum. 36.
——— ad nares. 17. 18.
——— ad oſſa corrupta. 36.
——— ad partes ſphaceloſas. 144. 147. 148.
——— ad tumores. 35.
——— ad uvulam in faucibus applicanda. 14.
——— pro inurendo occipite. 11.
*Celſus*, de Ancyloblepharo. 12. 13.
——— de catheteribus. 28. 116.
——— de cura umbilici prominentis. 103. 107.
——— de fiſtulis ani. 134.
——— de oculorum ſuffuſione. 71.
——— de tumoribus tunicatis. 14. 22.
——— de uvula abſcindenda. 16.
*Celſi* meningophylax. 5.
— modiolus. 3.
— ſpatha. 3.
— ſpecillum adverſum. 12.
— volſella. 7.
*Cephalæa, Cephalalgia*, venerea. 598.
*Cephalalgia*, per arteriotomiam curata. 685.
*Cephalicæ pilulæ.* V. Pilulæ.
*Ceratum*, extendendi inſtrumentum. 7. V. Emplaſtrum.
——— citrinum. ſ. nicotianum. 190.
——— conſtrictivum *Aquap.* in hernia, & procidentia uteri. 112. 113. 126.
——— diaſinapi. 190.
——— divinum. 219.
——— ad fonticulos. 196.
——— ad gummata Gallica. 200.
——— oxœleum. 257. 295.
——— *Prevotii*, ad cancrum mammarum occultum. 301. 302.
*Cerebrum*, non admittit oleoſa & pinguia. 58.
*Cerebri abſceſſus*, cauſa vertiginis. 225.
——— *concuſſio*, parit aphoniam. 341.
——— cauſa convulſionis oculi. 238.
——— *contuſio*, nona ſeptimana ex improviſo necem inducens. 223.
——— *membranæ.* V. Meninges.
——— *ortus & uſus* medicus 429.
——— *pus* per rimas cranii expulſum. 642.
——— *ſubſtantia* pinguis. 428.
——— *vulnera.* 58. 594. 603.
*Cereviſia medicinalis*, in lue venerea. 613.
*Chelidonii* aqua paranda. 421.
*Chirurgia*, affectus qui ipſâ curantur. 41. 42.
——— *infuſoria.* V. Infuſoria Chirurgia.
——— *transfuſoria.* V. Transfuſio ſanguinis.

*Chirurgica inſtrumenta.* 1. *ſeqq.* 301. *ſeqq.*
*Chœnicion*, Græcorum modiolus. 3.
*Cingulum* umbilicale. 103. 104. 107.
—— pro hernia inguinali. 110.
*Cingulum* ſ. Zona *Hildani.* 37. 153.
*Circuli* uterini 32. 33.
*Citrinum* ceratum. V. Ceratum citrinum.
*Claudianus* (Jul. Cæſar), de cauteriis. 43.
*Claviculæ* eroſio. 264.
*Clitoris* excidenda. 17. 130.
*Clyſter*, injiciendi ſipho, *Enterenchyta.* 25. 138.
—— ſibi ipſi applicandi modus. 375. 376.
—— in vulnere capitis. 204. 206. 211. 215. 241. 246.
—— in concuſſione cerebri. 238. 239. 342.
—— nutriens. 89.
—— refrigerans. 253.
—— in vulnere thoracis. 271. 273. 286. 292.
—— in vulnere ſclopetorum. 307.
—— in eryſipelate. 318.
—— in tibia corrupta. 326.
—— domeſticus. 320.
—— in vulneribus articulorum. 345.
—— in calculo renum. 368.
*Cocium* ſ. Bronchocele. 683.
*Cœcitas* inviſibilis eſt Amauroſis 455.
*Cœcus* liberatur ab humore pituitoſo per ſectionem oculi. 454.
*Coli* inteſtini cancer. 311.
*Colica*, per cucurbitulas curata. 515.
—— per medicamenta curata. 268. 269. 349.
*Colis.* V. Penis.
*Colli*, infra laryngem fiſtula, ex tumore male curato. 608.
—— ſcrophulæ. V. Scrophulæ.
—— tumor puerperæ. 643.
*Collyria*, *Meſuë.* 412.
—— adſtringens. 590.
—— contra ſuffuſionem oculorum. 72.
*Columella.* V. Uvula.
*Coma*, ex concuſſione cerebri. 341.
*Concuſſio* cerebri. V. Cerebri concuſſio.
*Conditum.* V. Electuarium.
*Conſuendi* ratio. V. Abdominis vulnus, Nervos conſuendi.
*Contrafiſſura* cranii. V. Cranii contrafiſſura.
*Contuſio* capitis. V. Capitis contuſio.
—— cerebri. V. Cerebri contuſio.
*Contuſiones* non ſemper ſcalpello ſunt aperiendæ, ſed pelle agnina diſcutiendæ. 61. 63.
*Convulſiones* infantum, curantur inuſtione occipitis. 11.
—— —— poſt luxati articuli reſtitutionem. 165.
—— —— ex contuſione capitis. 232.
—— —— oculi. V. Oculi convulſio.
*Coralliorum* tinctura præparanda. 581.
*Cordialis* aqua. V. Aqua cordialis.
—— pulvis. V. Pulvis cordialis.
*Cornicula* ad nutrimentum attrahendum. 32.
*Cornu* cartilaginoſum in capite cauterio ablatum. 589.
*Corroſiva.* V. Cauſtica.

*Corvi-*

*Corvinum* roſtrum. V. Roſtrum corvinum.
*Coſtæ* fractura cum vulnere thoracis. 267.
*Coſtas* deligandi modus. 103.
*Coxa.* V. Femur.
*Cranii* ſuturæ. V. Suturæ.
—— abradendi inſtrumenta. 5.
—— *caries* abradendi inſtrumenta. 10.
—— *contrafiſſura*, calamitas dicta. 66.
—— *dedolatio*. 49. 66. 233.
—— *depreſſio* ſimplex, ſub integra cute in pueris. 62. 63.
——— ſine rima cranii, in adultis. 63. 262.
——— cum fractura laminæ internæ, citra vulnus cutis & rimam laminæ externæ. 65. 230.
——— cum rima in medio depreſſionis lata. 65. 203. 210. 213.
——— cum rima in medio depreſſionis anguſta. 66.
——— cum rima ad latus depreſſionis lata & anguſta. 66.
——— cum punctura duræ matris. 225.
—— *depreſſio* trepano ſublata. 624.
——— ſpiritu vini curata. 621.
—— depreſſiones elevandi modus. 47. 48. 49.
—— elevandi modus. 6. 7. V. Vectis.
—— *fiſſura* capillaris. 263.
—— *fiſſura* trepano reſtituta. 620. 622. 624. 629. 631. 635.
——— occulta ex caſu ab equo. 623.
——— pus ex cerebro propulſum. 642.
—— fiſſuras capillares abradendi inſtrumenta. 10.
*Cranii fractura* ſingularis. 594.
——— ex ſclopeto. 625.
——— ſine trepano curata. 600. 621. 631. 637.
——— in oppoſita parte paralyſin excitans. 658.
——— cognoſcenda. 236.
——— laminæ internæ citra vulnus cutis & rimam laminæ externæ. 65. 230.
—— fracturæ oſſa eximendi inſtrumenta. 8.
—— fracti oſſicula forcipibus abrumpendi modus. 47. 48. 49.
—— *introceſſio*. V. Cranii depreſſio.
—— *perforatio*, inſtrum. 3. 4.
—— perforandi modus. 45. 46. 47. 55.
—— perforatio non ſemper eſt neceſſaria in fiſſuris. 57. 263.
—— perforati interſtitia eximendi inſtrumenta. 8. 10.
—— *punctura* non penetrans, & penetrans. 66. 67. 234.
—— puncturas abolendi inſtrumenta. 6.
—— puncturam terebello delendi modus. 47. 67.
—— *rimulas* ſ. fiſſuras dubias abradendi modus. 42. 45. 52. 53. 54. 208.
*Cranio* nudato non conveniunt pinguia. 53
*Cranium* fiſſum & depreſſum. 49. 62. *ſeqq.*
*Crinale* inſtrumentum, pro ægylope comprimenda. 12.
*à Cruce* (Joh. Andreas), de modiolis. 4.
*Cruentus* vomitus. V. Vomitus cruentus.
*Crus* contractum extendendi inſtrumentum. 34.
—— fractum extendendi inſtrumentum. 38. 39, 155.

*Crus*

*Crus* fractum deligandi ratio. 142. 145. 148.
—— ex ganglio in genu contractum. 191.
*Cruris* fiſtulæ inciſio. 141.
—— fractura cum vulnere. 335.
—— vulnus ſclopeti. 297.
*Cucurbitula* ſcarificatoria uno ictu. 516.
*Cucurbitulæ* corneæ ad nutrimentum attrahendum. 515.
*Cucurbitularum* uſus. 516.
*Cubitus* luxatus cum callo. 165.
—— convulſus. 352.
*Cubiti* luxati reſtitutio. 151. 152. 154. 645.
—— poſt abſciſſionem manus deligatio. 145. 146.
—— os corruptum exciſum. 142.
—— luxati contractio curanda. 191.
—— vulnus periculoſum. 345.
*Cubitum* contractum extendendi modus. 191.
—— cum vulnere fractum deligandi modus. 140.
—— rigidum flectendi inſtrumentum. 34. 191.
*Cultellus* falcatus, quo caro uſque ad os inciditur. 36.
*Culter* raſorius. 3.
*Cuſpis*, vinculum. 542.
*Cuſtos* membranæ cerebri. 5. 47.
*Cycliſcum*, Galeni ſcalprum. 10.
*Cyſticus ductus*. V. Biliarius ductus.

D.

*Decoctum* divinum ad fungos. 236.
—— diureticum. 292.
—— lignorum. 250. 327. 358.
—— ad aurium ulcera. 481.
*Decoctum* ad Gonorrhæam. 324.
—— magiſtrale purgans contra cancrum labiorum & mammæ 186. 301.
—— vulnerarium. 273. 276. 288. 292. 636.
*Decuſſorium inſtrumentum*, pro deprimenda meninge. 5. 48.
*Dedolatio* cranii. V. Cranii dedolatio.
*Defenſorium* in trepanatione. 367.
*Deglutitio* inhibita. 258.
*Deligatio*. V. Faſcia.
*Dens* extractus, alveo reſtitutus. 635.
*Dentes* extrahendi forcipes. 19. 20. 367.
—— carioſos adurendi cauteria. 36. 88.
—— confirmandi. 319.
—— conſtrictos diducendi. 88. 89.
—— buccam offendentes excidendi. 88.
*Dentium dolor* periodicus. 255.
—— pilulæ 255.
—— extractorum hæmorrhagia ſiſtenda. 59.
—— limæ. 367.
*Dentifricia* aqua. 330.
*Dentifricium* electuarium. 319.
*Dentifricius* pulvis. 330.
*Dentiſcalpium*. 20.
*Dentitio* difficilis, cauſa apoplexiæ. 255.
—— quo tempore periculoſa ſit. 256.
*Depreſſio* cranii. V. Cranii depreſſio.
*Diæta* hernioſorum. 115.
*Diaphragmatis* vulnus. 282.
*Diaſinapeos* ceratum. V. Ceratum.
*Digeſtivum* unguentum. V. Unguentum, Linimentum.
*Digitos* manus vel pedis conjun-

junctos ſeparandi. 24.
*Digitos* abſcindendi forfex. 36. 47.
*Dioclis* vinculum. 538.
*Dioptra* uteri. V. Speculum uteri.
*Diplois* terebra. 366.
*Divinum decoctum.* V. Decoctum.
*Diureticum decoctum.* V. Decoctum.
*Dolor capitis.* V. Cephalæa.
——— dentium. V. Dentium dolor.
*Dolores* ſedandi inſtrumentum. 565.
*Dorſi* ſpina. V. Spina dorſi.
——— tumor aqua repletus. 676.
——— vulnus ſclopeti. 304.
*Dyſuria* V. Iſchuria.

E.

*Eclegma* in concuſſione cerebri. 239.
——— in reſpiratione difficili. 268.
——— in tuſſi. 289.
*Electuarium* confortans. 244. 267. 308.
——— dentifricium, ad dentes firmandas. 319.
——— in gonorrhoea non virulenta. 299.
——— contra hernias. 113.
——— in lepra. 354. 355.
——— in lue venerea 613.
——— ad ſcrophulas. 257.
——— in vulnere thoracis. 267. 286.
——— in vulnere ventriculi. 283.
——— viperinum in cancro mammarum. 295.
*Elephantiaſis* non eſt lepra Græcorum. 353.
*Elongati* articuli cura. 167.
*Emplaſticæ plagulæ* ad genæ vulnus. 85.
*Emplaſtrum* catagmaticum *Renodæi.* 161. V. Ceratum.
——— *Galeni* ſtipticum ſ. ſtegnoticum ſanguinis. 59.
——— glutinans. 83.
——— magneticum ad attrahendum ferrum & venena ex vulneribus. 501.
——— ad arterias inciſas. 484.
——— ad callum generandum. 175.
——— pro dolore iſchiadico. 630.
——— ad fonticulos conſervandos. 196.
——— ad Gummata Gallica. 200.
——— ad hæmorrhagiam narium. 59.
——— ad hernias & procidentiam uteri. 112. 113. 126.
——— ad luxationes. 161. 163. 166.
——— ad perniones. 670.
——— ad requiem ex opio. 668.
——— ad teſticulorum tumores, ſarcocelem. 321.
——— ad tumores duros. 190. 191.
——— ad tumores hepatis. 668.
——— ad ulcera eryſipelacea. 318. 319.
*Empyema* diureticis evacuatum. 281. 290.
——— paracenteſi ſ. thoracis apertione curatum. 94. 95. 281. 634.
*Emulſio* in ardore urinæ. 291.
——— in Gonorrhœa, urinæ ſuppreſſione, ardore. 298.
——— in vigiliis, anguſtia pectoris. 308.

*Emulſio* in vulneribus capitis. 242.
——— in vulnere thoracis. 272. 287.
*Enema.* V. Clyſter.
*Enterenchita.* V. Clyſter.
*Enterocelem* ſecandi apparatus. 110. à 118. 124.
*Eparma* auris. 632. V. Parotis.
*Epilepſia* ferro ignito curanda. 11. 76. 603.
——— per infuſionem in venas curanda. 454.
——— in thoracîs vulnere ex intruſione turundæ. 604.
——— pilulæ. 604.
*Epiphoræ* cataplaſma. 242.
*Eraclides Tarentinus*, de Ancyloblepharo. 13.
*Erector* manus, pollicis. V. Manus, Pollicis erector.
*Eryſipelata.* 316. 320. 325. 356. 674.
——— curanda per aquam auri exſtincti. 421.
——— exulcerata. 318.
——— œdematoſum brachium occupans. 674. 675.
*Eſcharæ* caſus cataplaſma. 35.
*Excoriatio* infantum iliorum à lacte acido & pruritu. 297. 302. 303.
*Excreſcentia* carnis luxuriantis. 297. 330. 485.
——— in glande & præputio. 123.
——— fungoſa in palato. 73. 247.
——— gallica in naribus. 260.
——— in femore magna. 347. 688.

F.

*FAcies* pulvere tormentario ambuſta. 259.
*Falcis* cerebri inciſio. 227.
*Faſcia* amputatorum membrorum. 145. 146.
——— aſcialis. 143. 144. 145. 146.
——— Cancer dicta. 46. 50.
——— capitis. 43. 536.
——— cruris deligandi. 142. 145. 148.
——— cum duobus capitibus. 149.
——— funda *Galeni.* V. Funda.
——— *Galeni* Cataphracta ſ. Quadriga. 105. 201.
——— glomerata. 144.
——— orbiculata, in circulum. 143.
——— *Soſtrati* vinculum. 103.
——— pro calculo ſectis. 127.
——— pro cubito deligando. 140.
——— pro fonticulis. 141. 194. 196.
——— ad labium inferius. 86. 87. 185.
——— pro medicamentis utero applicandis. 131.
*Faſciæ* ad fracturas oſſium. 169. 172. 183. 370.
——— ad luxationes. 159. 370.
——— pro naſo inſerendo. 460.
——— in crucem decuſſatæ. 141. 142.
*Faſciarum* circumvolutio. 149.
——— madefactio. 149. 172.
——— varia genera. 517. *ſeqq.*
——— uſus & ratio deligandi. 518.
*Fauces*, extranea in eis extrahendi inſtrumenta. 7. 18. 19. 91.
*Febres malignæ* curandæ per infuſionem in venas. 435.
——— *Quartanæ* ex obſtructione lienis, & ulceribus pedum ſanatis. 312.

*Fel-*

*Felleus* ductus, veſica. V. Biliarius ductus.
*Femur* fractum extendendi. 39. 40. 156.
—— luxatum reponendum. 152.
—— fractum cum vulnere deligandum. 145. 146.
—— fractum raró integre curatur. 176.
*Femoris* diſtorſionem præcavendi. 177.
—— apoſtema, è quo menſtrua fluxerunt. 653.
—— caries oſſis adurenda. 689.
—— excreſcentia magna. 347. 688.
—— fiſtula. 192.
—— fonticulus. 194.
—— fractura cum vulnere. 332. 351.
—— vulnus ſuturis unitum. 198.
—— vulnus ſclopeti. 297.
*Ferramenta* ad cauteria. V. Cauteria.
*Ferulæ.* 140. 149. 170. 171. 174.
*Fibulæ* fractæ extenſio. 155.
*Fienus* (Thomas) de cauteriis. 43.
*Fiſſuræ* cranii. V. Cranii fiſſuræ.
*Fiſtula* pro urina ex veſica evacuanda. V. Catheter.
—— pro vulneribus. V. Cannulæ alatæ.
*Fiſtula*, ani. V. Ani fiſtula.
—— colli, ex tumore male curato. 608.
—— in femore. 192.
—— lacrhymalis cauterio ſublata. 364. 592.
—— mammæ. V. Mammæ fiſtula.
—— in palato. 247.
*Fiſtula*, in ſcapula. V. Scapulæ os corruptum.
—— thoracis. V. Thoracis fiſtula.
—— veſicæ colli. 612.
—— non calloſa minime incidatur. 141.
*Fiſtulæ* dilatandæ ratio. 265. 266. 280. 284.
—— callum conſumendi modus. 284. 322.
—— ſine callo pertuſio. 280.
—— in crure inciſio. 141.
*Fiſtulas* aperiendi ſcalpelli. 21. 22. 26. 27. 33.
—— perforandi acus. 27. 32. 33.
—— perſcrutandi ſpecillum. 12. 13.
*Focilis* tibiæ. V. Tibia.
*Fœtus* mirabilis impreſſio ex imaginatione matris. 104. 503.
*Fœtus mortui* extractio. 3. 33. 127. 131. 323. 367. 369.
—— expellendi medicamentum. 131. 323.
—— ſectio ex utero. V. Cæſarea ſectio.
*Fomentum.* V. Fotus.
*Fonticuli* deligandi ratio. 141. 194. 196.
—— conſervandi emplaſtra. 196.
—— in brachio locus. 192. à 194.
—— in femore locus. 194.
—— inter principia muſculi gaſtrocnemii. 195.
*Fonticulorum uſus* in doloribus pectoris. 303.
—— in teſticuli tumore. 321.
—— in venereis morbis. 599.
—— in ulceribus pedum 312. 320.

Fon-

*Fonticulus*, in ſutura coronali. 1. 42. *ſeqq.*
——— inurendi inſtrumenta. 1. 2.
——— ſecatus lanceola. 36.
*Forceps* anſerina. 30. 365.
——— deceptoria. 33. 192.
——— exciſoria. 8.
——— cum roſtro corvino. 19. 21. 365. 367.
——— cum roſtro gruino. 18. 21. 29.
——— cum roſtro pſittaceo. 8. 20.
——— cum roſtro vulturino. 8.
——— biceps & triceps pro naſis inſerendis. 459.
——— ad inſerendam columnam naſi. 460.
——— ad calculum extrahendum. 365.
——— pro exſcindendis caruncculis oris. 21.
——— ad clitoridem exſcindendam. 17.
——— ad dentes extrahendos. 19. 20.
——— dentaria communis. 19.
——— inciſoria, ad cartilagines & callos incidendos. 36. 47.
——— Pelicanus. 19.
——— ad polypum exſtirpandum. 17.
——— ad ſetacea in nucha paranda. 11. 12. 34. 35.
*Forfex* caſtratorum. 24.
——— quâ oſſa, digiti, abſcinduntur. 36. 47. 143.
——— ad puncturam plumbeam. 365.
*Forficula* pro uvula abſcindenda. 15. 18.
*Fotus* in cranii fractura. 638.
——— pro hernioſis. 115.
——— ad membra luxata. 162. 166.
*Fotus* ad tumorem in genu. 190.
——— ad procidentiam uteri. 125. 640.
*Fractura* coſtæ. V. Coſtæ fractura.
——— cranii. V. Cranii fractura.
——— cruris. V. Cruris fractura.
——— cubiti. V. Cubitum cum vulnere fractum.
——— femoris. V. Femoris fractura.
——— humeri. V. Humeri fractura.
——— naſi. V. Naſi fractura.
——— tibiæ. V. Tibiæ fractura.
*Fracturæ oſſis* cura in genere. 157. *ſeqq.*
——— aſſeralis curatio. 177.
——— ſimplicis transverſæ ſ. obliquæ curatio. 168.
——— cum vulnere ſimplici curatio. 178.
——— cum vulnere, ubi os non eminet vel eminet, curatio. 182. 183.
——— cum vulnere, ubi os denudatum non eſt, oſſis tamen fruſtulum receſſurum exſpectatur. 179. 180.
——— cum vulnere deligandi ratio. 140. 149.
——— calli generatio. 175.
——— callus juſto major. 175.
——— conformatio. 169.
——— conſervatio coaptatæ. 169.
——— deligatio. 140. 149. 169. 172. 183.
——— depoſitio membri. 173.
——— diſtorſio. 176. 177.
——— dolor. 175.
——— excoriatio. 175.
——— extenſio. 168.

*Fracturæ oſſis* extenuatio. 176.
——— inflammatio prohibenda. 171. 172.
——— pruritus. 175.
——— religatio. 174.
——— repoſitio. 168.
——— ruptio repetita. 177.
——— ſymptomata. 175.
*Fracturarum* & luxationum emplaſtra catagmatica. 161.
*Fracturas* extendendi inſtrumenta. 37. à 40.
*Frænum linguæ.* V. Linguæ vinculum.
*Frontis* concuſſio ab equo. 650.
——— ganglium. 652.
——— tumor ex vomitu ortus. 650.
*Funda Galeni* ad labium inferius 86. 87. 185. 541.
——— ad naſum. 540.
*Fungus* in genu. 637.
——— in ore. 247.
——— in palato. 73.
——— in vulnere capitis lethalis. 234.
——— Decoctum divinum ad ſiccandos fungos. 236.
*Funiculus* ad ſetaceum. 11.

G.

*GAlenus* de ſcala ad luxatum humerum reſtituendum. 39. 41.
——— de ſcalpris. 10.
*Galeni* Cataphracta ſ. Quadriga. 105. 201.
———Emplaſtrum ſtypticum. 59.
——— Funda. 86. 87. 185. 541.
———Gloſſocomum. V. Gloſſoc.
*Gallica excreſcentia* carnis in naribus. 260.
*Gallica gummata.* 200. 314.
——— incidendi inſtrumentum. 3.
*Gallicus morbus.* V. Venerea lues.
*Gammaut.* V. Scalpellus falcatus.
*Ganglium* frontis. 652.
——— genu contrahens. 191.
——— in manu inciſum. 675.
——— pro ſteatomate habitum. 331.
*Gangræna* ex frigore orta. 670. V. Sphacelus.
——— cataplaſma. 648.
——— remedia. 316. 319.
*Gargariſma.* 245. 254.
——— in angina. 258. 259.
——— ad gingivam luxuriantem. 330.
*Gaſtroraphia.* V. Abdominis vulnus conſuendi modus.
*Genæ* vulnus plagulis emplaſticis adducendum. 85.
*Gentianæ* radix pro dilatandis fiſtulis. 265. 323.
*Genu* contractum extendendi inſtrumentum. 34. 189.
— contractum ex ganglio. 191.
— fungoſum 637.
— luxatum cum callo. 165.
— tumor excreſcens. 189.
*Geranis* vinculum. 542.
*Gingivæ* excreſcentia carnis. 330.
*Glandes* & globulos extrahendi ex vulneribus ſclopetorum. 28. 29. 30. 197.
*Glandis* excreſcentiæ carnis, verrucæ. 123.
*Glandorpius* (Matthæus), de polypo narium. 73.
*Glandularum* tumores. V. Tumores, Scrophulæ.
*Glans* imperforata aperienda. 123.
*Glaucii* vinculum. 538.
*Globuli* ex ſubere ad uteri procidentiam. 32.
*Gloſſocomum Galeni.* 39. 508.

*Gonorrhœa* non virulenta. 299.
——— virulenta. 324.
———injectionibus malè curata. 356.
——— ardoris urinæ cauſa fiſtula immittenda. 23. 122.
*Gravidarum* imaginationis effectus mirabiles in fœtum. 104. 503.
*Gruinum roſtrum.* V. Roſtrum.
*Guenellon* Obſervationes. 628.
*Gummata Gallica.* V. Gallica gummata.
*Gutta Serena* incurabilis. 261.
——— ejus cauſæ. 455.
——— ſetaceo curata. 259. 633. 641.
——— vapore fomentante curanda. 455.
*Gutturis* hernia. 683.

H.

*HAbenæ* pro ferulis alligandis 149.
*Hæmoptyſis*, ex vulnere thoracis. 270.
*Hæmorrhagiæ*, gingivæ poſt extractos dentes. 59. 655.
——— linguæ ſiſtendi. 643.
——— narium ſiſtendi media. 59. 552. 617. 655.
——— narium ſuppreſſio, cauſa tineæ capitis. 352.
——— oris remedia. 245.
——— vulnerum eſu piſorum ſedata. 640. V. Stegnotica.
*Hæmorrhoides* ani cauteriis tangendæ. 31. 36. 651.
——— explorandæ per ſpeculum ani 132. 135.
——— exulceratæ. 138.
——— fluentes, non oportet omnes aduri. 138.
——— nimium fluentium curatio. 136. 137.
*Hæmorrhoides* recidivæ ex ſcammoniatis. 322.
——— unguentum & amuletum. 135.
*Hamulus* ferreus pro educendis glandibus ex vulnere. 30.
*Hamus*, vinculum. 542.
*Hegbuys* Obſervationes. 646.
*Hemicrania.* 249. 624.
*Hepatis* abſceſſus. 666. 667.
——— apoſtema inciſione curatum. 611.
——— tumores. 666. 667.
——— vulnus curatum. 611.
*Hernia carnoſa.* 321.
——— per ſectionem curanda. 119. 120. 124. 490.
——— non ſemper caſtranda. 616.
*Hernia gutturis*, *Bronchocele* 683.
*Hernia inteſtinalis* (Enterocele) rupta & gangrænoſa curata. 626.
——— curandi ratio. 110. à 116. 614.
——— ſecandi ratio. 118. 119. 124. V. Caſtratio.
——— remedium Agrimonia. 614.
——— cura per puncturam auream vel plumbeam. 365.
——— malè repoſita cauſat ſterilitatem. 315.
*Hernioſorum* bracherium. 110. 126.
——— ſcrotum. V. Scrotum.
*Herpes miliaris* & exedens. 190. 317.
——— cum pruritu. 297. 302. 303.
*Heurnius*, de clyſteribus. 26.
*Hildanus* (Guilielmus Fabritius), de cannula ad fauces. 19.

*Hildanus* de clyſteribus. 26.
——— de combuſtionibus, & crure contracto extendendo. 34.
——— de corniculis ad nutrimentum attrahendum. 33.
——— de cura gangrænæ & ſphaceli. 146. 147.
——— de elevando cranio. 6.
——— de humeri luxati reſtitutione. 153.
——— de lamella ad foramen palati obturandum. 14.
——— de lithotomia. 121. 127.
——— de ſclopetorum vulneribus. 30.
——— de ſetaceo parando. 12.
——— de terebello cranii. 6.
——— de tumoribus tunicatis. 80.
——— de uvula relaxata abſcindenda, adurenda. 14. 16. 18. 74.
——— de uteri peſſariis. 32.
——— zonula & remora. 37. 153. 154.
*Hippocrates*, *Ambi* ſ. *ſpatha*. 37. 38. 154.
——— *Machæris ſtithoidis*. 3.
——— *ſcala* ad luxatum humerum reſtituendum. 39.
——— *ſcamnum*. 37. 38. 153. 155.
——— modus curandi vulnera capitis. 48. à 67.
——— modus paracenteſin thoracis faciendi. 94. 96. 97.
——— de cubito luxato. 151. 152.
——— de faſciis fracturarum. 149. 150.
——— de hæmorrhoidibus. 136. 137.
——— de humero fracto & luxato. 150. 151.
*Hippocrates* de peripneumonia. 3.
*Humeri* fracti extenſio & compoſitio. 150. 154.
——— gangræna ex nervi punctura reſtituta. 634.
——— ſub axillam luxati reſtitutio. 39. 40. 41. 151. 153. 154.
——— vincula. 542.
*Hydrocephalus* ſectione curatus. 620.
*Hydropicorum* abdomen aperiendi. V. Paracenteſis abdominis.
——— aperiendi inſtrumenta. 21. 485. 489.
——— aquas continendi inſtrumentum. 32.
——— aquas emittendi inſtrumentum. 23. 485.
——— ſcrotum aperiendi ratio. 126.
*Hydrops* per transfuſionem ſanguinis curanda. 489. 490.
——— anaſarca ſcroti ſetaceo curata. 635.
——— pectoris perperam pro pleuritide judicata. 618.
*Hymenis* membrana perforanda. 124.
*Hypopium* pertuſum. 410. 631.
*Hyſterici* affectus. V. Uteri ſuffocatio.

## I.

*ICterus* non ſemper ex obſtructione hepatis oritur. 312.
*Iliorum* intertrigo. 302. 303.
*Incontinentia* urinæ. V. Urinæ incontinentia.
*Infantum* dentitio. V. Dentitio.
——— phlogoſis, intertrigo, excoriatio. 303.
*Inflammatio* eryſipelatoſa V. Eryſipelata.

*Inflammatio* fracturarum prohibenda. 172.
——— luxationis. 162.
——— œdematoſa. V. Oedema.
——— pedum. V. Pedum inflammatio.
*Infundendi* medicamenta in venas per ſiphonem. 434. *ſeqq.*
*Infundibulum* ad potum in os demittendum. 20. 88.
*Infuſoria* Chirurgia. 434. *ſeqq.*
*Infuſum* medicatum purgans. 114. 206. 244. 327. 337. 343. 353.
*Inguinis* vulnus ſclopeti. 297.
*Injectio* in abſceſſus. 334. 343.
——— in fiſtulas cum oſſe corrupto. 312. 313.
——— in fiſtulas veſicæ. 613.
——— in Gonorrhœa. 324.
——— in urinæ ardore ex vulnere penis. 298. 299.
——— in vulnere thoracis. 273. 277. 286. 289. 290.
*Inſtrumenta* Chirurgica. V. Chirurgica inſtrumenta.
*Intertrigo* iliorum. 302. 303.
*Inteſtini recti* procidentia. V. Ani procidentia.
——— ulcera curanda. 132.
*Inteſtinorum* repoſitio in vulnere abdominis. 101. 110. 644.
——— vulnera conſuenda. 101.
*Inteſtinum* Colum. V. Coli cancer.
——— Rectum ſphacelatum. 629.
——— ruptum, fæcibus per abdominis vulnus exeuntibus. 626. 636.
*Introceſſio* cranii. V. Cranii depreſſio.
*Iſchiadicus dolor*, emplaſtro ſublatus. 630.
——— per fonticulum curandus. 195.
*Iſchuria* ex calculo obſtruente urethram. 313.
——— ex calculo renum fruſtra tentatur cathetere. 117.
*Jtinerarium* in calculi extractione. 28.
*Jugulum* luxatum reſtitutum 153.

L.

*LAbia leporina* reſtituenda. 85. 86. 502.
*Labiorum* cancer. 185. à 188.
——— concretorum ſeparatio. 669.
——— *inſertionis* machinæ. 459.
——— operationes. 462. 476.
——— deligandi ratio. 478. 541.
*Labium* exulceratum faſcia funda deligandum. 185.
——— inferius deligandum. 86. 87.
——— ſuperius fiſſum curandum. 85.
*Lac* ex mammis extrahendum. 102.
*Lacertorum* oleum. V. Oleum.
*Lagophthalmos* curandus. 83.
*Lambitivum* V. Eclegma.
*Lamina* argentea, pro membranæ cerebri cuſtode. 5.
——— aurea pro foramine palati obturando. 14.
*Lamzweerde* Obſervationes. 567. *ſeqq.*
*Lanceola*, ſcalpellus rectus. 36.
*Lapis* veſicæ. V. Calculus.
*Laryngothomia*. 74. 75. 87. 553.
*Laterum* deligatio. 542.
*Laxativa* potiuncula. V. Purgans potio.

*Lectus* artificioſus mobilis. 513.
*Lenticulare* inſtrumentum. 5.
*Leporinum* os, labia. V. Labia leporina.
*Lepra* Græcorum. 352.
—— non eſt Elephantiaſis. 353.
—— ex eſu carnis leproſæ. 357.
—— curanda per infuſionem in venas. 454.
*Lepus* ſine auribus, vinculum. 538.
*Lienis* obſtructio cauſa ulcerum pedis. 312.
*Ligatura*. V. Faſcia.
*Lingua* artificioſa. 374. 375.
*Linguæ* deprimendæ & purificandæ ſpatula. 14. 89.
—— elevandæ inſtrumentum, pro ſectione vinculi. 14. 15.
—— vinculum ſecandi. 14. 15. 87. 89. 257.
—— errores obſtetricum circa vinculum linguæ. 89. 90. 256.
—— carcinoma exciſum. 632.
—— excreſcentia abſciſſa. 643.
—— tumor durus ſublingualis. 606.
—— tumor venereus. 607.
—— vulneris hæmorrhagia ſedata telis aranearum. 643.
*Linimentum* ad ambuſta. 259.
—— ad carumculas. 122. 123. 261.
—— digeſtivum. V. Unguentum digeſtivum.
—— ſimplex. 295.
—— ad ventriculum. 283.
*Lithotomia*. V. Calculum ſecandi ratio.
*Logadorum* oleum. V. Oleum.
*Lohoch*. V. Eclegma.
*Loquelam* perficiendi inſtrumentum. 375.
*Lues venerea*. V. Venerea lues.
*Luxata* membra, extendendi inſtrumenta. 37. 38. 39. 40. 507.
—— Aſtragalus. V. Aſtragalus, Talus.
—— Cubitus. V. Cubitus.
—— Femur. V. Femur.
—— Genu. V. Genu.
—— Humerus. V. Humerus.
—— Jugulum. V. Jugulum.
—— Manus. V. Manus.
—— Pes. V. Pes.
—— Spina dorſi. V. Spina dorſi.
*Luxationis* curationes in genere. 157. *ſeqq.*
—— deligatio. 140. 149. 159. 370.
—— depoſitio. 160.
—— extenſio. 157.
—— religatio. 161.
—— repoſitio. 159.
—— emplaſtra catagmatica. 161. 163.
—— faſciæ. 370.
—— fotus roborantes. 162.
—— machinæ reſtitutoriæ. 370. 507. 508.
—— ſimplicis curatio. 157.
—— cum callo curatio. 165.
—— cum inflammatione curatio. 163.
—— cum vulnere curatio. 164.
—— reſtitutæ convulſiones ſubſequentes. 165.
—— de ſua ſede ſponte recidentis curatio. 166. 167.
—— elongationis articuli curatio. 167.
*Luxatoria* cochlea nova. 508.

## M.

*MAchæris* ſtithoidis *Hippocratis* 3.
*Machina* tractoria *Vitruvii*. 37. 123.
——— ad luxationes. 370. 507. 508.
*Machinæ* artefactæ pro membris curtatis. 371. 373.
*Maggius*, de vulneribus ſclopetorum. 30.
*Majoris*, deductio de Chirurgia infuſoria. 435.
*Malleus* plumbeus. 6. 13.
——— ex ligno. 37.
*Mamma* abſciſſa dat vocem ferocem. 296.
——— ex concretione lactis in abſceſſum & fiſtulam degenerat. 322.
*Mammæ* abſceſſus deceptoria inciſio. 105.
——— deligatio. 543.
——— *cancer* abſciſſus. 102. 294.
——— malè inciſus. 300.
——— occultus reſolutus. 301.
——— dolores mitigandi. 302.
——— *fiſtula*. 321.
——— *papillæ* pileus argenteus. 26.
——— *papillam* extrahendi vitrum. 31. 101. 102.
——— *ſcirrhus* abſciſſus. 683.
——— topicis diſcuſſus. 633.
——— *ſcrophulæ*. V. ſcrophulæ.
——— *ſphacelus* ex menſium ſuppreſſione. 689.
——— *tumor* aquoſus, ſcirrhum mentiens. 679.
*Mammas* abſcindendi ſcalpellus & acus. 22. 102. 674.
*Mammilla*. V. Mamma.
*Mania* transfuſione ſanguinis curata. 395. 405.
*Manus* arte facta. 371. 373.
——— erector arte factus. 372.
——— cancro corruptæ amputatio. 144.
——— luxata reſtituta. 152.
——— ſphacelata abſciſſa. 144.
——— ob ſpinam ventoſam amputata. 344.
*de Marchettis* (Petrus), de modiolis. 4.
——— obſervanda circa vulnera capitis. 594. 595.
*Maſticatorius* pulvis, in gutta ſerena. 641.
*Maſtichinus* ſpiritus. V. Spiritus Maſtichinus.
*Mater dura* & *pia*. V. Meninges.
*Matricis* ſpeculum, dioptra. V. Speculum uteri.
*Maxillæ* tumor tunicatus exciſus. 72. 243. 249. 671. 680.
——— vinculum ſ. deligatio. 539.
*Maxillam* inferiorem deprimendi inſtrumentum. 89.
*Meatus urinarius*. V. Urethra.
*Medullæ* arteria pulſans viſa. 642.
*Meliceris*. 190. 249. 315.
——— curata. 80. 81. 82.
——— in angulo oculi. 591.
——— ſublingualis. 606.
——— circa medullam ſpinalem. 456.
——— febri ex terrore abſumpta. 628.
*Membranæ cerebri*. V. Meninges.
*Membrum virile*. V. Penis.
*Meningis* cuſtos. 5. 47.
——— depreſſor, ſ. inſtrumentum decuſſorium. 5. 48.
*Meninges* deprimendi ratio. 48.
*Meningophylax*, cuſtos membranæ cerebri. 5. 47.

*Menin-*

*Meningum* inflammatio. 240.
—— læſio ex vulnere capitis. 58. 227.
—— gangræna trepano curata. 622.
—— punctura ex introceſſione cranii lethalis. 225.
—— ruptura ſine trepano curata. 621.
—— vulnus. 600.
—— vulnus ex ſclopeto. 625.
*Menſium fluxus* ex apoſtemate femoris. 653.
—— ex vulnere Bronchoceles. 684.
—— ſubitò frigore ſuppreſſus inducit ſphacelum mammarum. 689.
—— *ſuppreſſio* cauſa tineæ capitis. 352.
—— per peſſarium ex Helleboro revocanda. 684.
—— per pilulas curanda. 355.
*Menti* vinculum ſ. deligatio. 541.
*Mentula*. V. Penis.
—— mulierum. V. Clitoris.
*Metrenchyta*. 25. 130. 131.
*Mictio* doloroſa. V. Urinæ ardor.
*Mingendi* ardor, dolor. V. Urinæ ardor.
*Modiolus* fœmina, pro trepano. 4. 13.
—— mas. 3. 4. 13.
—— eorum uſus. 40.
*Mola* extrahenda. 369.
*Monſtra*. 138. 139.
*Morborum* tranſplantatio. V. Tranſplantatio.
*Morphea* exedens curatur per aquam auri exſtincti. 421.
*Morſus* hominis venenatus. 652.
*Muſculus temporalis*. V. Temporalis muſculus.
*Mutus* ſurduſque caſu curatus. 608.
*Muto* loquelam procurandi modus. 375.
*Myrti* inſtar ſcalpelli. 22. 34. 461.

N.

*NAres* exulceratas, vel cum corruptione oſſis adurendi. 92. 93.
*Narium* cannulæ immittendæ pro aduſtione. 7. 17. 31.
—— excreſcentia carnis gallica. 260.
—— hæmorrhagias ſiſtendi media. 59. 552. 617. 655.
—— ozœna. V. Ozœna.
—— polypus. V. Polypus.
*Naſi* tectoria. 461.
—— vinculum ſ. deligatio. 540.
—— vulnus & fractura. 240.
*Naſum inſerendi* machinæ. 459.
—— operationes. 462. 476.
—— inſertos deligandi. 461. 478.
*Naſus* artificioſus. 374. 375.
*Natta* in femore, macilentiam totius corporis inducens. 347.
*Nervi* punctim vulnerati. 314.
—— punctura in brachii venæ ſectione, cauſa gangrænæ. 634.
*Nervos* conſuendi ratio. 494.
*Nicotianum* ceratum. V. Ceratum.
*Nilei* plintheum. 39. 40. 154.
*Nodulus* in manu curatus. 675.
*Nutritio* per clyſteres. 89.
—— per cucurbitulas attrahenda. 515.
—— per infundibulum oris procuranda. 20. 88.

## O.

*Occipitis* contuſio deraſa. 263.
——— inuſtio cum cauterio. 76.
*Ocreæ* pro curvatis pedibus. 373.
*Oculare vaſculum*, pro medicamentis continendis. 13.
*Oculi* anguli caruncula fungoſa in meliceridem degenerata. 591.
—— convulſio ex concuſſione cerebri. 238.
—— eryſipelas, exulceratio & gangræna curata. 628.
—— ex orbita protruſio reſtituta. 628. 638.
—— vulnus cum infixo fuſi aculeo. 237.
*Oculis* medicamenta inſtillanda 454. 455.
*Oculiſtæ* officium circa cataractam deponendam. 69. *ſeqq.*
*Oculo* infixæ res ad palatum exeuntes. 593.
*Oculorum* amauroſis. V. Gutta ſerena.
——— coalitus. V. Ancyloblepharum.
——— collyria V. Collyria.
——— fomentationes applicandæ. 455. 457.
——— humores reſtituendi artificium *Burrhi*. 419. 454.
——— inflammationis cataplaſma. 241.
——— operationum inſtrumenta. 455.
——— palpebræ. V. Palpebræ.
——— pilulæ. V. Pilulæ.
——— pterygium. V. Pterygium.
——— ſcriptores. 71. 72.
——— ſeroſos humores exſiccandi. 424.
*Oculorum* ſuffuſio. V. Cataracta, Suffuſio.
——— Tabacus. V. Tabacus.
——— vaſculum vitreum pro collyriis applicandis. 73.
——— ungues curandæ 425. V. Unguis.
*Oculos* firmandi inſtrumenta. 12. 454. 455.
—— firmandi ratio. 68. 72.
—— irritantium pilorum evulſio. 79.
*Oculus* artificioſus. 374.
—— extruſus à tumore ſarcotico. 590. 628. 638.
—— vinculum ſimplex & duplex. 539.
*Odorifera* aqua. V. Aqua od.
*Odontalgia*. V. Dentium dolor.
*Oedema* capitis. V. Hydrocephalus.
—— ex ſpina ventoſa. 344.
*Oedematoſi* tumores. 319. 342. 356.
*Oleum* logadorum ſ. de lacertis. 257.
*Omenti* exitus ex vulnere thoracis. 267.
—— repoſitio in vulnere abdominis. 101.
*Ophthalmica* aqua *Rulandi*, & *Neapolitana*. 72.
——— pilulæ. V. Pilulæ,
*Oribaſius* de machinamentis. 38. 155.
*Os*, *oris*, carunculas exſcindendi inſtrumentum. 21.
—— dilatatorium. 18.
—— infundibulum. 20. 88.
—— leporinum corrigendum. 85. 86. 502.
—— ſpeculum. V. Speculum oris.
—— tumores ſeparandi inſtrumentum. 14.

*Os*, *oris*, vitia perſcrutandi inſtrumentum. 14.
*Os*, *oſſis*, abradendi inſtrumenta. 5. 10.
——— abſcindendi forfex. 36. 37. 143.
——— amputandi ſerra. 24.
——— caries. V. Caries oſſis.
——— corrupta, carioſa cauteriis tangenda. 36.
——— cranii. V. Cranium.
——— cubiti. V. Cubitus.
——— fractura. V. Fractura.
——— ſacrum. V. Sacrum os.
——— ſcapulæ. V. Scapula.
——— tibiæ. V. Tibia.
——— ex faucibus eximenda. V. Fauces.
——— fruſta eximenda ex vulneribus. 20. 21. V. Vulnera.
——— perforatorum interſtitia eximendi. 8. 10.
——— cum vectibus elevanda. V. Vectis.
——— denuo rumpendi methodus. 177.
*Otalgia*. V. Aurium dolor.
*Otenchyta*. 25. 88.
*Oxæleum* ceratum. V. Cerat.
*Ozœna* gallica. 260.
*Ozœnam* adurendi inſtrumenta & modus. 17. 92. 93.
——— inquirendi modus. 92.

## P.

*Palatum* ex lue venerea eroſum curandi. 88.
*Palati* eroſum foramen obturandum. 14. 375.
——— excreſcentia carnis. 247.
——— ſinus calloſus & corruptio oſſis. 247.
*Palpebræ* gangræna curata. 628.
——— ſuperioris contractio ut oculum tegere neſciat, *Lagophthalmos*. 83.
*Palpebræ* ſuperioris relaxatio curanda. 82. 83.
*Palpebram* attollendi hamus. 13.
*Palpebrarum* coalitus. V. Ancyloblepharon.
——— pilos evellendi inſtrumentum. 7. 79.
*Papillæ* mammarum. V. Mammæ papillæ.
*Paracenteſis* abdominis ratio. 107. *ſeqq.* 126. 485. 489.
——— *thoracis*, inſtrum. 3.
——— locus inſtituendi. 94. 96.
——— rationes. 94. *ſeqq.*
——— per cauterium. 364.
——— in empyemate 281. 634.
——— in vulnere. 275.
——— neglecta in vulnere thoracis, lethale. 309.
——— minus eſt periculoſa quam abdominis. 618.
*Paræus*, de dentibus extrahendis. 20.
——— de foramine palati obturando. 14.
——— de humero luxato reſtituendo. 41.
——— de lithotomia. 121.
——— de modiolis. 4.
——— de oris dilatatorio inſtrumento. 18.
——— de punctura aurea ſ. plumbea. 119. 365.
——— de ſcalpris inciſoriis. 6.
——— de vectibus. 7. 47.
——— de vulneribus ſclopetorum 30.
*Paralyſis* curanda per infuſionem in venas. 454.
——— in oppoſita parte fracturæ cranii. 658.
*Parotis* vel *Eparma* auris ſcirrhoſum eradicatum. 632.

*Partus cæſareus.* V. Cæſarea ſectio.
*Patellæ* apoſtema. 648.
*Paulus Ægineta*, Acantabulum ſ. Volſella. 7.
——— modus paracenteſin thoracis faciendi. 94. 96. 97.
——— Spatha. 3.
*Pectorales* trochiſci. V. Trochiſci.
*Pectoris* apoſtema externum lethale. 643.
——— dolor & anguſtia ex puſtulis. 303.
——— exulceratio fonticulo mitigata. 303.
——— hydrops. V. Hydrops.
——— paracenteſis. V. Paracenteſis thoracis.
——— vulnus. V. Thoracis vuln.
*Pediluvium.* 241. 242.
*Pelicanus* forceps. 19.
*Penicillum* ligneum Tulpii. 32.
*Penis* amputatio, exſtirpatio. 311. 630.
——— non perforati aperiendi modus. 36. 123.
——— calculus extrahendus. 369.
——— vulnus ex ſclopeto. 297.
——— arte factus. 374.
*Percarum* pinnæ in pollice pungentes. 656.
*Perforatio* cranii. V. Cranii perforandi modus.
*Pericranium* ab oſſe ſeparandi inſtrumentum. 7. 8.
——— inflammatio. 208.
*Perniones* exulcerati. 331.
——— in gangrænam abeuntes. 670.
*Perſpicilla* pro oculis firmandis. 455.
——— pro ſtrabonibus. 374.
*Pes, pedis*, gruis, ad extrahendum fœtum. 369.
——— arte factus. 371. 372.
*Pes, pedis*, contractum extendendi inſtrumentum. 34.
——— inverſi reſtitutio. 638.
——— depoſitio in figura media. 156.
——— curvorum ocreæ. 373.
——— inflammatio. 325.
——— luxatio cum callo. 165.
——— œdema. V. Oedematoſi tumores.
——— ſphacelo correptus amputatus. 144. 145. 148.
——— ulcera. V. Ulcera pedum.
*Peſſaria* uteri. 32.
*Petechiarum* cura per infuſionem in venas. 435.
*Phacotum*, Galeni ſcalprum. 10.
*Phlebotomia.* V. Venæ ſectio.
*Phlogoſis* infantum ex lacte acido. 303.
*Pileus* argenteus ad papillas mammarum. 26.
*Pilorum* evulſio ex palpebris. 7. 79.
*Pilulæ* cephalicæ. 260.
——— ad dolores dentium. 255.
——— emmenagogæ, ad menſes, de Ammoniaco. 355.
——— contra epilepſiam. 604.
——— ophthalmicæ. 261.
——— purgantes. 243. 250. 344. 355. 359.
——— uterinæ. 260.
*Placentini* capſula pro cauterio actuali. 1. 2. 3.
*Plagulæ* emplaſticæ ad vulnus in genu. 85. V. Splenia.
*Platerus*, de oculorum ſuffuſione. 72.
*Pleuritis* pro pectoris hydrope judicata. 618.
*Plintheum Nilei.* 39. 40. 154.
*Plumaceolæ.* V. Splenia.
*Plumbea* punctura. V. Punctura.
*Pollicis* dolor enormis. 647. 656.

*Pollicis* erector. 373.
—— ob ſphacelum abſciſſio. 146.
*Polypus* aurium. V. Auris polyp.
—— *narium*, extrahendi inſtrumentum. 17.
—— extrahendi modus. 72. 73. 261.
—— ſpiritu vini curatus. 639.
*Potiuncula* laxativa. V. Purgantes potiones.
*Præputii* excreſcentiæ carnis. 123.
*Prevotii* Ceratum ad cancros. 302.
*Priapiſmus* ex vulnere ſclopeti penis. 297.
*Procidentia* ani. V. Ani procidentia.
—— uteri. V. Uteri procid.
*Pruritus* eryſipelatum. 318.
—— ex herpete. 297. 302.
*Pſittacinum* roſtrum. V. Roſtrum.
*Pterygium* curandi. 12. 84. 85.
*Pulmonum* vulnus ſclopeti, uſu lactis curatum. 626.
*Pulvilli.* V. Splenia.
*Pulvis* cordialis. 273.
—— exſiccans excoriationes infantum. 303.
—— contra herniam. 114.
—— ad oſſa carioſa. 266.
—— purgans. V. Purgantes pulveres.
*Punctura* aurea vel plumbea in hernia. 119. 365.
—— cranii. V. Cranii punctura.
—— matris duræ. V. Meningum punctura.
—— nervi. V. Nervi punct.
—— pollicis à percarum pinnis. 656.
*Puntale*, cum ſetone ſ. funiculo ad ſetaceum. 11.
*Pupillam* extrahendi vitrum. 31.
*Purgans* bolus. 289. 299. 324.
—— decoctum in cancro. 186. 301.
—— infuſum cum ſacculo. V. Infuſum.
*Purgantes* pilulæ. V. Pilulæ purg.
—— potiones cum ſyrupo. 199. 205. 207. 208. 211. 214. 217. 239. 249. 254. 268. 273. 279. 293. 297. 307. 309. 317. 318. 339. 346. 349. 351. 358.
—— pulveres. 207. 328. 329. 350. 358.
*Purgantia* in venas infundendi modus. 434.
*Pylii* Obſervationes. 642.

## Q.

*Quadriga*, faſcia *Galeni*. 105.
*Quartana* febris. V. Febres quartanæ.

## R.

*Raſorius* culter. V. Culter.
*Raſpatorium.* 10.
*Raucedo* incurabilis. 625.
*Remora Hildani* 37. 153. 154.
*Renum* calculus. V. Calculus renum.
*Reſpiratio difficilis.* 258. 268.
*Rhombus*, vinculum. 537.
*Rimula* cranii. V. Cranii fiſſura.
*Rizagra.* V. Roſtrum corvinum.
*Roſtrum* anſerinum. 30. 365.
—— corvinum. 19. 21. 365. 367.
—— gruinum. 18. 21. 29.
—— pſittacinum. 8. 20.
—— vulturinum. 8.
*Rouſſet*, de partu cæſareo. 32. 128.
—— de uteri peſſariis. 32.

*Rudingeri* Obſervationes. 636.

S.

*Salivatio* Mercurialis nimia linguam tumidam reddit. 607.
*Sandalius* laqueus. 155.
*Sanguinem ſiſtendi* media. V. Stegnotica.
——— in arteria carpi inſtrumentum. 34.
*Sanguinis* ſputum. V. Hæmoptyſis.
——— transfuſio. V. Transfuſio.
——— vomitus. V. Vomitus cruentus.
*Sarcocele.* V. Hernia carnoſa.
*Sarcoma* in aure abſciſſum. 678.
——— in femore. V. Femoris excreſcentia.
*Sarcotica* ulcera. V. Ulcera.
*Saxifragum* inſtrumentum. 369.
*Scabies* leproſa. 352.
*Scala Hippocratis*, ad luxatum humerum reſtituendum. 39.
*Sculpellus* acutus & anceps. 3. 14.
—— anceps inſtar foliorum myrti. 3. 22. 34. 461.
—— in annulo aureo abſconditus. 22. 105.
—— pro digitis conjunctis ſeparandis. 24.
—— *falcatus* (Italis *Gammaut* dictus). 22.
—— —— cum globulo argenteo. 13. 21.
—— pro aperiendis abſceſſibus. 21. 22.
—— rectus, lanceola dictus. 3. 36.
—— ſeparatorius. 14.
—— ad lithotomiam, & caſtrationem. 23. 24.
*Scalpellus* ad mucronem recurvatus ſ. ſcalpelli ad fiſtulas incidendas, ſyringotomi. 21. 22. 26. 27. 141.
—— pro ſetaceo incidendo. 12.
—— ad vulnera abdominis dilatanda. 27.
—— ad fœtum incidendum in utero. 367.
—— ejus manubrium pro ſeparandis tunicis. 22.
*Scalper* inciſorius. 13.
—— raſorius. 3.
*Scalpra Galeni* varia. 10.
—— inciſoria *Paræi.* 6. 364.
*Scalprum* exciſorium *Galeni.* 5. 10.
——— inciſorium. 13.
——— lenticulare. 5. 10.
——— raſorium. 10. 364.
——— cum vecte. 5.
——— pro digitis amputandis. 36.
*Scamnum Hippocratis.* 37. 38. 153. 155.
*Scapha*, vinculum. 538.
*Scapulæ os* corruptum cum fiſtula. 312.
*Scarificatio* uno ictu. 516.
*Scirrhus* mammæ. V. Mammæ.
—— œdematoſus. 342.
—— parotidum. V. Parotis, Scrophulæ.
—— ſæpe eſt tumor aquoſus. 676. 679.
*Sclopetorum vulnera.* 252. 297. 304. 316. 348. 625. 626.
*Sclopetorum vulnerum* globos extrahendi inſtrumenta. 28. 29. 30. 197.
——— cautelæ. 30.
*Scodeghino*, *Italorum* culter raſorius. 3.
*Scolopomachærium.* 21. 22.
*Scrophulæ* collum occupantes. 257.

*Scrophulæ* in collo apertæ. 258.
——— in mammis apertæ. 258.
——— ingentes exſectæ. 663. 676.
*Scrophuloſus* tumor in maxilla exſtirpatus. 680.
*Scroti* ſetaceum in anaſacra. 635.
— ſphacelus. 616.
*Scrotum* hernioſorum perforandi inſtrumentum. 23.
——— hydropicorum aperiendi ratio. 126.
*Sebacei* tumores. V. Steatoma.
*Seminum* excretio per alvum. 567.
*Semirhombus.* 538.
*Septum transverſum.* V. Diaphragma.
*Serra* pro oſſe reſecando. 24.
*Serrula* recta. 10. 47.
——— verſatilis. 8. 9. 47.
*Setaceum* in nucha parandi inſtrumenta. 11. 12. 34. 35.
——— inurendi modus. 77. 78. 458.
——— cum ſcalpello parandi modus. 79.
——— auriculæ inuſtum. 76. 87.
——— ſcroti in anaſarca. 635.
——— uſus. 259.
*Seto* pro ſetaceis. 11.
*Severinus* (Marc. Aurelius), de cauteriis. 43.
*Sinus* declives. V. Fiſtulæ.
*Sipho*, in Anatomia uſus. 377.
— auricularis. 25.
— pro Clyſtere. 375.
— pro infuſionibus. 25. 376. 501.
— matricularis. 25.
— pro pure extrahendo. 22. 25. 368. 479.
*Sitis* remedia. 214. 216. 270. 286. 305. 342. 349.
*Soporoſus affectus*, inuſtione occipitis curandus. 76.
——— trepano ſublatus. 624.
*Soſtrati* vinculum. 103.
*Sparadrapum.* 191. 196.
*Spatha Celſi.* 3.
——— ſ. Ambi *Hippocratis.* 37. 38. 154.
*Spatula* ad linguam deprimendam & purgandam. 89.
——— roſtro anſerino prædita, pro extrahendis globulis. 30.
*Specillum* adverſum *Celſi.* 12. 13. 68.
——— compoſitum. 13.
——— oblongum, teres. 12.
*Speculum* ani, maſculus, fœminæ. 33. 131.
——— oris. 14. 21. 89.
——— veſicæ. 365.
——— uteri, matricis, dioptra. 33. 131.
*Sphaceloſas* manus & pedes amputandi ratio. 144. 146. 147.
*Sphacelus* ſcroti. V. Scroti ſphacelus.
*Sphincter* ani. V. Ani ſphincter.
*Spina ventoſa.* 335. 344.
*Spinæ dorſi* luxatæ extenſio. 155.
*Spiritus* Maſtichinus. 251.
*Splen.* V. Lien.
*Splenia*, plagulæ. 140. 149. 170. 172.
*Spongia* præparata ad fiſtulas exſiccandas. 266.
*Sputum* ſanguinis. V. Hæmoptyſis, Vomitus cruentus.
*Staphylomatis* curatio. 84.
*Steatoma.* 249.
——— cura. 80. 81. 82.
——— in manu. 331.
*Stegnotica* ſ. ſtyptica ſanguinis fluxum & hæmorrhagias vulnerum. 59. 245. 292. 603. 640. 643.
——— Emplaſtra. V. Emplaſtra.

Ste-

*Sterilitas* ex male repoſita hernia. 315.
*Stomachus*. V. Ventriculus.
*Strabones* curandi. 374 375.
*Stranguria*. V. Urinæ ardor.
*Strumæ*. V. Scrophulæ.
*Styli* pro cauteriis actualibus. 1. 2. 3. 18.
*Styptica*. V. Stegnotica.
*Sudandi* modus per balneum in lecto. 510. 511.
*Sudorifera* in venas infundendi ratio. 434.
*Suffocatio* præcavenda per bronchotomiam. V. Arteria aſpera.
—— uteri. V. Uteri ſuffocatio.
*Suffuſio* oculorum. 414.
—— acu deponenda. 12. 68. *ſeqq*.
—— medicamentis diſcutienda. 72.
*Sugillatio*. V. Contuſiones.
*Surditas* ex aurium polypo curata. 605.
—— inguinis bubonem comitans. 649.
*Surdus* & mutus caſu curatus. 608.
*Suturæ cranii* coronalis & ſagittalis concurſum inveniendi modus. 43.
—— —— fonticuli inurendi. 1. 2. 42. *ſeqq*.
*Syncipitis* contuſio. 601.
*Syringa* tentativa veſicæ. V. Catheter.
*Syringotomi* ſ. ſcalpelli ad fiſtulas incidendas. 21. 22. 26. 27. 141.

T.

*TAbacus* ex herbis cephalicis pro oculis. 641.
*Tabes* per paracenteſin thoracis curanda. 95. 96.
*Tali* luxati reſtitutio. 155.
*Temporalis muſculi* carcinoma ab ictu ſcalpelli raſorii. 661.
—— vulnus. 203. 210. 263.
—— —— cum duræ meningis læſione, ſine trepano curatum. 600. 646.
—— —— cum læſione pericranii & vaſorum. 58. à 61.
*Temporalis muſculus* non eſt ſecandus in vulnere capitis cum fractura. 596.
*Temporum* arteriæ & vaſorum ſectio. V. Arteriotomia.
*Teſticuli* ſarcocele. V. Hernia carnoſa.
—— tumor reſolutus. 321.
*Terebellum Hildani*. 6.
—— pro globulis ex vulneribus ſclopetorum extrahendis. 28. 29. 30.
*Terebra* diplois. 366. 367.
—— triformis. 6.
*Tholus*, vinculum. 538.
*Thoracem* deligandi modus cum vinculo *Soſtrati*. 103. 542.
*Thoracis fiſtula* cum eroſione claviculæ. 264.
—— —— acu pertundenda. 32. 102. 109. 280.
—— —— exedentibus curata. 283.
—— *tumor* apertus, quo potus effluxit. 657.
—— *vulnus* dilatandum ſcalpellis. 21. 99. 100. 284. 285.
—— —— pus extrahendi ſipho & cannulæ. 22. 23. 26.
—— —— non admittit purgationes. 278.
—— —— paracenteſin requirit. 275. 281. V. Paracenteſis.
—— —— cum empyemate. 281. 290.

*Thoracis vulnus*, cum epilepſia. 604.
——— in fiſtulam degeneratum. 280.
——— cum coſta fracta. 267.
——— ex neglecta paracenteſi, lethale. 309.
——— penetrans per diaphragma ad ventriculum. 282.
——— penetrans periculoſum. 269.
——— utrinque penetrans. 609.
——— per diuretica curatum. 651.
——— oris ſuctione purgandum. 651.
——— ſclopeti penetrans, uſu lactis curatum. 626.
——— obſervanda & cautelæ. 310.
*Tibiæ* caries deradenda ſcalpello. 198. 315.
— focilis contrita. 634.
— fractæ extenſio. 155.
— fractura cum vulnere. 142. 143. 335.
— fractura cum vulnere ſclopeti. 348.
— os corruptum deraſum & exciſum. 141. 142. 325. 356.
*Tibiam* deligandi ratio. 142. 143. 370.
*Tibiarum* fractura frigore periclitatur. 644.
——— ulcera. V. Ulcera pedum.
*Tibias* aperiendi inſtrum. 3.
*Tinea capitis*. 352.
——— lethalis ob remedia incongrua. 619.
*Tonſillæ* notabilis excreſcentia. 686.
*Tophi Gallici*. 200.
*Tractoria* machina *Vitruvii*. 37. 123. V. Machina.
*Tranſplantatio* morborum. 379.
*Transfuſio ſanguinis*, Gallorum eſt inventio. 394.
——— inſtrumenta. 406. 407.
——— modus operandi. 377. *ſeqq.* 381. 388.
——— uſus & morbi per illam curandi. 409.
*Trepanatio*. V. Cranii perforandi modus.
*Trepani* defenſorium. 367.
——— partes. 3. 4. 5. 13.
——— uſus. 212. 220. 229. 620. 624.
*Trepanum* minoris apparatus. 366.
——— poſt 36. dies feliciter adhibitum. 629.
*Triploides*, inſtrumentum pro elevando cranio. 6.
——— terebra, vectis. 6.
——— uſus. 47. 48.
*Trochiſci* pectorales. 274.
*Tubuli*. V. Cannulæ.
*Tulpius*, de corniculis ad nutrimentum membris attrahendum. 33.
——— penicillum ligneum. 32.
*Tumor* aquoſus in mamma, ſcirrhum mentiens. 679.
——— calloſus & cartilaginoſus maxillæ. 671.
——— dorſi aqua repletus. 676.
——— cum folliculo. V. Tumor tunicatus.
——— maxillæ. V. Maxillæ tumor.
——— œdematoſus. V. Oedema.
——— ſarcoticus oculi. 590.
——— *tunicatus*, in maxilla exciſus. 72. 73. 243. 249. 671. 680.
——— velut ex tenui pedunculo ficus, penes aurem propendens. 68. 80.
——— in collo propendens, ſeta-

ſetaceo auris diminutus. 76.
*Tumor tunicatus* in femore exciſus. 338.
—— in fronte exciſus. 79. 80. 83.
—— intra muſculos ſuperioris labii ſectus. 73.
*Tumores* abſcindendi inſtrumentum. 16.
—— humores ex iſtis extrahendi unguentum. 426.
—— duri, citra dolorem, inſtar pultis. V. Atheroma.
—— glandularum. V. Scrophulæ.
—— glanduloſæ malè cum cauſticis aperiuntur. 300.
—— mellei. V. Meliceris.
—— prægrandes. 507.
—— ſebacei. V. Steatoma.
—— *tunicati*, differentia. 80.
—— —— cura. 80. 81 82.
—— —— ſeparandi inſtrumenta. 14. 22.
—— —— in ore ſeparandi. 14.
*Tunicas* ſeparandi inſtrum. 22.
*Tunicati* tumores. V. Tumor, Tumores tunicati.
*Tuſſis*, eclegma. 289.
—— trochiſci. 274.

## V.

*VArices* ſecandæ. 197. 198.
*Vaſculum* oculare. V. Oculare vaſculum.
*Vectis* pro cranio elevando. 6.
—— pro oſſe elevando, cum ſcalpro. 5.
—— trifidus ad dentes excutiendos. 20.
—— triploidis. 6.
—— vietorum ſimilis. 7.
*Venæ* jugularis vulnus. 640.
*Venæ ſectio* ritè inſtituenda. 543.
—— multiplex inſtituta. 587.
*Venæ ſectio*, lanceola, pro illa facienda. 36.
*Venena* ex vulneribus extrahenda. 500. 501.
*Venerea* cephalæa. 598.
—— exulceratio colli veſicæ. 612.
*Venerea lues, gummata, tophi.* 200.
—— cereviſiâ medicatâ curata. 613.
—— palatum ex illa eroſum. 88.
—— verrucæ in glande. 123.
*Venereus* tumor linguæ. 607.
*Ventriculi* dolores. 325.
—— eroſio curata. 325.
—— vulnus. 282.
*Verduin* Obſervationes. 659.
*Verrucæ* glandis curandæ. 123.
—— abſcindendi inſtrumentum. 16.
*Vertigo* ex abſceſſu cerebri. 225.
—— ex contuſione capitis. 226.
—— curatus inuſtione occipitis. 11.
*Veſicæ* calculus. V. Calculus.
—— collum fiſtulis perforatum. 612.
—— caruncula cauterio ſublata. 627.
—— fiſtula ſ. ſyringa tentativa. V. Catheter.
—— ſpeculum. V. Speculum.
—— terebelli & fiſtulæ pro pure extrahendo. 365.
*Vidus Vidius*, de modiolis. 4.
*Vigiliæ*, emplaſtrum. 668.
—— emulſio. 308.
*Vincula*. V. Faſciæ.
*Vinculum linguæ.* V. Linguæ vinculum.
*Vinum* infuſum. ſ. medicatum. V. Infuſum.

*Vipe-*

*Viperina caro* ſpecificum in lepra. 354.
*Viperinum conditum.* V. Electuarium viperinum.
*Virile membrum.* V. Penis.
*Vitri* fruſta in digitis diutius hærentia. 654.
*Vitrioli Martis* phlegma ad oculos. 424.
*Vitrum* pro pupilla extrahenda. 31.
*Vitruvii* machina tractoria. 37.
*Ulcera* cauteriis inuſta, modus tractandi. 35. 36.
—— ceratum citiſſime ſanans. 219.
—— ſacharum detergit. 266.
—— eryſipelatum. 318.
—— *pedum*, ex obſtructione lienis. 312.
—— fonticulis curantur. 312.
—— malè conſolidantur. 303. 312. 320.
—— *tibiæ*, *crurum* ſarcotica. 507. 615. 642. 653.
—— empirice curanda. 614.
*Umbilicale* cingulum *Aquapendentis.* 103. 104. 107.
*Umbilici* prominentiæ Chirurgia *Celſi.* 103. 107.
—— prominentia infantis, ab inteſtinis incluſis, ex imaginatione matris gravidæ orta. 104.
*Unci* pro extrahendo fœtu mortuo. 33. 367.
*Unguentum* Adonynum ſ. Evæ. 190.
—— de Betonica. 218.
—— ad callum fiſtularum. 284.
—— contra cancrum. 187.
—— ad carunculas. 122. 123. 261.
*Unguentum* ad cerebri membranas. 209.
—— digeſtivum. 215. 254. 276. 289. 291. 305. 327. 336. 343. 345. 348. 350. 607. 647.
—— ad Eryſipelata. 316.
—— in Gonorrhœa. 324.
—— ad hæmorrhoides. 135.
—— ad herpetes. 317.
—— in lepra. 354. 360.
—— ad oculos. 639.
—— ad os corruptum. 329.
—— ad dolorem pectoris in vulnere thoracis. 287.
—— ad perniones exulceratos. 331.
—— ad ſcrophulas apertas. 258.
—— ad ſetacea. 78.
—— ſimplex ad vulnera. 295.
—— ad tineam capitis. 352.
—— ad tumorem in genu. 190.
—— ad humores extrahendos ex tumoribus. 426.
—— ad urinæ dolores, ardores. 298.
*Ungues oculorum* levandi inſtrumentum. 13. 14.
*Volſellæ.* 5.
—— ſimile inſtrumentum. 19.
—— incommoda in uvula abſcindenda. 16.
*Vomitus* in febri quartana cauſat tumorem frontis. 650.
*Vomitus cruentus*, ex vulnere ventriculi. 282.
—— lethalis. 320.
*Vox* aſpera oritur ex mammæ abſciſſione. 296.
*Urethræ* calculum extrahendi modus. 28. 121. 679.

*Urethræ* caruncula curanda. 122.
— immittendæ candelæ cereæ. 26.
— fiſtula. 23.
*Urinæ* ex veſica extrahendæ fiſtula ſ. Syringa. 23. 27. 28.
— candelæ cereæ. 26.
— ardorem in Gonorrhœa per fiſtulam immittendam ſedandi. 23. 122.
— Emulſio. 291. 298.
— incontinentia ex laceratione cervicis veſicæ à calculo. 313.
— obſtructio. V. Iſchuria.
— ſuppreſſæ per catheterem eductio. 116. 117.
— per candelam ceream. 117.
— ex caruncula curatio. 122. 123. 261.
— ſuppreſſio ex caruncula. 298. 627.
*Urinarius meatus.* V. Urethra.
*Uteri* cancer ex obſtructione ductus bilarii. 312.
— excreſcentia curata. 617.
— peſſaria, globuli, annuli, circuli, candelæ. 32. 33.
— procidentia reſtituenda. 32. 125. 126. 639.
— ſpeculum. V. Speculum.
— ſuffocatio curanda per infuſionem in venas. 454.
*Uterinæ* pilulæ. V. Pilulæ.
*Utero* liquorem injiciendi. 25. 130. 131.
— medicamenta ſubliganda. 131.
— fœtum extrahendi. V. Fœtus.
— ſectus fœtus. V. Cæſarea ſectio.
*Vulnera* deligandi modus. 473. 507. V. Faſciæ.
— dilatandi ſcalpellus. 21.
*Vulnera* perſcrutandi ſpecillum. 12. 13.
— ſuturis & fibulis unienda. 141. 198. 473. 493.
*Vulneraria* decocta. V. Decoctum vulnerarium.
*Vulnerum* dilatatorium. 370.
— extranea extrahendi modus. 7. 18. 19. 370. 371. 493. 496. 501.
— hæmorrhagia eſu piſorum ſedata. 640.
— hæmorrhagiæ ſiſtendæ. V. Stegnotica.
— venena extrahenda. 500.
*Vulnus* abdominis. V. Abdominis vulnus.
— capitis V. Capitis vulnus.
— carpi. V. Carpi vulnus.
— cerebri. V. Cerebri.
— cruris. V. Cruris.
— cubiti. V. Cubiti.
— diaphragmatis. V. Diaphragmatis vulnus.
— femoris. V. Femoris.
— cum fractura. V. Fractura cum vulnere.
— genæ dextræ & labii. 85.
— hepatis. V. Hepatis.
— inguinis. V. Inguinis.
— inteſtinorum. V. Inteſtinorum vulnera.
— meningum. V. Meningum læſio.
— naſi. V. Naſi.
— oculi. V. Oculi.
— penis. V. Penis.
— pulmonis. V. Pulmonis.
— ſclopetorum. V. Sclopetorum vulnera.
— temporalis muſculi. V. Muſculi temporalis vulnus.
— thoracis. V. Thoracis.
— venæ jugularis & arteriæ carotidis deligandum. 507.

*Vulnus* ventriculi. V. Ventriculi vulnus.

*Vulvæ* carunculas incidendi inſtrumentum. 3.

—— labia agglutinata aperienda. 124.

*Uvulæ* corruptæ abſcindendæ inſtrumenta. 15. 16. 17. 18. 574.

—— abſciſſæ inuſtio. 14. 87.

—— relaxatæ cura per pulverem aſperſum. 18. 74.

W.

WUrtzii (Felix) modus curandi vulnera & fracturas capitis, non adeò bonus eſt quam *Hippocratis*. 67.

X.

XYſter, *Galeni* ſcalprum. 10.

Z.

ZOnula & remora *Hildani*. 37. 153.

F I N I S.




TABULA. I.




Tabula. II.




Tabula. III.






TABULA. IV.






Tabula. V.




TABULA VI.





TABULA . VII.




TABULA. VIII.




TAB. IX. *Olim* TAB. I. *Auctuarii.*




TAB. X. *olim* TAB. IX.




TAB. XI. *Olim* TAB. X.




TAB. XII. *Olim* TAB. XI.




TAB. XIII. *Olim* TAB. XII




TAB. XIV. *Olim* TAB. III. *Auct.*






TAB. XV. *olim* TAB. XIII.




TAB. XVI. *Olim* TAB. XIV.




TAB. XVII. *Olim* TAB. XV.




TAB. XVIII. *Olim* TAB. XVI.






TAB. XIX. *Olim* TAB. II. *Auct.*






TAB. XX. *Olim* TAB. XVII.




TAB. XXI. *Olim* TAB. XVIII.




TAB. XXII. *Olim* TAB. XIX.




TAB. XXIII. *Olim* TAB. XX.




TAB. XXIV. *Olim* TAB. XXII.




Tab. XXV. *Olim* Tab. XXI.




TAB. XXVI. *olim* TAB. IV. *Auct.*




TAB·XXVII.
*Olim*
TAB·XXX.




TAB. XXVIII.
*Olim*
TAB. XXXI.



TAB. XXIX. *olim*
TAB. XXXII.



TAB.XXX. *Olim* TAB.VII. *Auct.*






TAB. XXXI. *olim* TAB. XXXIII.




TAB. XXXII. *Olim* TAB. XXXIV.


Fol. I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
TAB. XXXIII. olim TAB: XXXV.






TAB.XXXIV. *olim* TAB.VIII. *Auct.*




TAB. XXXV. olim TAB. XXXVI.




TAB. XXXVI. *Olim* TAB. XXXVII




TAB·XXXVII. *olim* TAB·XXXVIII.




TAB. XXXVIII. *Olim in Belgico.*




TAB.XXXIX. olim TAB.XXXIX.



TAB. XL.
*Olim*
TAB. IX. *Auct.*




TAB. XLI. *olim* TAB. XL.




TAB·XLII· *olim* TAB·X· *Auct.*






TAB·XLIII. *Olim* TAB.XLI.






TAB.XLIV. *olim* TAB.XLII.




TAB.XLV. *olim* TAB.VI. *Auct.*



TAB. XLVI. *olim* TAB. XXVII.






TAB.XLVII. *olim* TAB.XXVIII.






TAB·XLVIII· *olim* TAB. XXIX.




TAB. XLIX. *olim* TAB. XXIII.

Fig. I. II



III



TAB. L. *olim* TAB. XXIV.

*ii*



*iii*



*Fig. i.*




TAB.LI. *Olim* TAB.V. *Auct.*

Fig. I.




II




TAB.LII. *Olim* TAB.XXV.




TAB. LIII. *Olim* TAB. XXVI.




TAB.LIV. *olim* TAB.XLIII.